
13
17 K
31



BULLARUM
PRIVILEGIORUM AC DIPLOMATUM
ROMANORUM PONTIFICUM
AMPLISSIMA COLLECTIO

CUI ACCESSERE PONTIFICUM OMNIUM

VITÆ, NOTÆ, ET INDICES OPPORTUNI

OPERA ET STUDIO

CAROLI COCQUELINES

TOMUS SEXTUS
PARS SECUNDA

AB ANNO XII. URBANI OCTAVI USQUE AD ANNUM XXI.

SCILICET AB ANNO MDCXXXIV. USQUE AD ANNUM MDCXLIV.



ROMÆ MDCCLX.

TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI.

IN PLATEA AGONALI AD VICUM CUCCAGNÆ.


BIBLIOTECA

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

D. JOSEPHO MARIÆ
TITULI SANCTI PANCRATII
S. R. E. PRESBYTERO
CARDINALI FERONI.

HIERONYMUS MAINARDI FELICITATEM.



OMPLURIBUS, magnisque beneficiis me Tibi, CARDINALIS AMPLISSIME, devinctum publico aliquo monumento, ut testarer, sollicitus vehementer eram, cum optato advenit, ut præla mea, quæ jamdudum in Magni Bullarii Romani progressione arctata

ſunt, Secundam Tomi Partem hiſce diebus publici juris fecerint. Feſtinans igitur, quam tamdiu deſideraveram occaſionem, arripio, & Volumen hoc, votis meis facturus ſatis, præclaro Nomini Tuo inſcribo, & conſecro. Id autem ſi leve nimis pro AMPLITUDINE TUA, Tuorumque in me magnitudine meritorum pro iis hercle, quæ mihi ſuppetunt viribus, proque eximia, ac pene ſingulari Tua humanitate, fortaſſe non exiguum erit obſervantiæ erga Te meæ argumentum.

Huc accedit, quod Volumen hoc complectitur Conſtitutiones, quas decem poſtremis Pontificatus Sui annis ſanxit URBANUS OCTAVUS; Quamplurimæ ex his ad Libertatis Immunitatiſque Eccleſiaſticæ firmitatem, Juraque Sedis Apoſtolicæ ſarta tectaque ſervanda; Multæ ad reſtituendam, conſervandamque in Ordinibus Eccleſiaſticis, vel maxime Regularibus labentem tunc temporis diſciplinam, felicemque illorum inſtitutionem, atque gubernium; Aliæ demum ad literarum ſcientiarumve in publicis ubique Studiis, ac Univerſitatibus, & præcipuè in Collegio de Propaganda Fide ad Orthodoxæ Eccleſiæ incrementum, emanatæ leguntur. Quibus præclariſſimis curis quam ſollicitus tenearis, nemo eſt qui ignorat; unde potiſſimum fit, ut Volumen hoc jure quodam ſuo Te ſibi præ cæteris vindicet Mæcenatem.

Enim vero quum incorruptis doctrinæ, ac morum exemplis a prima juventute conſueveris, maturus factus ætate, eam virtutis ſpeciem, quibus jam inclareſcere cœperas latius oſtendiſti, quæ Te cum primis illuſtrem reddidit, & commendatum. Tum omnium ſpem, & expectationem implens a BENEDICTO XIII. a Secretis Immunitatis Eccleſiaſticæ, necnon Archiepiſcopus Damaſcenus, non dum trigeſimoſecundo expleto ætatis anno, fuiſti renunciatus. Neque id mirum! Noverat Sanctiſſimus ille Pontifex ingenii Tui præſtantiam, prudentiam, & in rebus graviſſimis tractandis dexteritatem. Noverat morum integritatem, pietatem, atque Chriſtianam moderationem, quibus exornaris. Deceſſoris ſui inhærens veſtigiis CLEMENS XII. quum qualis quantuſque eſſes non ignoraret, Te Sacræ Univerſalis Inquiſitionis Aſſeſſorem conſtituit; & ita conſtitutum amplioribus Officiorum muniis Te voluiſſet exornatum,

niſi

nisi mors Principem Tibi beneficentissimum eripuisset. Verum virtus Tua omnibus æque Principibus semper similis, semperque singularis præclarissimo quoque in maximo Apostolatu Successori apprimè innotuit: Quid enim BENEDICTUS XIV. præclari, quid amplissimi conferre potuit, quod Tibi liberaliter non contulerit? Te enim a Secretis Episcoporum, & Regularium Magistratus adscivit; deinde vero in Amplissimum S. R. E. Cardinalium Senatum plaudentibus omnibus cooptavit. Quid plura? Profecto neque melius, neque aptius, quam ex CLEMENTIS XIII. judicio gravissimo, quantum in omni rerum genere Tua prudentia, ac doctrina emineat, intelligere possumus, qui honores honoribus augens, in difficilioribus, ac revera salebrosis Christianæ Reipublicæ negociis agendis, procurandisque Tua potissimum opera usus est, atque utitur eo successu, ut Te in dies gratiorem habeat, neque ulli secundus apud OPTIMUM PRINCIPEM communi opinione existimeris. Quo factum est, ut carus universis, omnium Tibi animos devinxeris, & voluntates.

Habeas itaque, PRINCEPS EMINENTISSIME, tot causis Tibi debitum munusculum, quod oro, obtestorque æquo lubentique animo excipias, meque ut semper dignatus es, gravissimo Tuo Patrocinio, Auctoritate, Gratia prosequare.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sac. Palatii Apost. Magistr.

Dominicus Jordanus Archiep. Nicomediæ Vicesger.



IMPRIMATUR

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordin. Præd. Sac. Palatii Magistr.

IN

I N D E X
RUBRICARUM BULLARUM
ET PRIVILEGIORM OMNIUM

Quæ in hac Tomi Sexti Parte Secunda continentur.

Quæ hoc Indice ✠ designantur erant in Editione Cherubini.

URBANUS PAPA OCTAVUS

ANNO XII.

CDLIX.

Designatio Conventuum pro Novitiatibus Laicorum, seu Conversorum Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo. † p. 1

CDLX.

Declaratio circa præcedentias inter Fratres Sancti Francisci de Observantia Reformatos. † 2

CDLXI.

Quod Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in Collegio Sanctæ Thereliæ Salamantinæ absolutis per eos cursu, lectoris, vel exercitiis literarum a Regularibus dicti Ordinis requisitis, in eadem Sacræ Theologiæ Lauream suscipere possint absque expensis. † 3

CDLXII.

Nuncio Apostolico apud Wladislaum IV. Poloniæ Regem facta potestas Ecclesiasticis Regni ejusdem permittendi, ut Regi subsidium præstare queant. 4

CDLXIII.

Præfixio, & approbatio Cœremonialis pro electione Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani. † 5

CDLXIV.

Episcopis Regni Poloniæ facultas conceditur consuetum pro Communione Paschali tempus prorogandi. 9

CDLXV.

Fratribus Discalceatis Reformatis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum prohibetur, quominus de cætero recipiant personas seculares ad habitum Donatorum. His vero, qui nunc existunt in dicta Congregatione sub nomine Donatorum, habitum, nomenque Laicorum concedi posse permittitur. † ibid.

CDLXVI.

Ne de cætero Fratres Ordinis Prædicatorum in partibus Indiarum existentes extra Conventum vivant seu maneant absque Sedis Apostolicæ, & Superiorum ejusdem Ordinis licentia. † 10

CDLXVII.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum circa Processiones, quæ fiant a Regularibus, & Confraternitatibus extra proprias Ecclesias. ibid

CDLXVIII.

Quod in Familia Ultramontana, sicut in Cismontana, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia duo Fratres Germani Definitoriis interesse non possint. † 11

CDLXIX.

Clerici Regulares Pauperes Matris Dei Scholarum Piarum non comprehenduntur in Decretis circa Regularium reformationem editis. † 12

CDLXX.

Mandat Nuncio Poloniæ, ut moneat Episcopos illius Regni, quatenus vocati veniant ad Synodum, & Comitia Regni. ibid.

CDLXXI.

Super residentia Episcoporum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & aliorum Ecclesiis Cathedralibus Præfectorum, etiam S. R. E. Cardinalium, cum præfixione termini ad proficiscendum ad suas residentias, & determinatione pœnarum, ac prohibitione ab ipsis non discedendi absque Sedis Apostolicæ licentia ex quibusvis, etiam urgentissimis causis. † ibid.

CDLXXII.

Archiepiscopo Thessalonicen. committitur, ut deputet Visitatorem in locis Patriarchatus Aquilejen. Roman. Imperatori in temporalibus subjectis. 16

CDLXXIII.

Quod Fratres Ordinis Prædicatorum Professi in Conventibus pro Novitiatibus non designatis simpliciter emittant novam Professionem sine nova Fratrum Vocalium acceptatione. † 17

CDLXXIV.

Confirmatio Literarum Pauli Tertii Julii Tertii, Pauli Quarti, Pii Quarti, & Pii Quinti, Gregorii Decimitertii, Sixti Quinti, & Clementis Octavi, quibus Familiæ de Fisco Marchionatus Masserani, necnon Loca Crepacorii, Quirini, Flecchiæ, & Rino in Feudum perpetuum masculinum conceduntur cum onere Censum annuum Cameræ Apostolicæ persolvendi. 19

CDLXXV.

Imponit in Portugalliæ, & Algarbiorum, ac Siciliæ ultra Pharum Regnis, necnon in Indiis Occidentalibus unam Decimam semel Philippo Quarto Hispaniarum Regi persolvendam, ut opem Ferdinando Secundo Imperatori ferre possit. 20

CDLXXVI.

Confirmatio præfinitionis habitus factæ inter Fratres Discalceatos Sanctæ Thereliæ, & Fratres primi Instituti, vulgo de Monte Sancto, nuncupatos. † 22

CDLXXVII.

Constitutiones, quibus revocantur vivæ vocis Oracula, non comprehendunt illos Officiales, quibus ratione munerum suorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi solebat. † 23

CDLXXVIII.

Commissio Nuncio Apostolico apud Poloniæ Regem, ut petente Metropolita Russiæ inhibeat, ne Regularium cujuscumque Ordinis Domus aliqua Zyravicis erigatur. 24

CDLXXIX.

Regulares, qui ultra vota solita, etiam votum emittunt de non petenda, aut non acceptanda extra Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, aut dimissionem, a voto hujusmodi hactenus liberantur. † Ibid.

CDLXXX.

Facultas Nuntio Apostolico in Regno Neapolis examinandi Testes, & procedendi contra Episcopos non residentes suis in Ecclesiis. 26

Quod

Index Rubricarum.

CDLXXXI.

Quod assertiones, & enunciationes scriptorum, & † aliorum quorumcumque non faciant fidem, nisi servata forma in hac Constitutione præscripta. 27

CDLXXXII.

Facultas Nuncio Neapolitano permittendi Civibus Neapolitanis, ut cum Clero transigere possint super novo quodam imposito vectigali. 29

CDLXXXIII.

Sequitur applicatio pecuniæ, quæ ex supradicto vectigali Clero esset restituenda, Fabricæ Basilicæ S. Petri de Urbe. 30

CDLXXXIV.

Nuncio Apostolico in Belgio committitur, ut detentum ab Hispaniarum Regis Militibus Archiepiscopum Trevirensem in sui custodiam recipiat. 31

CDLXXXV.

Facultas Nuncio Apostolico in Urbe Neapolis permittendi, ut Populus cum Clero transigat super solutione cujusdam vectigalis, ac restitutione solutæ pecuniæ, eamque exigendi nomine Fabricæ Sancti Petri. 32

CDLXXXVI.

Avocatio cujusdam Causæ vertentis inter Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscop. Rothomagensis, & Regulares ejusdem Civitatis super Jurisdictione Archiepiscopi, seu exemptione Regularium. 33

CDLXXXVII

Clero Leodiensi permittitur, ut Ferdinando Archiepiscopo Colonien. S.R.I. Electori aliquod subsidium conferre possit. 34

CDLXXXVIII.

Prohibetur Fratribus Carmelitanis Discalceatis in Monte Carmelo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne id quod a christifidelibus pro conservanda possessione d. Montis donatum fuerit in alios usus convertant ibid.

CDLXXXIX.

Committitur Auditori Cameræ, ut contra non parentes Constitutioni, & Decreto Consistoriali super residentia in Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis ad omnium censurarum, & pœnarum in illis contentarum declarationem, & executionem procedat. 35

CDXC.

Confirmatio Laudi in Causis inter Episcopum Burgi Sancti Sepulchri, & Abbatem Monasterii S. Mariæ in Balneo Congregationis Camaldulen. vertentibus super prætensa per Episcopum subjectione Castri S. Mariæ in Balneo, exercitio Jurisdictionis, necnon jure conferendi Ecclesias in illius Territorio existentes. 36

CDXCI.

Confirmatio Statuti Collegii S. Crucis Vallisoletan., quo cavetur, ne ullus Collegialis ibi ultra novem annos, & duos menses permaneat. 38

CDXCII.

Quod Ecclesiæ Regni Hungariæ Missali, & Breviario juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ uti debeant. 39

CDXCIII.

Quod Procurator Generalis Ordinum Fratrum Mino- † rum S. Francisci Conventualium possit supprimere parvos Conventus, in quibus non potest substentari numerus sufficiens Fratrum pro regulari observantia. ibid.

CDXCIV.

Revocatio Literarum Concordiæ initæ inter Provin- † ciam Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum ex una, & Fr. Onuphrium Legazam ex alia ejusdem Ordinis, cum perpetuo silentio. 40

CDXCV

De præstatione alimentorum Hebræis pauperibus ad † instantiam Christianorum creditorum carceratis. 41

CDXCVI

Declaratio nullitatis venditionis, & emptionis Officiorum Cruciatæ Regnorum Castellæ, & Legionis. 42

CDXCVII.

Extensio Gabellæ super vino, & carne exigendæ ab Ecclesiasticis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis ad aliud sexennium. 43

CDXCVIII.

Prohibet, quominus Majorem post Pontificalem in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Ecclesiis Dignitates obtinentes, ac Canonici Magistrales, Doctorales, Lectores, Pœnitentiarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores in Regnis Castellæ, & Legionis Episcoporum familiares esse possint. 45

CDXCIX.

Quod nullus Fratrum Ordinis Prædicatorum per se, † vel alium negotium aliquod tractare audeat in Romana Curia, inconsulto Procuratore generali dicti Ordinis. 47

D.

Quod in Provinciis Hispaniarum, & Indiarum Fra- † trum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum, amplius non sint, neque habeantur tituli Lectorum Jubilatorum, neque exemptione Patris gaudeat, nisi qui Minister Provincialis fuerit. 48

DI.

Oppida Castri Durantis, & Angeli in Civitates, & eorum Collegiatæ in Cathedrales eriguntur sub titulo Episcopatus Urbaniæ. 49

DII.

Exemptio Fratrum Reformatorum Discalceatorum † Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum, a Jurisdictione, obedientia, & superioritate Ministri Generalis Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis. 52

DIII.

Declaratio quoad facultates transferendi pensiones, † aut illarum loco fructus, translationes, novasque reservationes pensionum, ac fructuum antea translatorum. 55

DIV.

Hebræorum synagogæ in Ducatibus Ferrariæ, & Urbini, & earum quælibet tenentur singulis annis decem duc. auri de Camera solvere Collegio Neophytorum, & Cathecumenorum de Urbe. 56

DV.

Prohibet in Consilio Centum Virorum Civitatis Barchinonen., quominus pro officiis, quæ gratis concedi solent, conferendis, aut obtinendis, quidquam accipiant. 57

DVI.

Commissio Auditori Cameræ, ut contra Scalensem, & Ravellensem, ac alios quoscumque Episcopos in suis Ecclesiis non residentes procedat, & ad residendum compellat. ibid.

DVII.

Pœnitentiaria Lauretana, ejusque Pœnitentiarii Ma- † jori Pœnitentiario subjiciuntur, cum nonnullis aliis Decretis. 58

DVIII.

Extensio Constit. Gregor. XIII. ne Subcollectorum, † & Commissariorum spoliorum crimina possent cognosci nisi a Nunciis, & Collectoribus Apostolicis in Regno Neapolitano, ad excessus, & crimina patrata in aliis Regnis, & Provinciis, etiam expletis eorum officiis. 60

DIX.

Facultas Collectori spoliorum Portugalliæ procedendi ad promulgationem censurarum contra violatores Immunitatis Ecclesiasticæ in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum. 62

Con-

Index Rubricarum.

D X.

Confirmatio Decretorum pro Reformatione Provinciæ Turoniæ Ordinis S. Francisci Reformatorum seu Recollectorum in Francia. 63

D X I.

Facultates Collegii Doctorum Civitatis Urbini super cognitione causarum. 65

D X I I.

Jubilæum universale ad divinam opem implorandam. 66

D X I I I.

Confirmatio Decreti Congregationis de Propaganda Fide, quo declaratur Collegium Hybernorum Insulæ in Belgio non esse commune omnibus Regni Hyberniæ Provinciis, sed pro solis duabus Provinciis, Lagenia scilicet, & Media erectum fuisse. 68

D X I V.

Quod Officium Sanctæ Theresiæ Virginis recitari possit juxta Lectiones a Sacra Rituum Congregatione † approbatas. 69

D X V.

Cardinali ab Auria committitur publicatio Brevis in Sicilia, quo Regi conceditur Decima ab ecclesiasticis persolvenda. 71

D X V I.

Erectio Montis Communitatum Status Ecclesiastici † Tertiæ Erectionis nuncupati. ibid.

D X V I I.

Declaratio super facultatibus transferendi pensiones, † seu illarum loco fructus; ac translationibus, novisque reservationibus pensionum, seu fructuum antea translatorum. 75

D X V I I I.

Committitur A.C. ut ad instantiam Commissarii Cameræ Apostolicæ contra Joannem Andream ab Auria, & alios invasores, & occupatores Burgi Vallis Tari ad Sanctam Romanam Ecclesiam pertinentis procedat. 76

D X I X.

Literæ ad S.R.I. Electores de necessitate, ac forma † eligendi Regem Romanorum. 77

D X X.

Committitur Congregationi Confinium, ut contra Marianum Aldobrandini, qui absque Sedis Apostolicæ licentia vendidit, & Jacobum Ducem Salviatum, qui emit Castrum del Rio in Provincia Romandiolæ procedat. 78

D X X I.

Committitur Rotæ Decano absolutio quatuor Portionariorum, & duorum Beneficiatorum Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, a censuris, & pœnis incursis, eo quod recurrerint ad Judices laicos pro executione mandati Rotalis. 79

D X X I I.

Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Dis† calceatorum nuncupatorum possint erigere Crucem in publicis processionibus. 80

D X X I I I.

Regis Catholici zelus excitatur, ne permittat, a suis † Ministris nonnulla Ecclesiarum bona in Portugalliæ Regno occupari. 81

D X X I V.

Oppidum Mercatelli Urbaniæ Episcopatui, Lamolæ autem Oppidum Ecclesiæ S. Angeli quoad jurisdictionem ecclesiasticam addicuntur. ibid.

D X X V.

Quod de cætero nullus Fratrum de Observantia in † Guardianum, aut Magistrum Novitiorum in Conventibus Recollectorum Provinciæ Granatensis deputari possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit. 82

D X X V I.

Declarat Ministrum Generalem Fratrum Reformato† rum Discalceatorum Congr. Hispaniarum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum post sui electionem nulla indigere confirmatione 83

D X X V I I.

Licentia erigendi Romæ Ecclesiam, Hospitium, & Collegium pro Nationibus Provinciæ Marchiæ 84

D X X V I I I.

Confirmatio decreti, videlicet, præcedentiam in † processionibus in Civitate Oriolensi competere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos, & Discalceatos. 85

D X X I X.

Quod in Provinciis S. Bernardini, & S. Mariæ Mag† dalenæ in Gallia Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum, seu Recollectorum nullus omnino gaudeat privilegiis Patruum Provinciæ. 86

D X X X.

Confirmantur Constitu. Collegii Naubertini Carmelitarum Parisiensium antiquæ Observantiæ. 87

D X X X I.

Erectio duodecim Alumnatuum in Collegio Urbano de Propaganda Fide pro Georgianis, Persis, Nestorianis, Jacobitis, Melchitis, & Cophtis. 93

D X X X I I.

Ne Fratres Discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redem† ptionis Captivorum Hispaniæ, post emissam Professionem possint transire ad Ordinem Fratrum Minimor. S. Francisci de Paula. 96

D X X X I I I.

De Constitutionibus Clericorum Regularium Minorum emendatis a Congregatione Episcoporum, & Regularium imposterum observandis non obstantibus Decretis Clementis Octavi. 97

D X X X I V.

Quod Capitulum Generale Congregationis Clerico† rum Regularium Ministrantium infirmis de sexennio in sexennium dumtaxat celebretur. 98

D X X X V.

Confirmantur quædam Statuta, & Decreta pro bono regimine Congregationis Galliæ Ordinis Fratrum Discalceatorum S. Augustini. 99

D X X X V I.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum, & † quinquaginta millium scutorum monetæ, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi. 102

D X X X V I I.

Contra eos, qui mentito nomine, vel cognomine, † adhuc prima uxore vivente, ad secundas nuptias transeunt. 103

D X X X V I I I.

Fratres Discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Barchinonen., absolvuntur a censuris, in quas incurrerant ob petitam Regii Consilii opem. 104

D X X X I X.

Quod de cetero non liceat pro licentiis laborandi diebus festivis ab Episcopo Cartaginen. concedendis pro præparatione, & manutentione artis sericæ a mense Martio usque ad ejus integram confectionem, quidquam exigere. 105

D X L.

Restitutio, seu Erectio Cathedræ praxis Medicinæ in Romano Gimnasio. ibid.

D X L I.

Facultas Nuncio Sedis Apostolicæ Neapoli concordandi cum eadem Civitate, & Populo, nomine Cleri super modo exigendi a ab eodem Clero augmentum cujusdam vectigalis. 107

D X L I I.

Prædictas pecunias Clero Neapolitano restituendas addicit Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe. ibid.

Index Rubricarum.

D X L I I I.

Sequitur Concessio facultatum Nuncio Apostolico ea peragendi, quæ in præcedentibus Constitutionibus statuta leguntur. 108

D X L I V.

Committit A. C. ut Episcopum Calaguritanum absolvat a censuris, si quas incurrit ob recursum per Promotorem Fiscalem suæ Curiæ factum ad Judices Laicos. 109

D X L V.

Committitur Archiepiscopo Mediolanensi, ut Deputatis Collegii Helvetici Mediolanen., easdem exemptiones, & privilegia concedat, quibus gaudent Deputati Seminarii, & Conservatorum Collegii Ambrosiani ejusdem Civitatis. 110

D X L V I.

Confirm. Synodi Provincialis anno 1574. per Cyprianum Pallavicinum Archiepiscopum Januen super rebus Ecclesiæ non alienandis, nec pignorandis habitæ, & a Congregatione Sacri Concilii Tridentini approbatæ. ibid.

D X L V I I.

Quod in Provincia Granatensi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nullus Frater, aut † consanguineus in primo, & secundo gradu Ministri actualis pro tempore, possit succedere immediate ad Provincialatum d. Provinciæ &c. 113

D X L V I I I.

Prohibitio extrahendi libros e Bibliothecis, & Paramenta ab Ecclesiis Conventuum Fratrum Ordinis † Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis. ibid.

D X L I X.

Quod Minister Fratrum de Observantia Provinciæ † Granatensis teneatur recipere Religiosos nullos ex Recollectis ejusdem Provinciæ, qui a perfecta suæ regulæ observantia declinarunt. 114

D L.

Congregationi Oratorii Neapolitani communicantur omnia Privilegia Congr. Romanæ concessa. 115

D L I.

Confirmatio, extensio & declaratio Constitutionum † Apostolicarum, prohibentium Civitates, Castra, & alia tam jurisdictionalia, quam non jurisdictionalia stabilia tamen bona, in Statu Ecclesiastico consistentia, alienari in forenses absque Sedis Apostolicæ licentia. & revocatio quarumcumque licentiarum, & facultatum adversus prædictas Constitutiones concessarum. 117

D L I I.

Quod Moniales Conversæ Ordinis S. Claræ Monasterii Sancti Marcelli Parisiensis debeant manuteneri in possessione eligendi Abbatissam. † 121

D L I I I.

Consulit Juribus S. R. E. in Electione, & Confirmatione Imperatoris Romanorum. ibid

D L I V.

Confirmatio Decretorum Sac. Congregationis Concilii pro bono regimine Cancellariæ Archiepiscopatus Turritan. 123

D L V.

Facultas Nuncio Apostolico apud Imperatorem liberandi Archiepiscopum Electorem Treveren. e custodia, in qua per biennium nomine S. Sedis detentus fuit. 124

D L V I.

Manutentio Archiepiscopo Electori Treveren. in possessione, & quasi, in qua tempore suæ detentionis erat, respectu Ecclesiarum, Abbatiarum Statuum, & aliarum Dignitatutum cum facultate Nuncio apud Imperatorem cognoscendi, & terminandi causas contra eum motas, & movendas. 125

D L V I I.

Facultas eidem Nuncio concordandi cum partibus nomine prædicti Electoris super controversiis contra ipsum motis, & movendis. 126

D L V I I I.

Conceditur Archiepiscopo Treveren. Sacri Romani Imperii Electori, ut pro electione Regis Romanorum suffragium suum ferre possit, perinde ac si Conventui Electorali interfuisset. ibid

D L I X.

Super Præcedentia inter Regulares diversorum Ordi- † num. 127

D L X.

Commissio Gubernatori Marchiæ circa repositionem Coronæ super insignibus Civitatis Maceratensis 128

D L X I.

Quod Imagines Sanctorum Augustini, Nicolai de † Tolentino, & aliorum Sanctorum Ordinis Sancti Augustini depingi nequeant cum habitu, quo Discalceati utuntur. 129

D L X I I.

Confirmatio Statutorum Universitatis Exoneratorum Cymbarum, seu Navium Almæ Urbis. 130

D L X I I I.

Annullatio Capitoli Provincialis Fratrum Minorum † S. Francisci Recollectorum nuncupatorum Provinciæ S. Bernardini in Gallia celebrati in spretum, & contemptum Literarum Apostolicarum 132

D L X I V.

Circa Lectorum Jubilationem Fratrum Minorum de † de Observantia Cismontanæ Familiæ. 133

D L X V.

Ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ † fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis. 134

D L X V I.

Indulgentiam plenariam ad divinam opem implorandam. 135

D L X V I I.

Quod Abbates Monasteriorum pauperiorum Congre- † gationis Montis Oliveti, de licentia Procuratoris Generalis possint imponere unum, seu plures census pro sublevandis indigentiis eorumdem. 136

D L X V I I I.

Confirmatio Decreti R. C. A. super prætio Aluminum Status ecclesiastici. 138

D L X I X.

Quod Sacerdos celebrans in Altari Cappellæ S. Ca- † therinæ Senensis super Minervam pro anima alicujus defuncti liberet eam a pœnis per modum suffragii. Conceditur præterea Indulgentia plenaria pro visitantibus d. Cappellam in ejus die festo Communione refectis. 139

D L X X.

Quod Provincia Romana Fratrum Cappuccinorum † subjiciatur Generali, & in ejus absentia Procuratori Generali eorumdem, eo modo, quo cæteræ Provinciæ. ibid.

D L X X I.

Privilegium pro Congregatione Cassianensi contra appellantes, & ambientes. 140

D L X X I I.

Dotatio Ecclesiæ Babilonien in Persia. 143

D L X X I I I.

Absolvit novem portinarios Ecclesiæ Cæsaraugustanæ a censuris, in qua incurrerant ob prætensos recursus eorum nomine factos ad Judices laicos in causa inter ipsos, & Capitulum dictæ Ecclesiæ vertente super distributionibus. 145

D L X X I V.

Irritatio Actuum factorum tam per Ministros Regios Portugalliæ, & Judices, quam per Ministros S. Sedis

Sedis super bonis, Cappellis vulgo nuncupatis, Ecclesiarum, & Locorum piorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum contra Jurisdictionem, & libertatem ecclesiasticam, & jura Sedis Apostolicæ. ibid.

D L X X V.

Commissio A. C. absolvendi Decanum, Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Hispalen. a censuris ob recursum eorum nomine, sine tamen ullo ad id mandato, alias factum ad Judices laicos. 148

D L X X V I.

Congregationis S. Joannis Dei Conventus, & Hospitalia, pro quibus sunt duodecim Religiosi ab Episcoporum jurisdictione eximuntur. ibid.

D L X X V I I.

Superioribus Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia Provinciæ Aquitaniæ antiquioris facultas datur Literas Dimissoriales suis Religiosis ad Sacros Ordines promovendis concedendi. 149

C L X X V I I I.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis Conventuum Fratrum Cappuccinorum ubique existentium
† cum facultate Superioribus commutandi inutiles per Syndicos. 150

D L X X I X

Facultas Regimini Civitatis Bononien. continuandi Gabellas, unam scilicet quatuor solidorum pro qualibet libra serici exteri, & aliam decem solidorum pro qualibet libra serici duplicis, durantibus octo annis proxime futuris ad effectum solvendi æs alienum a Camera dictæ Civitatis contractum. 151

D L X X X.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum, &
† quinquaginta millium scutorum monetæ, necnon reducendi annuos Census ad minus interusurium concessa Congregationi Cassinensi, cum declaratione, quod pro hujusmodi alienatione non requiritur licentia Protectoris. 152

D L X X X I.

Facultas Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani imponendi gabellam in Insula Melevitana pro extinctione æris alieni contracti ob Annonæ inopiam. 153

D L X X X I I.

Confirmatio Reductionis Monasteriorum Ordinis Sancti Salvatoris, seu Sanctæ Birgittæ Belgii unam Congregationem &c. 154

D L X X X I I I.

Quod Fratres Strictioris Observantiæ Sancti Fran-
† cisci Provinciæ Principatus non erigant Conventum in Civitate Neapolitana, sed observent concordiam jam factam. 155

D L X X X I V.

Quod in Ecclesiis Parochialibus, quæ sunt membra
† Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, cura animarum exerceri possit etiam per Monachos ad nutum suorum Superiorum amovibiles. 156

D L X X X V.

Contra deferentes Habitum Tertiariorum Tertii Or-
† dinis Sancti Francisci, absque licentia Superiorum Ordinis, vel deferentes Tunicam oblongam cum, vel sine Caputio, cum Mantello. 157

D L X X X V I.

Decretum Sacræ Rituum Congregat. de non jeju-
† nandu in Vigilia Sancti Joannis Baptistæ quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi. 153

Declaratio, quod non sit jejunandum in vigilia
† Sancti Joannis Baptistæ, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi. ibid.

D L X X X V I I.

Confirmatio Literarum Pontificiarum, ac præsertim Pauli V. circa Officium Capitanei portus Ariminensis. ibid.

Confirmatio Electionis Ferdinandi Tertii in Regem Romanorum futurum Imperatorem. 159

C L X X X I X.

Quod Monachi Cassinenses non sunt ullo modo co-
† gendi accedere, nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti. 161

D L X C.

Preces primariæ Ferdinando Tertio Regi Romanorum in Imperatorem Electo conceduntur. 162

D X C I.

Indulgentia plenaria pro visitantibus Ecclesias So-
† cietatis Jesu, ac Communione refectis in festo Sancti Francisci Xaverii, cum translatione indulgentiæ, quando festum occurrit prima cum Dominica Adventus. 165

D X C I I.

Decimæ nonnullæ super Bonis Ecclesiasticis in Dominio Reipublicæ Venetorum imponuntur in subsidium ejusdem Reipublicæ pro sumptibus belli contra Turcas. 166

D X C I I I.

Mandatur Ecclesiasticis Urbis Sancti Angeli in Vado, ejusque Territorii, ut bona emphyteutica, quæ per finitam lineam ad ipsos devolvi contigerit, prorimioribus denuo in emphyteusim concedant. 169

D X C I V.

Personæ incapaces Beneficiorum Ordinum Militiarum Sancti Jacobi de Spata, Calatrava, & Alcantara, quibus per Reges, ac aliàs apostolica auctoritate Prioratus, Commendæ, & Beneficia prædictarum Militiarum conceduntur, tenentur solvere partem fructuum ipsorum Prioratuum, Commendarum, & Beneficiorum, quam Milites de illis provisi solvere deberent juxta Literas Apostolic., & Statuta Ordinum prædictorum. 170

D X C V.

Extensio subsidii pro Civitate Pisan. ejusque districtu ab Ecclesiasticis solvendi ad aliud decennium. 171

D X C V I.

Cavetur, ne quis quidquam dare, seu promittere possit cuivis personæ ad effectum consequendi Affictus, & Subaffictus Vallium Comaclensium, aut alicujus illarum. 173

D X C V I I.

Mandat nonnullis Episcopis Galliæ, ut intra triennium nonnullos Archiepiscopos, & Episcopos ejusdem Regni in eorum vita, & moribus reprehensibiles moneant, ut resipiscant. 174

D X C V I I I.

Contra ambientes dignitates, & Officia Ordinis San-
† cti Hieronymi Congregationis Fesulanæ. ibid.

D X C I X.

Facultas Cardinali ab Auria Archiepiscopo Panormitano conceditur, quoddam vectigal Ecclesiasticis secularibus, & regularibus suæ Diœcesis imponendi pro dissolvendo ære alieno ejusdem Civitatis. 176

D C.

Moniales Reformatæ Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Neapolitan. jurisdictioni, & correctioni pro tempore existentis Nuncii Apostolici subiiciuntur. 178

D C I.

Confirmatio Capitulorum Cameræ Apostolicæ Anno 1561. editorum, & a Pio Quarto confirmatorum pro felici, & celeri mercium per Tyberim in Urbem subvectione. 179

D C I I.

Confirmatio Literarum Gregorii XIV. ad favorem Immunitatis Ecclesiasticæ emanatarum contra diversos abusus, qui in Diœcesim Seguntinam irrepserant. 181

DCIII.

Quod tam Indi, quam Melizi, necnon Æthiopes, & Mauri, seu Mulatti nuncupati possint satisfacere præcepto Confessionis, & Communionis annuæ a Dominica Septuagesimæ usque ad Octavam Corporis Christi in Regno Peruano, & Paraguay. 183

DCIV.

Commissio Collectori Portugalliæ, ut quibusvis personis inhibeat, ne quis Indos Occidentales, & Meridionales vendat, in servitutem redigat, vel uxoribus, filiis, & bonis suis privet. ibid.

DCV.

Privilegia Molitoribus Urbis concessa. 184

DCVI.

Confirmatio patentium Literarum Prioris Generalis Carmelitarum super concessione fundationis unius Eremi in Gallia cum conditionibus in ea insertis. 186

DCVII.

Declaratio, quod per alienationem quorumcumque
† locorum in Statu Ecclesiastico existentium non censetur translatus in acquirentem titulus Ducatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, locis hujusmodi annexus, vel in eis erectus, vel illum transferendi data facultas, nisi in licentia alienandi id expresse concessum fuerit. 187

DCVIII.

Præfinitio numeri Magistrorum Provinciæ Romanæ
† Ordinis Prædicatorum. 189

DCIX.

Quod Priores Provinciales Provinciæ Romanæ Or-
† dinis Prædicatorum debent esse biennales. ibid.

DCX.

Confirmatio concessionum Domorum Regularium de Observantia Fratribus Reformatis S. Francisci
† quomodolibet factarum. 190

DCXI.

Collegia Sancti Nicolai de Anesiaco, & de Ruvere in Civitate Avenionensi subiiciuntur regimini Sacræ Congregationis de Propagaoda Fide. 191

DCXII.

Erectio Custodiarum Fratrum strictioris Observan-
† tiæ S. Francisci Cismontanæ familiæ in Provincias Reformatas. 193

DCXIII.

Quod Secretarii Generales Ordinis Minorum de Ob-
† servantia in Ministrum, seu Commissarium Generalem eligi non possint, nisi transacto sexennio ab espleto suo officio. 195

DCXIV.

Confirmat omnia, & singula privilegia a Clement.
† Oct. Provinciæ S. Jo: Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupat. Regularis Observantiæ S. Francisci in Hispania concessa. ibid.

DCXV.

Erectio Alumnatus pro Abyssinis, ac Bracmanis in Collegio Urbano de Propaganda Fide. 198

DCXVI.

Abrogat omnia, & singula Privilegia personalia per
† Religiosos Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum obtenta, quæ eorumdem Constitutionibus adversantur. 201

DCXVII.

Declarat, quod in Monasteriis S. Basilii del Tardon,
† & S. Antonii de Gualliguillos Choristas, & Sacerdotes quartam, Laici vero alias tres partes constituant. 202

DCXVIII.

Indulgentia Plenaria perpetua pro Confratribus, &
† Consororibus Confraternitatis, sub invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis loci de Chaol Goensis Diœc. in Indiis Orientalibus. 203

DCXIX.

Abrogatio omnium privilegiorum personalium Fra-
† tribus Minorum concessorum. 204

DCXX.

Restitutio Patrum Provinciæ, & revocatio, seu mo-
† deratio Motus proprii Gregorii xv. pro tota Familia Ultramontana Ord. Min. S. Franc. de Observ. 205

DCXXI.

Declaratio, quod quæcumque pactiones particula-
† rium personarum super Montibus, vel Locis Montium quocumcumque factæ absque Sanctæ Sedis, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendum literas patentes deputatorum licentia, non attendantur, nec afficiant Montes, & Loca hujusmodi. 206

DCXXII.

Contra Superiores Ordinis Minorum Sancti Fran-
† cisci de Observantia, & Reformatorum, qui favores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates, & gratias concedunt. Et contra eosdem Fratres dictos favores conquirentes &c. 208

DCXXIII.

Quod Consilium Status Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Sede Magistrali vacante, possit quidem uti sua Ordinaria auctoritate in providendo rebus dicti Hospitalis, & Insulæ Melevitanæ, non tamen adimere, seu diminuere privilegia, redditus, & jura Magno Magistro competentia. ibid.

DCXXIV.

Quod Ministri Provinciales Indiarum Ordinis Mi-
† norum Sancti Francisci de Observantia pro tempore existentes possint mittere Commissarios, qui eorum nomine in Capitulo Generali suffragium ferant. 209

DCXXV.

Confirmatio Decreti Congregationis Regularium
† circa delationem Habitus Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci. 210

DCXXVI.

Facultas Georgio Conzo Scoto conceditur nominandi Præpositum pro Catholicis Angliæ. 211

Sequitur Breve deputationis favore personæ a prædicto Conzo eligendæ. 212

DCXXVII.

In locum Episcopi Pisauren. subrogatur Gaspar Archiepiscopus Atheoarum, apud Ferdinandum Rom. Regem in Imperatorem electum Nuncius, ut ipse Archiepiscopi Treveren. processum videat, & consideret. ibid.

DCXXVIII.

Episcopo Civitatis Castelli committitur Inquisitio in Rempublicam Lucanam super nonnullis attentatis contra libertatem Ecclesiasticam. 213

DCXXIX.

In idem Argumentum, addita nonnullarum facultatum concessione eidem Episcopo Pisauren. Judici delegato. 215

DCXXX.

In Idem Argumentum cum additione aliarum facultatum. 217

DCXXXI.

Declarat Lapides Cogoli volgo nuncupatos, conflandæ Crystalli massæ aptos, qui in Agro Romano ubivis, etiam sub terra, seu [illegible] reperiuntur, comprehendi inter regalia Sedis, & Cameræ Apostolicæ. 219

DCXXXII.

Deputatio Francisci Castagnacci in Procuratorem Fiscalem Causæ, & Causarum [illegible] Antianos, Vexilliferum, & alios Officiales, & Ministros

nistros Reipub. Locanæ. 220

DCXXXIII.

Declarat Religiosos Congregationis Pauperum Ma-
† tris Dei Scholarum Piarum, circa nullitatem professionis reclamantes, esse veros professos: Et qui professionem ante vigesimum primum annum emiserunt, esse veros Clericos. 221

DCXXXIV.

Comitem de Olivares hortatur, ut curet reditum in Portugalliæ Regnum Collectoris spoliorum, utque ille munere suo absque ullo impedimento fungi valeat. 222

DCXXXV.

Facultas Nuncio Hispaniarum, & Collectori Portugalliæ absolvendi eos, qui Collectorem Spoliorum, ac ejus familiam, res, & bona, necnon ipsius officium verbo, aut factis offenderunt, eorumque complices, & fautores. 223

In idem Argumentum Philippo Regi. ibid.

In idem Argumentum Margaritæ a Sabaudia ProReginæ. 224

DCXXXVI.

Confirmatio Decreti S. P. Q. R. quo statuitur, Notarios Capitum Regionum Urbis ex Collegio Notariorum Capitolinorum esse eligendos. 225

DCXXXVII.

Erectio Provinciæ S. Antonii Regni Portugalliæ Or-
† dinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum ad instar Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum in Hispania. 226

DCXXXVIII.

Pro qua summa Moniales Ordinis S. Claræ Hispaniarum exemptæ sint a Decimarum solutione. 228

DCXXXIX.

Regolares in Aquen. Provincia Provinciæ quoad curam animarum sunt subjecti Jurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Episcoporum. 230

DCXL.

Facultas Episcopo Neocastren. Collectori Generali in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis exercendi suam Jurisdictionem tam in subditos, quam non subditos ubivis locorum, etiam extra dicta Regna. 231

DCXLI.

Facultas Collectori Portugalliæ absolvendi illos, qui bona ecclesiastica, Cappellas inibi nuncupata occuparunt, vel etiam Ecclesias molestarunt. 233

DCXLII.

Improbat accessum Collectoris Spoliorum C. A. Matritum ad Regis Aulam. ibid.

DCXLIII.

Canonicis Pœnitentiariis, Theologali, & Doctorali Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Regnorum Castellæ, & Legionis prohibetur, quominus a suis absint Ecclesiis, & in casu absentiæ fructus Præbendarum eis minime solvendos esse declaratur. 234

DCXLIV.

Quod Fratres Minores Conventuales, tamquam Men-
† dicantes, prohiberi non possint ab Ordinariis locorum, seu aliis Regularibus, quominus seipsos in locis ubi habent Conventus, eleemosynas quærant. 236

DCXLV.

Erectio Custodiæ Reformatæ Transilvaniæ Fratrum
† Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ. ibid.

DCXLVI.

Opus Redemptionis Captivorum Calceatis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum privativè addicitur. 237

DCXLVII.

Prohibitio, ne de cætero in Monasteriis Monialium Ordinis Prædicatorum Provinciæ Andalotiæ, & eorum Ecclesiis, comediæ recitentur. 239

DCXLVIII.

Facultas Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani imponendi quoddam vectigal super rebus comestibilibus pro muniendis Insula Melitensi, & Gozzi. ibid.

DCXLIX

Facultas Episcopo Civitatis Castelli contra Rempublicam Lucanam ecclesiastico interdicto subiciendi. 241

DCL.

Declaratio mentis circa reductionem onerum quorum-
† dam beneficiorum. 242

DCLI.

Prohibitio erigendi nova loca sub titulo de Propaganda Fide ubique Terrarum absque facultate Sedis Apostolicæ. 243

DCLII.

Confirmatio Decreti a Magistro Generali Ordinis S.
† Spiritus de consensu vocalium dicti Ordinis facti, quo cavetur, ne ullus imposterum in Ordine hujusmodi admittatur, nisi prius per continuum annum saltem in aliquo Archihospitalis S. Spiritus de Urbe Ministerio, se laudabiliter gesserit. 244

DCLIII.

Nonnullæ facultates Congregationi Propagandæ Fidei conceduntur super Collegiis Avenionensibus ibid.

DCLIV.

Declarat Civitatem Sarsinæ, ac Terram Meldulæ, & Castrum del Rio in Provincia Romandiolæ existentia comprehendi sub Legatione Romandiolæ 246

DCLV.

Pro restituendo, ac conservando in Ordine Fratrum
† Minorum S. Francisci de Observantia disciplinæ regularis candore. ibid

DCLVI.

Confirmatio nonnullarum Declarationum Congregationis Concilii Tridentini, videlicet Episcopum posse sine Adjunctis procedere contra Coadiutorem, nisi ei fuerint concessa omnia privilegia, quæ habent Canonici, ac Episcopum super hoc per Capitulum impediri non posse, nec ipsos Capitulares posse mulctare Episcopum, sed solum ad superiores appellare 248

DCLVII.

Confirmatio electionis S. Dominici in Patronum Civi-
† tatis Neapolitanæ, & totius Regni. 249

DCLVIII.

Statuta Generalia a Sanctissimo Domino Nostro Urba-
† no Octavo in forma speciali, & ex certa scientia, ac cum præinsertione ipsorum literis sequentibus confirmata. ibid.

DCLIX.

Declarat illos, qui Collectorem Portogalliæ molestarunt, non posse a quoquam etiam vigore Cruciatæ Sanctæ absolvi a censuris, & interdicto 257

DCLX.

Quæcumque privilegia nemini suffragari decernit, quominus interdicto subiaceat Collectore Portogalliæ publicato, seu publicando. 258

DCLXI.

Breve exequtoriale super Literas Apostolicas Cle-
† ment. Octavi, ac Urbani Octavi, ac super Statuta pro Indiarum Provinciis Fratrum Minorum de Observantia, quod mittere possint Commissarios ad Capitulum Generale. 260

DCLXII.

Indultum Philippo IV. Regi Catholico nominandi ad Monasteria, Prioratus, & Præposituras in Belgio, & Comitatu Burgondiæ. 262

Con-

Index Rubricarum.

DCLXIII.

Confirmatio Declarationis Constitutionis Clementis Papæ viii. de largitione munerum Regularibus † utriusque sexus interdicta. 253

DCLXIV.

Quod Prior Provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum Provinciæ Poloniæ sit biennalis † dumtaxat, ad instar Romanæ, & Lombardiæ dicti Ordinis provinciarum. 265

DCLXV.

Concessio Nuncio Apostolico apud Helvetios, ac Rhetos circa conferenda Beneficia curata, quæ personis idoneis male collata fuerunt. ibid

DCLXVI.

Restitutio viæ antiquæ, & Postarum a Terra Montis † Rosarum per Loca, & Territoria immediate subiecta Sedi Apostolicæ Viterbium usque. 256

DCLXVII.

Facultas Archiepiscopo Ragusino convertendi piorum legatorum medietatem in reparationem Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac mœnium Reipublicæ Ragusin. 258

DCLXVIII.

Confirmatio Decreti Congregat. Visitationis Apostolicæ, quo Ruthenis unitis conceditur Ecclesia Sanctorum Sergii, & Bacchi in urbe cum suis pertinentiis. 259

DCLXIX.

Confirmatio Constitutionum Pii Papæ V. & Gregorii † xiii. prohibentium quasdam Theologorum sententias, & opiniones. Necnon prohibitio libri, cui titulus, Augustinus, Cornelii Jansenii, olim Iprensis Episcopi. 270

DCLXX.

Jubilæum Universale ad divinam opem implorandam. 276

DCXXI.

Quod Laici, seu Conversi Ordinis Minorum suffragen† tur in admissione Novitiorū ad professionem. 278

DCLXXII.

Declaratio nullitatis Decretorum, & gestorum per Nuncium Hispaniarum tamquam Sedis Apostolicæ Jurisdictioni, & libertati ecclesiasticæ adversantium. 280

DCLXXIII.

Decretum publici, & secreti Consilii populi Romani de anno 1622. emanatum, quo præscribitur, quod Notarii Curiæ Capitolinæ esse debeant Notarii Capitum Regionum Urbis extenditur ad Protonotarium ejusdem Curiæ, & Notarios Conservatorum, & Camerarii Ripæ. 282

DCLXXIV.

Commissio Ordinario Colonien., personas ecclesiasticas compellendi ad solutionem vectigalium, grani, farinæ, & vini ad quinquennium tantum. 283

DCLXXV.

Collegium Urbanum regimini Card. S. Honuphrii, & S. Congregationis de Propaganda Fide additur. 284

DCLXXVI.

Constitutio super præservatione Jurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque † ecclesiasticarum a quibuscunque præjudicialibus. 289

DCLXXVII.

Quod Notarii etiam in Archivio Romanæ Curiæ de† scripti vacabilia Notariatuum officia non habentes, nulla transumpta Literarum Apostolicarum facere possint, habentes vero, nonnisi de Datarii licentia, sub pœnis hic expressis. 295

DCLXXVIII.

Declaratio super præservatione Jurium Sedis Apostolicæ, Jurisdictionisque, immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ. 296

DCLXXIX.

Commissio Ludovico Piccardo, ut visitet Statum Castrensem. 297

Sequitur Commissio eidem Lodovico visitandi Terram Montis Alti. 298

DCLXXX.

Mandatum Gubernatoribus, & Officialibus Ducatus Castri, ut statim ac præsentes literas viderint, recipiant Ludovicum Piccardum cum septem fratrem socius in Civitate Castren., ejusque Arce, & Fortalitiis, ut videant, & describant milites, & arma. ibid.

DCLXXXI.

Prohibitio ne Religiosi Præmonstratenses Hispaniæ ge† stent habitum noviter assumptum, nec dimittant prænomen Fratris. ibid.

DCLXXXII.

Quod Commissarii Generalis Indiarum Ordinis Fra† trum Minorum Regularis Observantiæ S. Francisci non possint dispensare in Constitutionibus generalibus Ordinis. 299

DCLXXXIII.

Pro bono regimine Fratrum Reformatorum Strictio† ris Observantiæ Italiæ, quod instituant professoria, & Lectionem Theologiæ moralis, ac mysticæ. 300

DCLXXXIV.

Prohibet quibusvis personis in cathalogo Universitatis Studii Generalis Bononien. non descriptis ne doceant scientias, quæ in eadem Universitate legi solent. 301

DCLXXXV.

Quod Fratres cujuscumque gradus, & dignitatis, com† morantes in Conventu Aracelitano sint sub obedientia, & directione Commissarii Generalis Ordinis. 302

DCLXXXVI.

Quod Fratres Congregationis Jesuatorum S. Hierony† mi, ab Ordinariis approbati, sacramentales utriusque sexus Fidelium confessiones libere, & licite audire valeant, illisque injunctis injungendis absolutionem salutarem impendere. 303

DCLXXXVII.

Methodus exigendi spolia Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac fructuum Ecclesiarum vacantium in Insula Sardiniæ præscribitur. 304

DCLXXXVIII.

Applicatio nonnullorum redditunm Collegii Bononien. Montis Alti nuncupati Triremibus Sedis Apostolicæ, cum reductionum scholarum ad triginta. 305

DCLXXXIX.

Commissio Vicecollectori Jurium Cameræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis circa custodiam, detentionem, & translationem quorundam officialium Sedis Apostolicæ. 307

DCXC.

Facultas Vicecollectori in Portugallia absolvendi illos, quorum jussu, opera, & consilio nonnullæ personæ ecclesiasticæ carceribus mancipatæ fuerant. 308

DCXCI.

Declaratio, & moderatio facultatum Eminentissimo† rum, & Reverendissimorum DD. Card. Archipresbyterorum, ac Protectorum, & Titularium Ecclesiarum, & locorum piorum Urbis. ibid.

DCXCII.

Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci de observan† tia, & Reformatis Regni Franciæ æque jus tribuitur Laicos ad tertiariorum habitum admittendi. 310

DCXCIII.

Prohibitio ne in Ecclesiis Civitatis, & Diœcesis His† palen. sumatur Tabbaccum. 311

Decla-

Index Rubricarum.

DCXCIV.

Declaratio circa exactionem taxæ Collegio Subdiaconorum Sedis Apostolicæ assignatæ ratione provisionum Ecclesiarum Palliis insignitarum. † 312

DCXCV.

Confirmantur nonnulla antiqua Decreta, & statuta a Notariis Auditoris Cameræ pro bono gubernio Tribunalis dicti A. C., substitutorum renovata, 314

DCXCVI.

Decreta nonnulla edita in Definitorio Provinciæ Sancti Francisci Galliæ Fratrum Ordinis S. Francisci Recollectorum extenduntur ad omnes d. Regni Provincias. 316

DCXCVII.

Quod concordato, & invitato Parocho, cadavera Defunctorum possint Sepulturæ tradi per Regulares Ordinum Mendicantium Provinciæ Rustiæ absque alio Parochi consensu. 318

DCXCVIII.

Facultas Thesaurario Generali Cameræ Apostolicæ deputandi Exactores Jurium, & spoliorum Cameræ prædictæ debitorum in Cathalonia, & Commitatibus Ceritaniæ, & Rossilionis ob bellorum motus, ibid.

DCXCIX.

Facultas Patriarchæ Constantinupolitano, & Archiepiscopo Damiaten. Nunciis Hispaniarum exercendi suum munus, etiam extra Regna Hispaniarum, quatenus ex ipsis Regnis expellantur, vel discedere cogantur. 319

DCC.

Constitutio circa formam, & habitum Sacrarum Imaginum. † 321

DCCI.

Mandatum Ordinariis Galliæ, ut deputent Conventus in singulis Provinciis pro reformatione Fratrum Reformatorum S. Francisci, 322

DCCII.

Prohibitio extrahendi libros e Bibliothecis Conventuum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, Congregationis Hispaniæ. † 323

DCCIII.

Pro Capitolo, & Canonicis Majoricensibus, quod contra ipsos ab Inquisitoribus Majoricensibus procedi non possit, nisi in causis Fidei. † 324

DCCIV.

Quod Fratres Conventus SS. Crucifixi loci Promontorii Januensis Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Januensis Vicario Generali ejusdem Congregationis remaneant subjecti. † 325

DCCV.

Confirmatio Brevis Gregorii xiii. cum aliis clausulis ad favorem Provinciarum Discalceatorum S. Francisci in Regnis Hispaniarum. † 326

DCCVI.

Deputatio Collectoris spoliorum ad R.C.A. spectantium in Principatu Cathaloniæ, ac Commitatibus Rossilionis, & Ceritaniæ. 327

DCCVII.

De non recipiendis pecuniis pro Missis celebrandis in Provincia Reformata Fratrum Minorum de Observantia Vallis Mazzaræ in Sicilia. † 330

DCCVIII.

Confirmantur privilegia Universitati Hebræorum, Turcarum, Græcorum, & aliorum Mercatorum in Civitate Anconitana commorantium concessa. 331

DCCIX.

Declaratio nullitatis Capitulationum inter Capitulum Colonien. seu cum Maximiliano Henrico ex Ducibus Bavariæ factarum occasione Coadjutoriæ Ecclesiæ Colonien. ibid

DCCX.

Committitur Auditori Cameræ, ut procedat contra Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ in Ducatu Parmensi. 332

DCCXI.

Commissio Nuncio Sabaudiæ circa dimissionem Cardinalatus Mauritii Cardinalis a Sabaudia nuncupati. 333

DXXXII.

Quod Commissarii Provinciales Indiarum ad Capitula Generalia Ordinis Fratrum Minorum convenientes, suis Custodibus in labore, & præmio æquales habeantur. 334

DCCXIII.

Confirmatio Decreti Clem. Papæ viii. prohibentis fieri uniones Beneficiorum dispositioni Sedis Apostolicæ reservatorum, vel affectorum, cum declaratione, quod decretum hujusmodi comprehendit etiam S. R. E. Cardinales, & alios indulta conferendi reservata habentes, quodque illi non potuerunt, nec possunt conferre Beneficia duplici reservata, vel affecta. † 335

DCCXIV.

Constitutio circa utensilia Sacristiæ Pontificiæ post obitum S. R. E. Cardinalium debita. † 336

DCCXV.

Significat Regi Christianissimo, spectare ad Sedem Apostolicam privative quoad alios quoscumque cognitionem, & decisionem controversiarum inter Abbatissam Generalem Ordinis Fontis Ebraldi, & Monachos ejusdem Ordinis, vertentium super observatione Regulæ, & communicatione statutorum dicti Ordinis 338

DCCXVI.

Sequitur Breve Joannæ Baptistæ de Bourbon. Abbatissæ Generali Ordinis Fontis Ebraldi, in idem argumentum. ibid.

DCCXVII.

Declarat cognitionem causarum super prætensa fabricatione monetæ adulterinæ, ac tonsione monetæ aureæ, & argenteæ in insulis Siciliæ ultra Pharum, & Melevitana contra personas Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, spectare ad Magnum Magistrum, Consilium, & Conventum dicti Hospitalis. 339

DCCXVIII.

Irritatio Pactionum factarum occasione Coadjutoriæ Ecclesiæ Ratisbonensis. 340

DCCXIX.

Confirmatio Decreti Sacræ Congregationis Rituum, quo decernitur Protonotarios Apostolicos non participantes præcedere debere Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, quando dicti Canonici collegialiter non incedunt. 341

DCCXX.

† Pro observatione Festorum. ibid.

DCCXXI.

Committitur Episcopis Silvanecten., & Redonen una cum Definitore Generali Fratrum Reformatorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia erectionem Custodiæ pro dictis Reformatis in Gallia cum assignatione Conventuum. 343

DCCXXII.

Declarat Inquisitores Officii Inquisitionis Majoricen. non posse procedere contra Parochialium Ecclesiarum Rectores, & reliquos Sacerdotes, Curatos, & simplices Ecclesiasticos Minoricæ, & Majoricæ Insularum, nisi pro causis fidei, vel ab eis dependentibus. ibid.

DCCXXIII.

Irritatio actorum omnium, quæ in præjudicium Ecclesiæ Papien, Sede Episcopali vacante per Regios Ministros gesta sunt. 344

Prohi-

Index Rubricarum.

DCCXXIV.

Prohibitio ne Fratres Laici, seu Conversi Ordinis † Fratrum Minorum strictioris Observantiæ S. Francisci, præcedant Clericos professos sub pœna excommunicationis. 346

DCCXXV.

Quod electiones Prominiſtrorum Custodum, & Guar- † dianorum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, ac Reformatorum Cismontanæ Familiæ, extra Capitulum fiant per suffragia secreta, & ballottationes. 347

DCCXXVI.

Confirmantur nonnulla Decreta Congregationis Concilii Triden. pro Ecclesia Gandaven. 348

DCCXXVII.

Facultas Cardinali Antonio Barberino deputandi personas ad compilandos Processus contra Ducem Motinensem, eiusque Officiales, tamquam immunitatis ecclesiasticæ, juriumque Sedis Apostolicæ violatores. 349

DCCXXVIII.

Declarat a Delegatis per se in causa amotionis P. Nicolai Rodulphi a Magisterio Generali Ordinis Prædicatorum, & electionis alterius Magist. Gen. procedendum esse extra judicialiter. ibid.

DCCXXIX.

Cavetur quominus Doctoribus Collegiatis Studio Bononien. ut in venditione Locorum redemptorum Montis Annonæ tertiæ erectionis a Regimine, & Administratoribus Gabellæ prædictæ præjudicium non inferatur. 351

DCCXXX.

Modus præcedendi inter Fratres Minores Strictioris † Observantiæ S. Francisci Familiæ Cismontanæ. 352

DCCXXXI.

Confirmatio Privilegiorum, & declaratio statutorum † pro gubernio Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum, ac Indiarum. 358

DCCXXXII.

Confirmatio Decreti Congregationis Concilii, quod Episcopi Saonen. non possit impediri a visitatione Hospitalis Beatæ Mariæ de misericordia Civitatis Saonen. 357

DCCXXXIII.

Indultum Alumnis Collegii Scotorum Parisiis suscipiendi Sacros Ordines absq; Literis Dimissorialibus, & titulo. ibid.

DCCXXXIV.

Privilegia concessa Universitati, & Personis Mercato- † rum Fundaci, & mercantiæ Urbis. 358

DCCXXXV.

Indulgentia perpetua in Ecclesiis Fratrum Tertii Or- † dinis Sancti Francisci pro Festo Portiunculæ. 359

DCCXXXVI.

Erectio Provinciæ Reformatæ S. Vigilii Fratrum Mi- † norum S. Francisci Strictioris Observantiæ. 360

DCCXXXVII.

Erectio Monasterii Monialium SS. Quatuor Coronatorum de Urbe pro puellis Orphanis ibi educandis. 361

DCCXXXVIII.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis Domo- † rum Regularium totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum. 363

DCCXXXIX.

Mandatur, in Ecclesiis Fratrum Discalceatorum Sancti Francisci Provinciæ Sancti Gabrielis circa Sepulturam Defunctorum servanda esse Clementinam secundam, & Decreta Congregationum Rituum, Concilii, ac Episcoporum, & Regularium. 364

DCCXL.

Subrogat Archiepiscopum Cameracen., ac Audomaren., & Ipren. Episcopos, & quemlibet ipsorum in locum Ordinariorum in Anglia ad effectum tantummodo auctoritate ordinaria legitime instituendi processus super causa, & genere Mortis eorum, qui pro Fide Catholica in Anglia patiuntur. 366

DCCXLI.

Declaratio circa facultatem dispensandi cum Regu- † laribus super voto de non procuranda, nec acceptanda dignitate extra Religionem. ibid.

DCCXLII.

Quod Fratres Discalceati Ordinis Regularis Obser- † vantiæ S. Francisci in Regno Hispaniæ, non possint commorari in ædibus secularium. 368

DCCXLIII.

Pro Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Stri- † ctioris Observantiæ Discalceatorum Provinciarum, Ecclesiarum, & Conventuum Hispaniarum, circa Visitationem, Præcedentiam, & Sepulturam Defunctorum. 369

DCCXLIV.

Declarantur nullæ depositio, amotio, seu absolutio Nicolai Rodulphi a Magisterio Generali Ordinis Prædicatorum, & electiones factæ alterius Magistri Generalis. 371

DCCXLV.

Pro tollenda controversia inter Fratres Minores Con- † ventuales, & Minores de Observantia S. Francisci circa eleemosynas Cappellæ de Portiuncula nuncupatæ, erogari solitas. 374

DCCXLVI.

Annullatio Capituli Generalis Ordinis Fratrum † Prædicatorum Genuæ celebrati, & convocatio Capituli generalissimi ejusdem Ordinis in Urbe pro Anno 1644. 374

DCCXLVII.

Facultas Congregationi Cassinensi conceditur im- † ponendi Census super bonis usque ad summam scutorum ducentorum quinquaginta millium. 377

DCCXLVIII.

Licentia Ecclesiasticis Regni Valentiæ concurrendi cum laicis per duos menses in contributione pro duobus Militum millibus. 379

DCCXLIX.

Constitutio super recitatione, & decantatione Hy- † mnorum Breviarii Rom. Suæ Sanctitatis auctoritate recognitorum in quibuslibet Ecclesiis 380

DCCL.

Indultum celebrandi Missam, & recitandi Officium † de Beato Martyre Josaphato Archiepiscopo Polocensi, Monacho Ordinis S. Basilii. 381

DCCLI.

Quod festum S. Norberti celebretur die 11. mensis Ju- † lii, ac Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Ordinis Præmonstratensis eodem die confessis, ac communione refectis. 382

DCCLII.

Jubilæum pro Christifidelibus in Hyberniæ Regno morantibus. 383

DCCLIII.

Absolvit Collegium Cursorum a quocumque interesso inito per eos, & confirmat decretum ab eo factum. 384

DCCLIV.

Sententia executorialis A. C. in controversia super † jure præcedendi in Processionibus inter Frat. Ordinis Eremitarum S. Augustini Provinciæ Hispalensis, & Discalceatorum nuncupatorum Sancti Francisci, extenditur ad alias Provincias ejusdem Ordinis S. Francisci. 385

Man-

DCCLV.

Mandat Inquisitori Majori Portugalliæ, ne ipse, & alii Inquisitores molestias inferant Rectori, Lectori, Collegialibus, aliisque Ministris Universitatis studii generalis, & Regii Civitatis Eboren. 387

DCCLXVI.

Commissio Vicecollectori Portugalliæ, ut defendat, & liberet Rectorem, & alios universitatis studii Generalis Eboren. Civitatis a molestiis eis allatis ab Inquisitoribus Sacræ Inquisitionis Officii. 389

DCCLVII.

Declarat Congregationis Bursfeldensi Ordinis S. Benedicti, & omnibus militantibus sub eadem Regula utendum esse Breviario Benedictino a Paulo V. reformato. ibid.

DCCLVIII.

Commissio A. C. procedendi contra Rempublicam Venetam, Magnum Ducem Hetruriæ, ac Mutinæ, & olim Parmæ Duces nonnullarum Terrarum S. Sedis Apostolicæ invasores. 390

DCCLIX.

Quod Provinciales, Priores, & alii Officiales Ordinis † Fratrum Prædicatorum realiter, & cum effectu per totum tempus a Constitutionibus præscriptum durare possint, & valeant. 392

DCCLX.

Præceptum Nunciis Sedis Apostolicæ in partibus Germaniæ inferioris, ut eorum quilibet scripturas concernentes directionem dictæ Nunciaturæ conservare, & consignare debeat suo Successori, accepta ab eo consignationis quietantia anthentica. 393

DCCLXI.

Facultates Cardinali Dongho ad paciscendum cum Republ. Veneta, Principibusque illi confederatis, & Odoardo Farnesio olim Duce Parmensi. ibid.

DCCLXII.

Facultas Auditori Generali Triremium Pontificiarum procedendi contra Fratres milites Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani inobedientes in dictis Tiremibus pro tempore existentes. 394

DCCLXIII.

Quod in principio cujuslibet anni eligi debeant duo Adjuncti, seu Conjudices ex Capitulo Ecclesiæ Celsonensis: quo vero ad processus criminales contra Canonicos, per Episcopos Celsonen. serventur leges Concilii Tridentini. ibid.

DCCLXIV.

Ut deinceps Consiliarii, ac Promotores Fiscales, necnon Inferiores Inquisitores Hispaniarum, esse debeant constituti in Sacris tempore suarum deputationum. 396

DCCLXV.

Ut deinceps Inquisitores Generales non deputent Inquisitores, ac Notarios de secreto nuncupatos, supranumerarios in Regnis Hispaniarum sub nullitatis poena. ibid.

DCCLXVI.

Quod Provincia S. Gabrielis moderetur cum solis sta† tutis municipalibus, & gaudeat omnibus privilegiis aliarum Provinciarum Fratrum Discalceatorum S. Francisci: 397

DCCLXVII.

Seminarium Præmonstratensis in Civitate Colonien. protectioni Congregationis de Propaganda Fide subricitur. 398

DCCLXVIII.

Prohibitio Auditoribus Sacræ Rotæ Romanæ, ac eo† rum Locatenentibus, & studii Adjutoribus, &c. ne vota sua, vel suorum Coadjutorum, & alia, quæ in Rota tractantur, cuiquam patefaciant. 399.

DCCLXIX.

Confirmatio Literarum Pauli V., & Gregorii XV. de approbandis iis, qui ad curam animarum Ecclesiarum Parochialium de Jurepatronatus Monachorum Claustralium Ordinis S. Benedicti Provinciæ Tarraconen., & Regni Aragonum eliguntur. 401.

DCCLXX.

Suppressio Or. SS. Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus 401.& 405

DCCLXXI.

Indulgentia Plenaria in Forma Jubilæi ad Divinam opem implorandam in Alma Urbe concessa. 404

DCCLXXII.

Mandat Nuncio Apostolico Coloniæ, ut ad Civitatem Monasterien. se conferat, pacisque tractatibus adsit. 406

DCCCLXXIII.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis, & Para† menta ex Sacristiis Domorum Regularium Provinciæ Granatensis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum Nuncupatorum. 407

DCCLXXIV.

Nonnulla statuuntur circa Concessionem agrorum ad Ecclesiam spectantium in Regno Corsicæ in Emphiteusim perpetuam, & reductionem decimarum novalium. 408

DCCLXXV.

Dotatio Ecclesiæ Porphirien in partibus Infidelium in sex millibus scutis moneta Romanæ. 409

DCCLXXVI.

Altare privilegiatum pro omnibus, & singulis Con† ventibus Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ S. Francisci in Regno Hyberniæ existentibus. 410

DCCLXXVII.

Confirmantur statuta nonnulla edita pro regulari observantia Fratrum Ordinis Carmelitarum Provinciæ Narbonensis. 411

DCCLXXVIII.

Indultum nominandi ad Ecclesias, & Monasteria Britanniæ, & Provincia Provinciæ Regi Christianissimo conceditur. 412

DCCLXXIX.

Deputantur Gubernatores Perusin., Urbevetan., & vice Legati Ferrar. ad recipienda loca Status Ecclesiast. occupata occasione nuperi Belli. 413.414.

DCCLXXX.

Erectio Confraternitatis in Ecclesia Cappella nuncupata Palatii Cæsarii Viennæ. 415

DCCLXXXI.

Extensio Constitutionis, *Alias a Nobis &c.* ad Pro† vincias S. Josephi, ac Indiarum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, scilicet, quod in processionibus competit eis dignior locus supra Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini. 416

DCCLXXXIII.

Mandat, ut hymni emendari, sive de integro conditi Breviarii Romani, notisque musicis impressi Typis Plantinianis non vero antiqui decantentur in omnibus orbis Christiani Ecclesiis. 418

DCCLXXXIII.

Clero Regni Poloniæ facultas conceditur concurrendi cum Laicis in contributione Regi facienda. ibid.

DCCLXXXIV.

Confirmatio Decreti Capituli Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. M. de Monte Carmelo † primitivæ Observantiæ, de Monialibus supranumerariis. 419

DCCLXXXV.

Indultum Nobilibus Anconitanis exercendi artes Lanariam, & Sericeam, ac Mercaturam certarum Mercium, sine præjudicio Nobilitatis. 420

DCCLXXXVI.

Confirmatio Brevium Sixti V. Pauli V., & Gregori XV. super prohibitione quibusvis personis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ, ne detineant quævis Bona ad loca Terræ Sanctæ spectantia, sed illa si penes se sint, locis hujusmodi, seu eorum agentibus restituant. ibid.

DCCLXXXVII.

Declarat munus Protectoris Collegii Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci in Conventu Sanctorum XII. Apostolorum de Urbe, & Collegii Montis Alti in Civitate Bononien. a Sixto V. erectorum spectare ad Cardinalem Pallottum uti antiquiorem Cardinalem ex Provincia Marchiæ, non autem ad Cardinalem Montaltum ejusdem Pontificis Consanguineum. 423

DCCLXXXVIII.

Clerici conjugati Insulæ Melevitanæ quoad functiones Militares Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani subjiciuntur cum prohibitione, ne eis concedantur exemptiones. 424

DCCLXXXIX.

Facultas quibusvis Rectoribus, ac defensoribus, & Superioribus quarumcumque Ecclesiarum consignandi Capitaneis, & aliis Officialibus Triremium Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Remiges voluntarie obligatos *Bonas voluntates* nuncupatos, qui ut servitium remigandi declinent, ad Ecclesias confugiunt. ibid.



IN-

INDEX
INITIALIS BULLARUM
HUJUS VOLUMINIS.

A

ACceptis nuper. 121
Admonemur. 208
Ad Romani Pontificis. 219
Æquum est. 336
Alias ad funestos. 20
Alias a felicis. 45. 69. 140. 181
Alias a Nobis. 34. 43. 71. 96. 151. 152. 176. 260
377. 385.
Alias a Venerabilibus. 156
Alias dilectis. 35
Alias felicis. 23. 165. 171. 326. 38
Alias non. 24
Alias Nos. 42. 104. 339. 343. 397
Alias per Nos. 17. 24
Alias per tunc. 31
Alias postquam. 97. 228. 33
Alias pro Congregatione. 269. 35
Alias pro felici. 35
Alias pro parte 239. 316. 348
Alias recollectæ. 60
Alias sicut. 304
Alias supplicationibus. 99
Altitudo. 93
Apostolatus. 66
Attenuentes. 58

B

BEllum. 393

C

CAtholicæ. 283
Certis de causis. 44
Christifidelium. 303
Christi Salvatoris. 155
Circumspectu. 209
Clamores. 222
Commissum Nobis. 183
Conservationi. 113. 150. 223. 332. 349. 363
Constantis. 18
Constantis fidei. 169
Constantis vestræ. 158
Cum alias Hymni. 380
Cum alias piæ. 56
Cum annis. 124. 344
Cum anno. 158
Cum dilectus. 413. 414
Cum dilecti. 414
Cum ea quæ propter. 195
Cum Ecclesiæ. 311
Cum evenire. 158
Cum hodie. 126
Cum inter. 374
Cum in officiis. 396
Cum Monialium. 239
Cum non sine. 307. 308
Cum Nos. 246
Cum Nos hodie. 313
Cum Nobis nuper. 220
Cum Nos prope. 340
Cum Nos nuper. 319
Cum nonnulli. 412
Cum nuper ad aures. 390
Cum nuper Nos. 81. 296
Cum nuper. 231
Cum ab præsentium. 77
Cum post factam. 162
Cum rationi minus. 187
Cum residentia. 25. 35
Cum sicut &c. 223
Cum sicut accepimus. 4. 9. 16. 25. 40. 41. 76. 82
106. 132. 133. 139. 184. 203. 223. 248. 318
330. 341. 343. 396. 406.
Cum sicut alias. 411
Cum sicut dilectus. 39. 80. 134. 147. 157. 208
236. 299. 346. 359. 416.
Cum sicut dilecti. 105. 113. 114. 183. 226. 318
322. 324.
Cum sicut dilectæ. 121. 178
Cum sicut exponi. 268
Cum sicut Nobis. 3. 170. 174. 233. 265. 295
Cum sicut non sine. 213. 215
Cum sicut pro parte. 65. 398
Cum sicut Venerabilis. 393
Cum sicut Universitas. 331
Cum superioribus. 31
Cum vices illius. 159
Cupientes. 297

D

DEcet Nos. 206
Decet. 266. 280
De juribus Ecclesiarum. 12
De tua. 327
Domini nostri. 249. 265. 372
Dudum a Nobis. 258
Dudum. 312

E

EManarunt. 257. 371
Et si plurimum. 338
Ex incumbenti. 85. 392
Ex injuncti. 190
Ex injuncto. 244
Exponi Nobis nuper. 9. 11. 29. 79
Exponi Nobis. 39. 47. 63. 57. 83. 98. 102. 107
110. 123. 129. 130. 186. 230. 237. 278. 282
314. 325. 333. 357. 364. 369. 387. 389. 394. 399
Exposuit Nobis. 57. 84
Ex quo regimen. 52

G

GRegis Dominici. 115

H

HOdie pro parte. 30. 107. 108
Honorum. 366

In

Index initialis Bullarum.

I

INeminenti. 170
In bis Apostolici. 189
In bis Pastoralis. 208
Injunctam Nobis desuper. 10
Injuncti Nobis. 191. 193
In iis. 407
In iis præcipue. 136
In quantis. 34
In Sede. 381
In specula. 361
In supremo. 87. 249
In supremo justitiæ. 27
Inter cætera. 22
Inter cæteras. 204
Inter gravissimas. 8. 55. 75. 86
Inter multiplices. 302
Justis. 298

L

LIcet alias. 71
Licet vigore. 62

M

MIlitantis. 300
Militantis Ecclesiæ. 5. 246
Magnum in Christo. 103

N

NE nova. 243
Nuper a Congregatione. 263
Nuper a Nobis. 33. 217. 349
Nuper emanarunt. 241
Nuper. 1
Nuper pro parte dilectorum. 11
Nuper pro parte. 22. 36. 38. 68. 109. 110. 127. 138. 145. 148. 153. 154. 161. 173. 189. 210. 225. 379. 408.

O

OLim felicis. 117
Olim postquam. 262
Omnium. 410
Onerosa. 198. 205

P

PAstoris. 415
Pastoralis. 298. 360. 368
Pastoralis muneris. 223
Pastoralis officii. 81
Piis. 366
Postquam annis. 212
Postquam Venerabilis. 125
Pro excellenti. 49
Prospero felicique. 195
Provisionis. 401
Publicæ quietis. 135
Publicis. 276

Q

QUamvit. 303. 335
Quamvis ad ubertatem. 179
Quamvis juxta. 245
Quamvis tam de jure. 78
Quanto. 328
Quantum. 402
Quoniam nemo. 174
Quoniam præseas. 110

R

REligiosos viros. 48. 221. 347
Romanus Pontifex. 201. 284. 289
Romanum decet. 12
Romani Pontifices. 211. 212

S

SAcrosancta. 321
Sacrosanctæ. 166
Salvatoris Nostri. 236
Sancta Synodus. 13
Sæpe convenit. 305
Sincera. 308
Sinceræ Fidei. 128
Super militantis. 224
Super universas. 143. 234. 409
Suscitatis. 404

V

UBeres. 301
Universa. 341
Ut Alumni. 357
Ut Fratres. 394

Z

ZElum. 381

CON.



CONSTITUTIONES URBANI OCTAVI

ANNO XII.

CDXLIX.

Designatio Conventuum pro Novitiatibus Laicorum, seu Conversorum Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo.

Fratres Carmelitæ suam Regulam susceperant ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, quam Honorius III. approbavit in Constitut. LXXVIII. Ut vivendi. *To. III. f. 242. Cappis albis uti jussit Bonifacius VIII. in Const. VII.* Justis. *Tom. III. Par. II. fol.* 80.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Instantia Procur. Gener. Ordinis.

§. 1.



UPER pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Nobis expositum fuit, quod a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Regularium præpositis emanavit Decretum per dilectum filium nostrum Martium Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconum Cardinalem Ginettum nuncupatum, dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Protectorem exponi demandatum infrascripto sub tenore, videlicet:

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

Causæ hujus Const. referuntur, & decretum desuper emanatum.

§. 2. Il Procuratore Generale de' Carmelitani espone all' Eminenze Vostre, come nella sua Religione è stato sempre solito, che i Frati Conversi, seu Laici facessero l' Anno del Noviziato in qualsivoglia Convento in virtù sì delle loro Constituzioni, come anco per concessione della bona memoria di Clemente Ottavo. Ma perchè forsi tale concessione sarebbe troppo ampla, supplica, che almeno si dia facoltà al Padre Generale, che in ogni Provincia d' Italia, ed Isole adjacenti possa designare quattro, o cinque Conventi de' principali, dove sotto la cura di persona idonea detti Conversi, seu Laici faccino l' Anno del Noviziato, quale finito possino poi fare la loro professione solennemente, non ostante li Decreti di Clemente Ottavo bona memoria, ed altri in contrario, che si riceverà a grazia singolarissima.

Decretum Congregat. Episc., & Regular.

§. 3. S. Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit, committendum esse Eminentissimo Cardinali Ginetto Ordinis hujusmodi apud hanc Sanctam Sedem Protectori, prout præsentis Decreti virtute committit, ut pro suo arbitrio, & prudentia, & prout magis in Domino expedire arbitrabitur, Conventus prædictos in singulis Provinciis ad Novitios Laicos, seu Conversos recipiendos designet, contrariis quibuscumque non obstantibus: dummodo in reliquis Novitii Conversi ad habitum, & professionem in ipsis Conventibus, ut supra, designandis admittantur, servata forma Decreti Sanctissimi Domini Nostri super receptione, & educatione Novitiorum ultimo loco editi, necnon felicis recordationis Sixti Quinti, ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum pariter similis memoriæ Clementis Octavi, institutionumque generalium super receptione, & educatione Novitiorum ejusdem Clementis, necnon fel. mem. Pauli Quinti auctoritate editarum.

Romæ die 10. Februarii 1634.

Designatio Conventuũ pro Novitiatibus laicorum.

§. 4. Nos Martius Sancti Angeli in Foro Piscium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Ginettus totius Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Protector, vigore retroscripti Decreti instituimus, deputamus, & designamus in singulis Provinciis Italiæ, & Insularum adjacentium Conventus infrascriptos, videlicet:

In Provincia Sancti Alberti in Sicilia Conventus Placiæ, Melatii, Scicli, Syracusæ, & Mazarini.

In Provincia Romana Conventus Transpontinæ, Sancti Martini in Montibus, Præneste, Velitrarum, & Roncilionis.

In Provincia Lombardiæ Conventus Medio-

Mediolani, Cremonæ, Novariæ, Montis Calerii, & Novarum.

In Provincia Venetiarum Conventus Vicentiæ, Roboreti, & Dezensani.

In Provincia Tusciæ Conventus Pisarum, Prati, Montis Politiani, & Emporii.

In Provincia Romandiolæ Conventus Anconæ, Cæsenæ, Arimini, & Senogalliæ.

In Provincia Neapolis Conventus Capuæ, Nuceriæ, Apuliæ, Beneventi, Salerni, & Aversæ.

In Provincia Apuliæ Conventus Licii, Bitunti, Neriti, Baruli, & Monopolis.

In Provincia Sancti Angeli in Sicilia Conventus Marsalæ, Alcami, Sancti Nicolai de Bononia, Calstanixete, & Racalbuti.

In Provincia Calabriæ Conventus Cosentiæ, Rhegii, Caroleorum, & Catanzarii.

In Provincia Aprutii Conventus Terami, Ortonæ, & Bilanti.

In Granciis Conventus Neapolis, Conventus Summæ, Surrenti, & Concordiæ.

In quibus possint recipi, & admitti ad habitum, & expleto probationis anno ad professionem Fratres Conversi, seu Laici, servata forma decreti Sanctissimi Domini Nostri super receptione, & educatione Novitiorum ultimo loco editi, necnon felicis recordationis Sixti Quinti, ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum pariter similis memoriæ Clementis Octavi, institutionumque generalium super receptione, & educatione ejusdem Clementis, necnon fel. mem. Pauli Quinti auctoritate editarum. Et ita observari mandamus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ die 4. Julii 1634.

Confirmatio Apost. §.5. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Procurator Generalis Decretum præinsertum, Conventuumque prædictorum ad effectum supradictum designationem hujusmodi ab eodem Martio Cardinale ejusdem Decreti vigore factam apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret. Nos eumdem Procuratorem Generalem spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum, & illius vigore factam Conventuum hujusmodi designationem, præinserta apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. §.6. Decernentes illa, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, seu Conventuum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Aug. 1634. An. xii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimasecunda Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLX.

Declaratio circa præcedentias inter Fratres Sancti Francisci de Observantia Reformatos.

De his Fratribus vide signata ad Constitut. LIX. Sacrosanctum. *Tom. V. Par. V. fol. 226.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter gravissimas, multiplicesque apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari solicitudine incumbimus, ut religiosi viri, qui obliti populum suum, & domum patris sui, divini numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter, in spiritu humilitatis, ac sanctitate, & justitia coram ipso.

Dispositio præcedentiarum. §.1. Hinc est, quod Nos felici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia, Reformatorum nuncupatorum, statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes: Motu proprio, & ex certa scientia nostra, harum serie statuimus, atque præcipimus, & mandamus, quod de cætero inter eosdem Fratres Minores Sancti Francisci de Observantia, Reformatos nuncupatos, nulli illorum jus præcedendi, sive honoratioris loci competat, nisi Ministro, Commissario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Ministris Provincialibus, Commissariis, & Vicariis Provincialibus, si fuerint ex Reformatis, Custodibus Reformationum, Commissariis, Visitatoribus, Guardianis, Præsidentibus, seu Commissariis, & Vicariis localibus: qui tamen, expletis eorum officiis, ad locum, & præcedentiam Ordinis redibunt, tam ii, qui jam habitum per dictos Fratres Reformatos gestari solitum susceperunt, & de cætero suscipient, quam ii, qui se a Fratribus de Observantia ad Fratres Reformatos hujusmodi canonice transtulerunt,

runt, & transferent: exceptis tamen iis, qui officio Ministri Generalis, seu Commissarii Generalis Cismontanæ familiæ functi sunt, vel fungentur, qui post Superiores actuales immediate locum habeant.

Clausulæ præservativæ, & decretum irritans.

§. 2. Decernentes præsentes Literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Aug. 1634. An. xii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXI.

Quod Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in Collegio Sanctæ Theresiæ Salamantinæ absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis literarum a Regularibus dicti Ordinis requisitis, in eadem Sacræ Theologiæ Lauream suscipere possint absque expensis.

Dilecto Filio Theodoro Stratio moderno, & pro tempore existenti Priori Generali Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte Fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva.

Cum sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu juxta regularia tui Ordinis instituta apostolica auctoritate confirmata, Ordinis prædicti professores, qui eos cursus, lecturas, vel exercitia literarum peregerunt, quæ secundum eorumdem regularium institutorum formam, & tenorem requiruntur, ejusdem Ordinis Magistros in Sacra Theologia creandi, & instituendi facultatem habeas, dummodo tamen iidem Professores Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream in aliqua approbata Studii Generalis Universitate suscipiant; Quia vero in suscipienda Magisterii, sive Doctoratus in Universitate generali hujusmodi laurea, intolerabiles pecuniarum summæ expendendæ sunt, in magnum pauperrimæ inter Mendicantes Religionis detrimentum, & Collegium Sanctæ Theresiæ Salamantinæ ejusdem Ordinis semper habuit, & imposterum habiturum speratur Regentes, & in eadem Sacra Theologia Magistros doctos, & in literarum exercitiis maxime versatos: Nobis propterea, quod debitus virtutis honos ejusdem Ordinis Provinciarum Hispaniæ, & Lusitaniæ professoribus, qui in artibus, & Sacræ Theologiæ hujusmodi studiis cursum perfecerunt, & aliàs digni, & idonei sunt, sublatis expensis hujusmodi habeatur, humiliter supplicari fecisti, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulget prout in Rubrica.

§. 1. Nos igitur te, ac Provinciarum prædictarum tui Ordinis hujusmodi Professores specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, teque, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, tibi, omnibus, & singulis dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum professoribus, quos absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis literarum a regularibus dicti Ordinis institutis, ut præfertur, requisitis, & servatis aliàs servandis, in eadem Sacra Theologia creaveris, & institueris, quod illi in prædicto Collegio Sanctæ Theresiæ Salamantinæ cum rigoroso examine, & approbatione Regentium, & aliorum Magistrorum ejusdem Collegii, ac servatis aliis conditionibus juxta regularia instituta hujusmodi necessariis, a Superiore ejusdem Collegii, Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream suscipere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate nostra concedendi, & indulgendi, apostolica auctoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, & impertimur. Decernentes irritum, & inane, si secus

secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Aug. 1634. An. xii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimasexta Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXII.

Ex Regest. in Secretar. Brev.

Nuncio Apostolico apud Wladislaum IV. Poloniæ Regem facta potestas Ecclesiasticis Regni ejusdem permittendi, ut Regi subsidium præstare queant.

Venerabili Fratri Honorato Archiepiscopo Lariffen. apud charissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Poloniæ, & Sveciæ Regem illustrem nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Ecclesiasticis Regni Poloniæ aliquod Regi subsidium præstare cupientibus.

§. 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii Clerus Regni Poloniæ provide considerantes, Regnum ipsum gravibus ad præsens necessitatibus urgeri, & imminentia illi pericula tam ecclesiasticis, quam laicis communia; Regni vero prædicti vires adeo exhaustas esse, ut laicorum facultates sufficienti subsidio, quo eisdem necessitatibus subveniatur, & periculis prædictis occurratur, comparando nequaquam suppetant, ideoque pro publicæ salutis, patriæque defensione aliquam pecuniæ summam subsidii nomine charissimo in Christo filio nostro Wladislao Poloniæ, & Sveciæ Regi Illustri nostra, & Sedis Apostolicæ ad id accedente licentia, & consensu, sponte conferri desiderent.

Facultatem ad id concedit Urbanus.

§. 2. Nos prædicti Wladislai Regis, & dicti Poloniæ Regni necessitatibus hujusmodi consulere, periculisque prædictis, quaotum Nobis ex alto conceditur, occurrere volentes, tibi, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis personis ecclesiasticis ejusdem Regni, ut pro necessitatibus, & periculis hujusmodi subsidium prædicto Wladislao Regi, sponte tamen, pro una vice, & summa, quæ eis videbitur dumtaxat; ipsi autem Wladislao Regi, ejusque Ministris, quod subsidium hujusmodi petere, & recipere absque conscientiæ scrupulo, censurarum, & pœnarum ecclesiasticarum incursu, libere, & licite possint, dummodo tamen subsidium hujusmodi in prædictos, & non alios usus convertatur, & erogetur, apostolica auctoritate indulgendi, & licentiam concedendi, ipsosque Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alias personas ecclesiasticas, earumque singulas, quatenus dictam pecuniæ summam absque Sedis prædictæ licentia promiserint, aut solverint, necnon eumdem Wladislaum Regem, & suos Ministros prædictos, si illam similiter absque licentia prædicta jam receperint, ab omnibus, & singulis censuris, & pœnis propterea quomodolibet incursis, eadem auctoritate absolvendi facultatem, & auctoritatem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Immo recusantes vult compelli.

§. 3. Tibique, ut ad exequutionem prædicti subsidii per personas ecclesiasticas tantum, & non alias procedere debeas, eadem auctoritate committimus, & mandamus. Contradictores, ac solvere recusantes, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, eadem auctoritate compescendo.

Obstantia tollit.

§. 4. Non obstantibus Concilii Lateranen., ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore juris clausis, quibusvis generaliter, vel specialiter concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio, seu quævis alia expressio habenda sit, & in eis caveatur expresse, quod per hujusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censeatur, nec derogari videatur, nisi certis modo, & forma, in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes autem Clericos excipit.

§. 5. Volumus autem, ut paoperes Clerici, qui in redditibus non habent, nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur.

Præsentium que Transumptis cre di jubet.

§. 4. Præterea volumus, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, sigilloque personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum

Dat. die 19. Oct. 1634. An. xii.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die decimanona Octobris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXIII.

Præfixio, & approbatio Cœremonialis pro electione Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

Alias leges ediderat pro hujusmodi electione hic idem Pontifex Constitut. CCLXIX. In specula. *Tom. VI. Par. I. fol. 129.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias hic Pont. nonnulla constituit circa electionem M. Magistri hujus Militiæ.

Militantis Ecclesiæ regimini, non meritis nostris, sed inscrutabili divinæ voluntatis providentia vocati, & attenta mentis acie considerantes, Hospitale Sancti Joannis Hierosolymitani in Insula Melitæ Doctoris gentium miraculis celebrata, firmissimum, tutissimumque reipublicæ christianæ adversus impii turcarum tyranni invasiones propugnaculum existere, ejusque Fratres Milites, tamquam veros Christi athletas, pro fidei catholicæ defensione, nullis vitæ periculis parcendo, jugiter laborare: dignum, quin potius debitum reputamus, ut ea, quæ per nostras Literas, Motu proprio expeditas, aliàs statuimus, & ordinavimus pro felici, rectaque Magni Magistri dicti Hospitalis electione, suum debitum sortiantur effectum.

Pro cujus faciliori executione edidit Cœremoniale hic subsequens.

§. 1. Cumque pro faciliori ipsarum Literarum nostrarum exequutione proprium Cœremoniale per nonnullos Romanæ Curiæ Prælatos, religionis zelo, prudentia, fide, doctrina, rerum gerendarum usu, aliisque egregiis virtutibus conspicuos, quibus negotium hujusmodi commiseramus, diligenti, ut res postulabat, adhibito examine, confectum, & a Nobis approbatum fuerit, ut illud cum omnibus, & singulis in eo contentis inviolabiliter perpetuo observetur, ex nostro pastoralis officii debito providendum, ac nostræ apostolicæ confirmationis patrocinio muniendum censuimus.

Tenor autem illius est.

De congregando Capitulo.

Magno Magistro vita functo, congregetur, quam primum fieri poterit, consilium status, sive completum, a quo inter cæteros, præcipue infrascripti fiant.

De Locumtenentis electione, & facultate.

Primo. Deputet, sive eligat Locumtenentem juxta formam Statutorum, seu stabilimentorum dicti Hospitalis apostolica auctoritate confirmatorum, qui juxta Literarum Sanctissimi Domini Nostri Urbani Papæ Octavi desuper emanatarum hujusmodi dispositionem, ea dumtaxat exercere valebit, quæ ad meram justitiam pertinent; non autem cum quovis Fratre Milite dicti Hospitalis, seu alia quavis persona ad habitum Fratrum dicti Hospitalis admitti petente super eu uscumque generis impedimento, vel defectu, etiam in vim quorumcumque privilegiorum, seu facultatum dicta auctoritate concessorum, seu confirmatorum, dispensare; neque cum eodem consilio status, ut sunt, textu alias gratias etiam facere, et habitum dicti Hospitalis concedere, aut exhibere, vel similia: minusque Literas Apostolicas Magno Magistro prædefuncto directas exequutioni demandare, aut alios quosvis actus gratiam concernentes, facere sub pœna in omnibus, vel singulis casibus prædictis, privationis vocis activæ eo ipso incurrenda, & per consilium prædictum, excluso ipso Locumtenente, declaranda: & nihilominus omnia, & singula per eum contra præsentium tenorem quomodolibet gesta, irrita, & inania, nulliusque roboris, & momenti existant: sicque dispensati, & alii quicumque exequutionis Literarum prædictarum, necnon gratiarum eis sic, ut præfertur, a Locumtenente hujusmodi factarum usu, & effectu careant, sed in eodem statu, in quo antea erant, non secus, ac si cum eis super suis impedimentis, vel defectibus dispensatum, gratiæque eis concessæ, ac Literæ Apostolicæ hujusmodi exequutioni demandatæ non fuissent, remaneant.

De exactione rum electione, & auctoritate.

Secundo. Locumtenens, & consilium prædicti tres ejusdem Hospitalis, ac unius, seu diversarum linguarum Fratres Milites fide, & facultatibus idoneos, prout sibi videbitur, deputent, ut in ipsorum sic deputatorum manibus pecuniæ per communis ærarii debitores, durante Sedis Magistralis vacatione, realiter, & cum effectu solvantur, & numerentur: solventes vero solutionum hujusmodi quietantias ab ipsis deputatis reportent. Qui quidem deputati, statim sequuta Magni Magistri electione, pecuniarum per eos receptarum, & exactarum rationem reddere, pecuniasque ipsas Magno Magistro canonice electo, seu Thesaurario, vel aliis Ministris, ad quos de jure, & ex forma statutorum, seu stabilimentorum hujusmodi spectabit, consignare, & restituere teneantur; aliterque factæ solutiones nullatenus solventibus suffragentur: quin adhuc communis ærarii, ad effectum non ferendi suffragium, debitores censeantur.

De Vocalibus.

Tertio. Curabunt iidem Locumtenens, & Consilium Status, ut a qualibet lingua, seu aliis, prout eis celeri expeditioni magis expedire videbitur, eorum Fratrum, qui juxta earumdem Literarum prædictarum formam suffragium laturi sunt, nota, sive catalogus conficiatur, cum eorum nominibus, cognominibus, patriis, & denominationibus, necnon tempore susceptionis habitus, ac residentiæ, & caravanarum per eorum quemlibet factarum: quæ quidem nota, sive catalogus, edicto per eosdem Locumtenentem,

rem, & Consilium Status promulgando inscratur; edictumque hujusmodi in locis publicis, & consuetis, ad hoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contra aliquem etiam alterius linguæ excipere voluerit, infra terminum ab eisdem in dicto termino præfigendum, in actis Cancellarii, seu Vice-Cancellarii, aut cujusvis alterius ad hoc deputandi, jura sua exhibere, & deducere possit: quo termino elapso, & nihil opposito, opponere volentes, postea amplius non audiantur. Præterea juxta Literarum prædictarum dispositionem, etiam vigore cujuscumque privilegii, seu concessionis, etiam specialis a Sede Apostolica obtentæ, sive consuetudinis etiam immemorabilis, aut quovis alio prætextu, in electione Magni Magistri, aut in quovis alio actu, illam concernente, votum, vel suffragium nec ferre, nec passive habere, nec in ea quomodolibet se intromittere, vel immiscere poterit ullus ejusdem Hospitalis Frater, aut Cappellanus, vel Serviens armorum, extra omnium linguarum, sive totius Hospitalis limites natus, cum quo super defectu limitum dispensatum fuerit: nullusque Frater Cappellanus actu Sacerdos non existens: minusque ullus Frater serviens ex mera gratia, & non factis probationibus receptus. Qui omnes propterea, seu eorum aliqui, in catalogo, sive nota hujusmodi poni non debebunt; exceptis tamen Episcopo Melevitano, & Priore Ecclesiæ Conventualis dicti Hospitalis, nunc, & pro tempore existentibus, necnon quovis alio magnæ Crucis Fratre, qui licet extra limites recepti, voto, sive suffragio activo, & passivo gaudebunt respectu electionis 24. dumtaxat, nec in hac prohibitionis parte ullatenus comprehendi, sed ejusdem Episcopi, necnon linguæ Germaniæ jura, privilegia, & prærogativæ, si quæ aliàs illis competunt, præservata censeantur.

De impotentibus ferre votum in scriptis.

Quarto. Iidem Locumtenens, & Consilium ad nominationem eujuslibet eligentium, qui ex aliqua infirmitatis, vel alterius justæ, & rationabilis impotentiæ causa, nomina, cognomina, & denominationes prædicta scribere non poterit, personas deputabunt, quæ eadem nomina, cognomina, & denominationes pro iisdem sic impeditis scribant.

De causarum expeditionibus.

Insuper Locumtenens, & Consilium prædicti decidant, & terminent summarie, sine strepitu, & figura Judicii, etiam manu regia, juxta tamen statuta, stabilimenta, & consuetudines dicti Hospitalis, omni, & quacumque appellatione, restitutione in integrum, & aliis quibuscumque exequutionem retardare valentibus remotis, omnes causas supradictorum gravaminum, & exceptionum, & quamlibet aliam controversiam, etiam xxiv. & xvi Electorum, quas Sede Magistrali vacante oriri contigerit, donec ad Magni Magistri consummatam electionem deventum fuerit.

De modo eligendi.

Conventus vero, & omnes Fratres die, & hora solitis in Ecclesia Conventuali S.Joannis congregentur: & Missa celebrata, Hymnoque *Veni creator Spiritus*, decantato, singuli Fratres jus suffragii vigore Literarum Apostolicarum prædictarum habentes, ad Cappellam unicuique linguæ ad id in eadem Ecclesia destinatam, seu destinandam, accedant; exceptis tamen Fratribus illius linguæ, ex qua dictus Locumtenens extiterit, qui in corpore ejusdem Ecclesiæ Conventualis remaneant. Hi non unum, ut antea consueverant, sed tres Fratres Milites ex unaquaque lingua capaces, ac juxta earumdem Literarum Apostolicarum, necnon statutorum, seu stabilimentorum prædictorum formam qualificatos, in Electores eligant, itaut imposterum non octo tantum Fratres Milites, qui in electores deputabantur, sed vigintiquatuor eligantur. Ipsaque trium Fratrum cujuslibet linguæ electio per secretas schedulas modo, & forma sequentibus fiat: Videlicet, quod omnes schedulæ, vel impressæ, vel una, & eadem manu tantum conscriptæ sint, cum expressione nominum, & cognominum, seu denominationum eligentium, & eligendorum, juxta esemplum infrascriptum.

Exemplum schedulæ electionis.

Ego Frater.
Eligo Fratrem in unum ex xxiv.

Eædem schedulæ super mensa in Cappellis, & Ecclesia Conventuali prædicta respective poni, singulique eligentes soli seorsim, & separatim, aliis inde remotis, ad ipsam mensam accedere, & in superiori schedulæ parte nomen, cognomen, seu denominationem propriam ipsiusmet eligentis, & in inferiori schedulæ parte nomen, cognomen, seu denominationem eligendi, propria manu scribere debeant; itant certa tam eligentis, quam electi persona habeatur: alioquin suffragium sit nullum: exceptis tamen votis illorum, quorum nomina, cognomina, & denominationes iidem Locumtenens, & Consilium ob causas super expressas per aliam personam scribi posse concesserint. Caveant etiam diligenter, ne in qualibet schedula plures, quam unum, nominent, juxta exemplum inferius positum.

Ego

Exemplum schedulæ.

Ego Fr. Sylvester Scotus.
Eligo Fr. Nicolaum la Marra in unum ex xxiv.

De scrutinio.

Ad novum scrutinium toties deveniatur, donec tres supradicti, votis sive suffragiis sufficientibus juxta earumdem Literarum Apostolicarum formam, & tenorem electi fiut.

De schedulæ complicatione, & sigillo.

Quilibet vero eligentium hujusmodi ad mensam prædictam accedens, nominibus, seu cognominibus, aut denominationibus prædictis in sua schedula, ut præmittitur, conscriptis, primo illam in superiori parte complicabit, & communi suæ linguæ sigillo in eadem mensa ad hunc effectum præparando, ita claudat, ut eligentis nomen numquam videri possit, nec ullo umquam tempore publicetur.

Secundo eamdem schedulam ita totam complicabit, ut tunc temporis a nemine legi valeat.

Tertio schedulam ipsam sic complicatam, & sigillo clausam summis digitis elevans, & circumstantibus palam, & publice ad hoc, ut unicam esse, omnibus pateat, commonstrans, alta, & intelligibili voce jurabit juxta sequentem formam.

Forma Juramenti.

De Juramento.

Ego N. Juro, me eligere illum, quem secundum Deum eligendum judico.

Quod quidem juramentum in omnibus aliis electionibus in vim Literarum Apostolicarum hujusmodi faciendis præstari, & renovari debebit.

De positione schedularum in urnam.

Præstito hujusmodi juramento, schedulam prædictam in urnam, seu vas ad hunc effectum in mensa appositum, immittat.

De numeratione schedularum.

Quo facto, tres Fratres Milites antiquiores, & magis antiani, nulla habita præeminentiæ consideratione, ultra alios actus, sibi uti scrutatori competentes, palam, & publice omnibus eligentibus, videntibus, & audientibus, schedulas in urnam, seu vas immissas numerent: & ubi pauciores, seu plures schedulæ numero eligentium repertæ fuerint, illico, & publice comburantur; & toties scrutinium renovetur, donec schedularum numerus eligentium numero coæquetur, illique respondeat.

De publicatione schedularum, & electione 24 Militum.

Comperto autem, numerum schedularum parem esse numero eligentium, scrutatores prædicti legant alta voce, & publicent schedulas in parte sigillo non clausa, publicando propterea personam, quæ in eis eligitur: factaque publicatione hujusmodi, censeantur electi tres Fratres Milites prædicti pro qualibet lingua, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodo singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Quod si nemo, sive duo, aut unus dumtaxat ex tribus eligendis, hanc quartam suffragiorum partem reportaverit, ad novum scrutinium toties pariter deveniatur, quo ad alios, qui quartam partem non reportaverint, donec trium numerus cum dicta saltem quarta parte compleatur. In eventum, in quem aliquis necessariis dumtaxat votis eligatur, idem electus propriam schedulam agnoscet, ad hoc, ut videatur, an detracta ipsius electi schedula, sufficiens pro electione schedularum numerus fuerit, & an electus sibimet (quod non potest) suffragium tulerit: & renuente electo propriæ schedulæ agnitionem, sive manifestationem, ille ea vice pro non electo habeatur.

De electo ad Conclave se transferendo.

Qui vero, ut præmittitur, electus fuerit, a suffragio, sive voto ferendo pro aliis duobus arceatur; statimque, atque electus fuerit, ab ipsa Cappella recedat, & ad locum Conclavis opportunum se conferat.

De subrogando in causa electionis Locumtenentis.

Quod si Locumtenens in dictorum trium numerum eligatur, statim alius Locumtenens deputetur, seu magis antianus ipsius Consilii ibi existens, omissa qualibet præeminentiæ consideratione, Locumtenentis loco præsideat, prout Consilio expedire videbitur.

De subrogandis pro Anglicana lingua.

Quia vero lingua Anglicana non habet Fratres Milites, Cappellanos, nec Fratres Servientes; ideo donec illud Regnum ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redierit, unaquæque aliarum septem linguarum successive alium Fratrem Militem e propria lingua per schedulam, ut supra, eligat: & septem sic electis viginti, & unus supradicti, prævia dicti juramenti præstatione, per secreta pillularum suffragia pro majori eligentium numero respectu minoris, tres diversarum nationum, Gallicæ videlicet, Italicæ, Hispanicæ, & Germanicæ eligant, cum ballotatione cujuslibet ipsorum septem: qui tres, ut præmittitur, electi linguam Anglicanam repræsentent, illiusque vice, & nomine in ista electione dumtaxat suffragium ferant.

De electis ad Conclave se transferendis pro eligendo Magno Magistro.

Facta, ut præmittitur, eorumdem electione, illi ad locum Conclavis se conferant, in quo electio Magni Magistri necessario facienda erit, & ad infrascriptos actus deveniant, videlicet.

De Præsidente electionis.

Primo. Eligant, prævia dicti juramenti præstatione, Præsidentem electionis per pillulas secretas, juxta antiquam dicti Hospitalis consuetudinem, hactenus ibi observatam: qui sic electus loco dicti Locumtenentis, cum prohibitionibus supra-

pra-

prædictis gratias, & alia supradicta facien di, præsideat, & ea, quæ Præsidentes electionis de jure, privilegio, usu, vel consuetudine facere, & gerere possunt, seu debent, gerat, & faciat.

De electione Triumviratus.

Secundo. Prævia similiter ejusdem juramenti præstatione, procedant ad electionem Triumviratus, nempe unius Militis, unius Cappellani, & unius armorum Servientis Fratrum, qui sint diversarum linguarum, juxta formam scrutinii pillularum superius descripti, usque ad perfectam electionem hujusmodi.

De electione quarti.

Tertio. Celebrata electione prædicta, ipsi tres sic electi ad quarti electionem, diversæ tamen linguæ a sua, unanimes deveniant; &, si infra unius horæ a primo momento clausuræ Conclavis computandæ, spatium concordes non fuerint, tunc, & eo casu illorum singuli alium Fratrem Militem eorum cuilibet benevisum, qui non sit ex eorum linguis, nominent; nominationeque hujusmodi ad vigintiquatuor electores relata, ipsi se in Sacristiam eis loco Conclavis, in hoc casu dumtaxat, assignatam, recipientes, prævia pariter dicti Juramenti præstatione, ad secretum Scrutinium pillularum pro electione unius ex dictis tribus nominatis deveniant; itaut quilibet horum trium ballottetur, & ille pro quarto electus sit, & esse censeatur, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, etiam si sit de corpore dictorum vigintiquattuor.

De electione quinti, & sic successive usque ad sexdecim.

Quarto. Iste quartus sic electus ad Conclave accedat, & cum aliis tribus ad quinti; quintus vero similiter electus cum aliis quatuor ad sexti electionem procedat per majorem suffragiorum, seu pillularum numerum: sicque successive usque ad sextidecimi electionem, videlicet duorum ex unaquaque lingua juxta eorum præeminentias, & prærogativas hactenus observatas; quibus præjudicium inferre non censetur, deveniatur.

De præferendis in paritate suffragiorum.

Occurrente autem in omnibus electionibus prædictis suffragiorum paritate, aliis præferatur, electusque sit, & esse censeatur magis antianus; & in antianitatis æqualitate is, qui diuturniorem in Conventu residentiam fecerit, seu in servitio dicti Hospitalis magis occupatus fuerit: propter quod servitium pro residente in Conventu habeatur ad prædictum effectum, & in residentiæ paritate is, qui plures caravannas fecerit.

De electione M. Magistri.

Completa tamdem sexdecim prædictorum electione, ipsi sexdecim sic electi, odio, amore, & aliis quibuscumque humanis affectibus posthabitis, solumque Deum, illiusque religionis decus, ac propagationem præoculis habentes, præviaque etiam juramenti supradicti præstatione, ad electionem Magni Magistri, quem capacem, & pro tanti Ordinis dignitate, & utilitate, idoneum judicaverint, sicut hactenus observatum fuit, deveniant. Omnibus autem innotescat, electionem nullam, & irritam fore eo ipso, nec ullum effectum sortiri debere, si aliter celebrata fuerit, quam in Conclavi. & prævia electione trium Fratrum Militum uniuscujusque linguæ non receptorum ex gratia limitum, modo, & forma præmissis, tam respectu scrutinii, & suffragiorum, quam respectu linguæ Anglicanæ facienda; & non electo prius uno Fratre Milite, uno Fratre Cappellano, & alio Fratre Serviente armorum, ut supra qualificatis, qui usque ad electionem decimisexti, duorum videlicet pro qualibet lingua, juxta earumdem Literarum tenorem procedant, & a sexdecim electis hujusmodi; demumque de alio quam uno ex Fratribus Militibus ex eadem limitum gratia nequaquam receptis.

Cœremoniale hic relatum approbat, & revocat quodcumque aliud Cœremoniale, seu Electionarium.

§.2. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, quodcumque Electionarium, sive Cœremoniale, vel Rituale electionis, seu electionum hujusmodi, a quocumque desuper hactenus factum, compositum, sive publicatum, etiam typis impressum, in primis, & ante omnia revocantes, & annullantes, omnia, & singula in præsenti Cœremoniali ordinata, & quomodolibet contenta, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus; illisque omnibus, & singulis perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Omnia in eo contenta inviolabiliter observari mandat.

§.3. Eaque ab omnibus, & singulis dicti Hospitalis Fratribus, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus.

Ita judicari decernit.

§.4. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§.5. Non obstantibus omnibus illis, quæ in Literis nostris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Oct. 1634. An. XII.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die vigesimaprima Octobris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXIV.

Ex Regest in Secret. Brev. Epiſcopis Regni Poloniæ facultas conceditur conſuetum pro Cummunione Paſchali tempus prorogandi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Ob Sacerdotum defectū plures 12. dierum ſpatio Communionem ſumere non potuerant. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt Venerabiles Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regni Poloniæ, quod in eodem Regno progreſſu temporis uſus invaluit, ut quilibet ad id tamen aptus, & idoneus ſingulis annis ad minus duodecim dierum ſpatio, nempe a Feria Quinta in Cœna Domini uſque ad diem Dominicam in Albis incluſive confeſſus, ac Saera Communioue refectus eſſe debeat: cujus quidem temporis brevitas in cauſa fuit, ut ob numeroſnm dicti Regni Populum, ac Sacerdotum ibidem partim contagio, partim vero aliis infirmitatibus defunctorum defectum, multi præmiſſa ſpatio duodecim dierum hujuſmodi peragere non potuerint. Quare dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur,

Urbanus hujuſmodi tempus prorogari poſſe ſinit. §.2. Nos igitur Chriſtifidelium ejuſdem Regni animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, hujnſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Archiepiſcopis, & Epiſcopis per præſentes committimus, & mandamus, nt eorum arbitrio attenta Sacerdotum penuria, hujuſmodi Chriſtifidelibus utriuſque ſexus dicti Regni ad id tamen aptis, & idoneis, tempus a Dominica Paſſionis uſque ad Hebdomadam poſt Dominicam in Albis immediate ſequentem incluſive, quo durante peccata ſua confeſſi, ac Sacra Communione refecti eſſe debeant, & teneantur, auctoritate noſtra concedant, & reſpective prorogent.

Derogat obſtatibus. §.3. Nou obſtantibus prædicta conſuetudine, cæteriſque in coutrarium facien. quibuſcumque.

Dat. die 26. Oct. 1634. An. XII. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Aunnlo Piſcatoris, die vigeſimaſexta Octobris 1634. Pontificatus noſtri Anno XII.

CDLXV.

Fratribus Diſcalceatis Reformatis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hiſpaniarum prohibetur, quominns de cætero recipiant perſonas ſeculares ad babitum Donatorum. Iis vero, qni nunc exiſtunt in dicta Congregatione ſub nomine Donatorum, habitum, nomenque Laicorum concedi poſſe permittitur.

Privilegia aliorum Ordinum communicavit his Fratribus hic Pontifex in Conſt. LXIX. Bull. Rom. Tom. VI. Par. II. Commiſſi. *Tom. V. Par. V. fol. 240. Et de Miniſtri Generalis vacatione quædam ſancivit in Conſt. LXI.* Injuncti. *ibidem. fol. 231.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. CUm, ficut accepimus, in Congregatioue Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, præter Religioſos Clericos orationi, & contemplationi, ac aliis Ecelesiæ miniſteriis vacantes, ad Chorumque deputatos, duo ſint genera Religioſorum, ſub nomine videlicet Laicorum, & Donatorum pro eleemoſynis ad ſuſtentationem Fratrum quærendis, & colligendis, necuon pro aliis ſervitiis Domorum regularium obeundis cum habitu regulari ad id eis exhibito juxta dicti Ordiuis Statuta (ſine tamen Caputio quoad Fratres Donatos) qui omnes legitimo prubationis tempnre decurſo, tria vota ſubſtantialia, Obedientiæ ſcilicet, Paupertatis, & Caſtitatis in manibus Superiorum dictæ Congregatiouis ſponte emittunt, perpetuoque Religiouis ſervitio famulantur: Experientia vero dicta Congregatio repererit, ad ſnum ſpiritualem profectnm, necnon ad majorem inæ regularis obſervantiæ conſervationem magnopere convenire, quod in dicta Congregatione totaliter extinguantur Fratres, qui Donati appellantur, quandoquidem in propria hujus Congregationis Regula a felicis recordationis Innocentio Papa Tertio Prædeceſſore noſtro confirmata, & a Nobis reformata, nulla fiat mentio de Fratribus Donatis, ſed tantum de Clericis, & Laicis; — *Cauſa hujus Conſt.*

Prohibitio; de qua in Rubrica. §.2. Idcirco felici, ac proſpero dictæ Congregationis ſtatui, quantnm cum Domino poſſumus, conſulere volentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis Regularinm præpoſitorum conſilio, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, tenore præſentium præcipimus: Quod deinceps perpetuis futuris temporibus in prædicta Congregatione nullo modo aliquæ perſonæ, tam regulares, quam ſeculares, ad habitum Fratrum Donatorum recipiantur, ſub pœna privationis officiorum, & perpetuæ inhabilitatis Superioribus contrafacientibus: Et quod in dicta Congregatione tantum ſint duo genera Religioſorum, unum videlicet Clericorum Eccleſiæ miniſteriis vacantium, & alterum Laicorum ad eleemoſynas colligendas, & ad alia Monaſteriorum ſervitia attendentium.

Facultas, quod Definitorium Congregat. poſſit concedere Fratribus Donatis §. 3. Præterea Definitorio Generali dictæ Congregationis concedimus, ut libere, & licite poſſit dare Fratribus Donatis nunc in dicta Congregatione degentibus, tam Profeſſis, quam Novitiis, nomen, & habitum, quem deferunt Fratres

tres

modo existentibus, nomen, & habitum Laicum.

tres, qui appellantur Laici, virtute, & meritis uniuscujusque consideratis.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Literis piæ memoriæ Pauli Papæ Quinti Prædecessoris nostri, sub die 27. Augusti 1611. Motu proprio emanatis incipien. *Circumspecta Sedis Apostolicæ providentia*, ac dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 29. Oct. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimanona Octobris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXVI.

Ne de cætero Fratres Ordinis Prædicatorum in partibus Indiarum existentes extra Conventum vivant, seu maneant absque Sedis Apostolicæ, & Superiorum ejusdem Ordinis licentia.

Istorum Fratrum materiam habes signatam ad Constit. II. Religiosam. *Honorii Tertii. Tom. III. fol.* 178. *Fratres Prædicatores sunt vere, & proprie Mendicantes. prout in Const. LXXI.* Romanus. *Pii V. Tom. IV. Par. II. fol.* 405.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

INjunctum Nobis desuper apostolicæ servitutis officium postulat, ut Religiosorum quorumlibet felici, prosperoque regimini, atque statui jugiter consulentes, ea libenter statuamus, quæ ad regularis disciplinæ observantiam in dies magis promovendam pertinere dignoscuntur.

Causæ hujus Const.

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, indecens admodum esse videatur, ut ejusdem Ordinis Fratres, præsertim in partibus Indiarum extra domorum regularium claustra absque suorum Superiorum licentia vivant: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dicti Procuratoris Generalis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati;

Præcipit; prout in Rubrica.

§.2. Ne de cætero dicti Ordinis Fratres in partibus Indiarum existentes extra Conventuum, Domorum, & aliorum dicti Ordinis locorum regularium claustra absque hujus Sanctæ Sedis, & Superiorum ejusdem Ordinis licentia vivant, seu maneant, sub censuris ecclesiasticis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per eosdem Fratres extra claustra hujusmodi manentes, seu viventes, ut præfertur, eo ipso incurrendis, apostolica auctoritate, tenore præsentium prohibemus.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 8. Nov. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die octava Novembris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXVII.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum circa Processiones, quæ fiunt a Regularibus, & Confraternitatibus extra proprias Ecclesias.

Ex regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Decretum Congr. Rituum;

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Abbatis Majoris, & Universitatis Parochorum Civitatis Hispalen. Nobis expositum fuit, quod a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis emanavit Decretum, tenoris subsequentis videlicet: Die 26. Februarii 1628.

Quo methodus Regularibus, & Confraternitatib. Processiones faciendi præscribitur.

§.1. Hispalen. Abbas Major, & Universitas Parochorum Civitatis Hispalen. citatis Prioribus Ordinum supplicaverunt definire. An Regulares possint facere Processiones extra claustra Monasteriorum. Item. An stante consuetudine aliqua faciendi Processiones extra claustra per vias publicas sine consensu Parochi, talis consuetudo Regularibus suffragetur, & sit atten-

attendenda, & Sacra Rituum Congregatio ad tollendas difficultates, quæ quotidie oriuntur circa Processiones faciendas, tam per Regulares, quam per Confraternitates in Ecclesiis Regularium, inhærendo Decretis aliàs in similibus factis, & signanter in Cæsaraugustana decimaseptima Martii 1617., censuit in Processionibus faciendis, tam per Regulares, quam per Confraternitates ita imposterum servari debere, ut in Ecclesiis habentibus claustrum facere non possint Processiones, nisi intra claustra tantum, & non extra; in Ecclesiis vero carentibus claustro, fieri possint intra ambitum, hoc est prope muros Ecclesiæ, sive exeundo a janua Ecclesiæ, & intrando per aliam, sive per eamdem, & semper prope muros Ecclesiæ: extra vero ambitum Ecclesiæ non licere Regularibus, neque Confraternitatibus facere Processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habent in hoc speciale privilegium faciendi Processiones per alia loca, quibus per hoc Decretum Sacra Congregatio non intendit præjudicare. Datum 19. Septembris 1634.

Petitur pontificia confirmatio.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes Decretum præinsertum apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent.

Confirmatur.

§.4. Nos dictos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.5. Decernentes illud, necnon præsentes Literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Dat.die 15. Nov. 1634. An.XII.

Dat. Rom. apud S.M.M. sub Annulo &c. die 15. Nov. 1634. Pont. nostri Anno XII.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

CDLXVIII.

Quod in Familia Ultramontana, sicut in Cismontana, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia duo Fratres Germani Definitoriis interesse non possint.

De hujusmodi Fratribus, lege, quæ notavi ad Const. CLXXXII. Sacrosanctum, *Tom. V. Par. V. fol. 423.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa hujus Constit.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Didacus de Zea Commissarius Generalis Curiæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, quod juxta regularia eorum instituta apostolica auctoritate confirmata, ut factionibus obvietur, & aliàs pro bono guberno, Definitoriis eorumdem Fratrum Italiæ, quibus quatuor dumtaxat Definitores, Custos, & Provincialis intersunt, duo interesse non possunt, qui sint Fratres germani. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in divini cultus, & religionis augmentum maxime cessurum sit, si idem in eorumdem Fratrum Definitoriis Regnorum Hispaniarum observetur: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat, prout in rubrica.

§.2. Nos igitur dicti Didaci Commissarii Generalis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; quod etiam eorumdem Fratrum Definitoriis Regnorum Hispaniarum duo interesse non possint, qui sint Fratres Germani, idque quemadmodum in Definitoriis Italiæ, omnino observari debeat, sub indignationis nostræ, & censuris ecclesiasticis, necnon privationis vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto per contrafacientes incurrendis, apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, ac præcipimus, & mandamus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes nihilominus irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogati contrariorum.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum

Dat.die 23. Nov. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimatertia Novembris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXIX.

Clerici Regulares Pauperes Matris Dei Scholarum Piarum non comprehenduntur in Decretis circa Regularium reformationem editis.

Hæc Decreta primum edidit Clem. Octavus ut in Constitut. CCXLII. Nullus. *Tom V. Par. II. fol. 340. Quæ postea confirmavit Urbanus Octavus in Constitut. LXXIII.* Sacrosancti. *Tom. V. Par. V. fol 243. Vide etiam Constit. CCLXVIII.* Ad ea *Pauli Quinti Tom. V. Par. IV. fol. 226. Et Constitut. XLII.* In supremo. *ibid. fol. 404. Scholas autem sub hujusmodi denominatione erigi vetuit idem Urban. VIII Constitut. CCCXLII.* Nuper. *Tom. VI. Par. I. fol. 226.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanum decet Pontificem, si quæ circa Constitutionum, seu Decretorum Apostolicorum intelligentiam dubia oriuntur, declarationis suæ ministerio de medio removere.

Causæ hujus Const.

§.1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Nobis expositum fuit, a nonnullis in dubium revocetur, an dicti exponentes sub decretis de Novitiis, nonnisi in certis Monasteriis, & Locis a Sede Apostolica designatis recipiendis per felicis recordationis Clementis Papæ Octavi Prædecessorem nostrum editis, & a Nobis confirmatis, comprehendantur.

Declaratio, de qua in Rubrica.

§.2. Nos omnem in præmissis dubitandi materiam de medio tollere, dictosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, dictos Clericos Regulares dictæ Congregat. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum non comprehendi in Decretis præfatis dicti Clementis Prædecessoris per Nos approbatis, & innovatis, quemadmodum non comprehenduntur cæteri Clerici Regulares, apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus.

Clausula sublata.

§.3. Sicque observari, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clausula derogatoria.

§.4. Non obstantibus præmissis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Dat. die 17. Nov. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Novembris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXX.

Mandat Nuncio Poloniæ, ut moneat Episcopos illius Regni, quatenus vocati veniant ad Synodum, & Comitia Regni.

Ex Regest. in secret. Brev.

Venerabili Fratri Honorato Archiepiscopo Lorissen. nostro, & S. Sedis Apostolicæ in Regno Poloniæ Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Mandatum, de quo in Rubrica.

DE Juribus Ecclesiarum quarumlibet præsertim Cathedralium, & Metropolitanarum juxta creditum Nobis desuper apostolicæ servitutis officium jugiter solliciti Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut Regni Poloniæ Episcopos horteris, & auctoritate nostra moneas, quatenus ad Synodum Provincialem, & ad Comitia Regni prædicti, quoties vocati fuerint, accedant, aliàs si vocati ad Synodum, & Comitia hujusmodi non venerint, tunc ne propter eorum absentiam jura Ecclesiarum prædictarum aliquod detrimentum patiantur, liceat Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnen. Metropolitano, & Primati dicti Regni uti potestate super negligentibus sibi a Concilio Tridentino, & Sacris Canonibus tradita.

Contraria tolluntur.

§.2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. die 24. Nov. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Novembris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXXI.

Super residentia Episcoporum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & aliorum Ecclesiis Cathedralibus Præfectorum, etiam S. R. E. Cardinalium, cum præfixione termini ad proficiscendum ad suas residentias, & determinatione pœnarum, ac prohibitione ab ipsis

fis non discedendi absque Sedis Apostolicæ licentia ex quibusvis, etiam urgentissimis causis.

Multa super hoc sanciverat Concil. Trident. indicatum in Apostillis hujus Const. §.1. *& 2. & etiam vide Const.XII.* De salute. *Pii Quarti Tom. IV. Par.II. fol.*36. *Ac Constit.CV.* In suprema, *ibid. fol.*207.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Conc. Trid. multa statuit circa residentiam Episcopale sess.6. c.1. de Ref.

§.1. SAncta Synodus Tridentina sub recolendæ memoriæ Paulo Papa Tertio Prædecessore nostro, ad disciplinam ecclesiasticam restaurandam, provide statuit: Ut omnes, quacumque dignitate, gradu, & præeminentia fulgentes, Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quovis nomine, titulo præfecti, apud eas personaliter residere deberent: alias, si per sex menses continuos abessent, amissionis quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso jure incurrerent: quod si per alios sex menses in absentia perseverarent, tunc aliam quartam partem fructuum hujusmodi eo ipso amitterent: crescente vero contumacia, Romanus Pontifex suprema ejus authoritate in ipsoa absentes animadvertere, & Ecclosiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere posset.

Et sess. 23. capit.1., & sess.24.c.12. de Ref. sub Pio IV. qui etiam addidit Constit. hic indicatam.

§.2. Deinde sub felicis recordationis Pio Quarto etiam Prædecessore nostro eadem Synodus declaravit, omnes eisdem Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis præfectos, etiam si S. R. E. Cardinales forent, obligari ad personalem residentiam in sua Ecclesia, vel Diœcesi faciendam; nec abesse posse, nisi ob legitimas causas, in scriptis approbandas. Et in eorumdem Concilii decretorum exequutionem idem Pius Quartus Prædecessor per suas sub plumbo sub dat. 7. Kal. Decembr. 1564. expeditas Literas monuit eosdem præfatis Ecclesiis præfectos, in virtute sanctæ obedientiæ, ac ultra pœnas in eodem Concilio contentas, sub privationis eorum a regimine, & administratione ipsarum Ecclesiarum, ac amissionis facultatum testandi, & disponendi, aliisque pœnis suo, & Romani Pontificis arbitrio imponendis, mandavit eisdem, ut in Ecclesiis præfatis omnino personaliter residere deberent: Denique certior factus, quod multi eorumdem præfectorum erant inobedientes, Motu suo proprio, commisit Cameræ Apostolicæ Auditori generali, ut contra illos usque ad sententiam procederet, & sibi deinde referret, ad effectum in eos privationis, & depositionis sententiam in suo Consistorio secreto pronuntiandi.

Et successive Greg.XIII declaravit, etiam afficere S. R. E. Cardinales.

§.3. Successive alii etiam Romani Pontifices contra non residentes diversa edicta publicari fecerunt; ac piæ memoriæ Gregorius XIII. etiam Prædecessor noster per suum Decretum Consistoriale declaravit, decreta ejusdem Concilii de personali residentia in Ecclesiis prædictis facienda, etiam in S. R. E. Cardinalibus locum habere, quocumque titulo illis præessent, itaut a reatu, & pœnis in dicto Concilio statutis, non excusarentur, nisi absentiæ causa in scriptis approbata foret; scientiaque, vel tolerantia non excusaret eosdem Cardinales, nec alios Episcopos.

Clem. VIII. pœnas inhabilitatis ad majores dignitates addidit.

§.4. Similis quoque mem. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster per simile Consistoriale Decretum pro observantia residentiæ personalis ab eodem Concilio ordinatæ addidit pœnam inhabilitatis ad majores dignitates, & Ecclesias obtinendas: prout in præfatis Conciliis, ac Literis Apostolicis, Consistorialibusque Decretis latius continetur.

Hic Pontif. edicta publicari una cum pœnis jussit contra non residentes, & eos monuit, ut ad residentiam pergerent.

§.5. Cumque etiam Nos edicta contra non residentes sæpius publicari fecerimus, & tamen præteritis mensibus aliqui, etiam S. R. E. Cardinales, Metropolitanis, seu Cathedralibus Ecclesiis ex concessione apostolica præfecti, suæ obligationis ad personalem residentiam in eis faciendam, immemores, in grave animarum suarum detrimentum, ac ovium sibi creditarum præjudicium, ab eisdem Ecclesiis abesse continuarent, etiam sub prætextu suorum titulorum Cardinalatus, præsertim Episcopalium prope Urbem, seu in Urbis districtu respective consistentium, & quod in eadem Urbe in conspectu, & præsentia nostra moram traherent: Nos pro nostro pastorali debito, nedum animarum præfatarum, sed etiam Ecclesiarum indemnitati, providere volentes, in Consistorio nostro secreto declaravimus, eosdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui illis Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus præerant, & apud eas non resederant, nec residebant, non fecisse, nec facere illarum fructus suos, etiam sub prætextu, quod alicui ea dictis Ecclesiis Episcopalibus, quibus Cardinales in ordine priores esse solent, præsideant, & ibi, vel in Urbe commorentur, aut cujusvis tolerantiæ, vel facultatis, præterquam per Breve speciale nostrum, vel Romani Pontificis pro tempore existentis, sibi concessæ: Ideoque eosdem Cardinales monuimus pro prima vice, ut ad residentiam hujusmodi statim se conferrent, sub amissionis fructuum eo ipso incurrenda, & aliis canonicis pœnis, animo etiam procedendi ad ulteriora, si non paruissent, & prout in Decreto nostro Consistoriali plenius habetur.

Tamen quia omnes non obedierunt Conc. Trid. & Constit. Apost. contra ipsos editis approbat, & confirmat, ac

§.6. Quia vero ab inde citra non omnes, prout tenebantur paruerunt, sed aliqui adhuc contumaces existunt: Nos, ut omnino debitum suum agnoscant, & animabus subjectis, quantum Nobis ex alto conceditur, magis consultum sit, ulterius providere volentes, Concilii Tridentini Decretis, & Literis Apostolicis, Motuique proprio, ac Consistorialibus Decretis

adverf. prætenfum non ufum innovat, & reftituit.

cretis præfatis inhærentes, illorumque tenores, ac fi de verbo ad verbum infererentur, pro plene infertis, & exprelfis habentes, Motu fimili, & ex certa fcientia, ac matura deliberatione noftris, deque apoftolicæ poteftatis pleoitudine, præfata Concilii decreta, Literafqne Apoftolicas, ac primodictum Motum proprium, Decretaque Confiftorialia præfata, & in eis contenta quæcumque hac noftra Conftitutione perpetua confirmamus, & approbamus, & quatenus foret opus, adverfus quemcumque prętenfum non ufum, vel contrarium ufum, innovamus, & pleniffime reftituimus.

Ac præcipit fingulis Epifcop., etiam S.R.E. Cardinal. fub graviffimis pœnis, ut fe conferant infra tempus hic affignatum ad refidentiam.

§.7. Infuperque omnes, & fingulos, Ecclefiis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Archiepifcopalibus, & Epifcopalibus, quocumque nomine, feu titulo præfectos, etiam S. R. E. Cardinales, a præfatis fuis Ecclefiis abfentes, in virtute fanctæ obedientiæ, ac fub interdicti ingreffus Ecclefiæ, amiffionifque tam fructuum earumdem Ecclefiarum pro tempore, quo abfentia duraverit, quam facultatum teftandi, & difponendi de bonis fuis a Sede Apoftolica fibi aliàs conceffarum, eo ipfo abfque alia declsratione incurrendis, necnon privationis a regimine, & adminiftratione fuarum Ecclefiarum hujufmodi, aliifque pœnis, noftro, & Romani Pontificis pro tempore exiftentis, arbitrio ioflîgendis, diftricte præcipiendo monemus, ut omnibus poftpofitis, quantocitius, in Romana Curia videlicet moram trahentes intra unum, extra eam vero in Italia intra duos, extra vero Italiam exiftentes intra quatuor menfes, a die publicationis prælentium, in locis infrafcriptis faciendæ computaodos, qoos pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriifque dilationibus, & terminis refpective eis affignamus, & affignatos effe volumus, fe itineri committere, & legitimis itineribus ad Ecclefias, feu Diœcefes fuas proficifci, & fe perfonaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, refidere debeant.

A qua non difcedant, nifi de licentia Sedis Apoft.

§.8. Eifdemque præfectis, poftquam perfonaliter ad refidendum fe contulerint, necnon quibufcumque aliis, apud fuas Ecclefias quandocumqne perfonaliter refideutibus, fub eifdem pœnis, etiam eo ipfo refpective incurrendis, injungimus, ne ab eorum Ecclefiis difcedant, nifi prius obtenta noftra, & Romani Pontificis pro tempore exiftentis per Breve, feu Literas miffivas, liceutia.

Idem fervaudum a promovendis ex nunc declarat.

§.9. Illos etiam, qui impofterum per Nos, feu Romanos Pontifices Succeffores noftros, alicui præfatarum Ecclefiarum Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Archiepifcopalium, & Epifcopalium quovis nomine, vel titulo præfecti fuerint, etiam fi S. R. E. Cardinales quandocumque fuerint, vel fint, fub eifdem pœnis, etiam eo ipfo refpective incurrendis, debeant, & quilibet ipforum debeat infra præfatum tempus, a die eorum promotionis ad aliquam Ecclefiarum præfatarum inchoandum, quod eis pro tribus monitiooibus, & dilatiouibus, ut præfertur, ex nunc affignamus, pariter fe itineri committere, & ad Ecclefias, five Diœcefes fibi commiffas, ad perfonaliter in eis refidendum, conferre; Et refpective poftquam refidere incęperint, ab illis non difcedere, nifi obtenta prius a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiftente, licentia præfata.

Quodque non poffint fe excufare ex quacumque caufa, hic defcripta excipiendo nonnullos cafus.

§.10. A quarum pœnarum incurfu nolumus poffe aliquem fe excufare prætextu, & ratioue cujufcumque fervitii quomodolibet præftiti, & præftandi pro gerendis, & tractandis negotiis quorumcumque Principum, etiam Imperatoris, & Regum, aut Rerumpublicarum, Regnorum, ac Provinciarum; nec ratione cujuslibet juffionis, vel mandati eorum, vel earum, quandocumque facti, vel faciendi; nec etiam ratione profequutionis, feu defenfiouis quarumcumque litium, feu controverfiarum, etiam ecclefiafticarum vel ineundi fœderis, aut cujufcumque alterius negotii, etiam graviffimi, & fpeciali mentione digni, tractandi, vel diftantiæ locorum, aut brevitatis temporis, ob quam non videatur expectanda Sedis Apoftolicæ licentia præfata, antequam a fuis Ecclefiis, & Diœcefibus difcedant, aut ratione cujufcumque alterius caufæ, vel occafionis, etiam publicæ, vel aliàs favorabilis, & æque piæ, etiam cujuslibet utilitatis, five neceffitatis Ecclefiarum, & perfonarum, præterquam perfonalis intereffentiæ in Synodis provincialibus, vel Congregationibus, feu Affembleis generalibus, in quibus Ecclefiaftici intervenire folent; vel ratioue muneris, aut Reipublicæ officii Epifcopatibus, vel Ecclefiis majoribus præfatis adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari folent: & tunc pro tempore, quo illæ Synodus, Congregationes, & Affembleæ, exercitiumque muneris, feu officii publici ipfis Ecclefiis adjuncti, actus duraverint: quibus finitis, recto tramite ad Ecclefias præfatas fibi commiffas fe conferre debeant. Nec etiam a prædicta refidentia, & pœnarum præfatarum incurfu volumus excufari S R E. Cardinales nùnc, & pro tempore eaiftentes alicui præfatarum Ecclefiarum præfectos, feu præficiendos, etiam fi tamquam in ordine priores aliquem ex dictis titulis Epifcopalibus prope Urbem, vel in ejus diftrictu confiftentibus, obtineant, & impofterum obtinuerint, & in prædictis Epifcopatibus titularibus Urbi proaimis refederint, vel in Romana Curia in fuis titulis refpective, etiam Nobis, ac Romanis Pontificibus Succefforibus noftris fcientibus, videntibus, & quomodolibet tolerantibus, moram traxerint, itaut nulla noftra, ac Romanorum Pontificum Succefforum noftrorum conniventia, taciturnitate, & a quarumcumque functionum, & actuum Pontificalium etiam publicorum, & folem.

lemnium celebrationem, & receptione, & admissione, unquam tueri se possint.

Exequutores deputat contra transgressores cum facultate procedendi usque ad sententiam exclusive.

§. 11. Et pro præmissorum, & infrascriptorum inviolabili observatione committimus, & mandamus dilecto filio Cameræ Apostolicæ generali Auditori nunc, & pro tempore existenti, quatenus contra omnes, & singulos prædictos, tam in Urbe, quam alibi commorantes, & in suis Ecclesiis, seu diœcesibus non residentes, per affissionem ad valvas Basilicæ Sancti Petri, ac in acie Campi Floræ, & quoad præsentes in Romana Curia ad abundantiorem cautelam, etiam domi dimissa copia, procedat: Et constito sibi, quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter, & de plano, sola veritate inspecta, & manu regia, de contraventione, & inobedientia præfatis usque ad sententiam exclusive procedat; & deinde Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti referat, ut Nos, ac Romanus Pontifex pro tempore existens in Consistorio ad sententiam declarationis incursus pœnarum, ac respective privationis, seu depositionis, aliarumque punitionum præfatorum inobedientium, valeamus, & ipse Pontifex Romanus pro tempore existens valeat procedere.

Tempus statuit Episcopis Ultramontanis pro visitatione liminum Apostolorum.

§. 12. Volumus tamen Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, & Patriarchas, etiam S. R. E. Cardinales citra montes, vel mare existentes, per quatuor, alios vero ultra montes, vel mare degentes per septem menses continuos a residentia in præfatis Ecclesiis facienda ad effectum visitandi limina Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli juxta sacros Canones, ac Apostolicas Constitutiones pro qualibet visitatione excusari: ita tamen, ut tunc illis durantibus, visitationis hujusmodi munus explere teneantur, nec ad alios actus se divertant.

Ac Card. in vacatione Sedis Apostolicæ.

§. 13. Cardinalibus vero nunc, & pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicæ ad electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum Conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam discedendi ab Ecclesiis præfatis sibi commissis, habita tamen prius certa notitia vacationis ipsius Sedis Apostolicæ, & extra residentiam in loco, in quo electionem hujusmodi celebrari continget, commorandi, & permanendi usque ad peractam electionem, ac etiam postea per duos menses, postquam Romanus Pontifex coronationis suæ insignia susceperit: quo tempore elapso, præfati Cardinales, nisi illico, ut præfertur, ad Ecclesias præfatas, quibus præsidere eos contigerit, se contulerint, subjaceant pœnis supradictis.

Clausulas hujus Const. præservativas addit.

§. 14. Præsentes quoque Literas, omniaque, & singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, ac cujuscumque nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionisque nostræ, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel prætendentes, & præsertim iidem Ecclesiis prædictis nunc, & pro tempore præfecti, etiam ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitatesque, & quævis alia servanda, & adimplenda nullatenus servata, & adimpleta; & causæ, propter quas præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint; ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, & causa, etiam in corpore juris clausis, & alia quacumque quantumvis rationabili, justa, & privilegiata; etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, a quoquam notari, impugnari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci non posse, nec sub quibuslibet similium, vel dissimilium Constitutionum, sive dispositionum etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores nostros, ac etiam per Nos factarum, & faciendarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firmaque, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Contra quam judicari prohibet.

§. 15. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Nuntios, & prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac quoscumque alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, ubique judicari, interpretari, declarari, & definiri debere: itaut si umquam aliquod dubium, seu hæsitatio super præmissis, seu eorum aliquo oriri, vel suscitari contingat, nullus, præter Nos, ac Romanos Pontifices Successores nostros, possit præsentes Literas quovis modo interpretari, & declarare: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contraria removet.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus, generalibus, provincialibus, & synodalibus editis, & edendis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam primæ, & cujuslibet secundæ editionis, & quatenus foret opus, de non tollendo jure quæsito, Statutis quoque, etiam juratis, & consuetudinibus, etiam diuturnis, & immemora-

morabilibus Ecclesiarum præfatarum, & cujuslibet earum, & licentiis alias, ut præfertur, impetratis, ac privilegiis, & indultis, etiam Apostolicis, eisdem Ecclesiis, earumque Præfulibus quomodolibet, & ex quacumque causa, hic forsan de necessitate exprimenda, concessis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet emanatis, ac quocumque juramento per eosdem Ecclesiis hujusmodi præfectos sub quovis prætextu, vel causa præstito, & præstando; quod fuisse, & fore nullum, ac irritum, & minime obstare, neminique suffragari, quo minus ab integra observatione præsentium in aliquo excusari possit, declaramus, & quatenus opus sit, decernimus: necnon omnibus, & singulis, quæ Prædecessores nostri præfati in suis Literis, & Decretis præfatis voluerunt, non obstare. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium plenissime, specialiterque, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præfecti pluribus Ecclesiis quomodo residere debeant, declarat.

§.17. Volumus etiam, quod ii, qui duabus, vel pluribus Ecclesiis præfatis ex earum unione, vel alias ex concessione, seu dispensatione apostolica quocumque nomine, vel titulo præfecti sunt, vel pro tempore erunt, a residentia, & pœnis hujusmodi excusentur, dummodo in earum altera, in qua de jure residere debent, vere, & personaliter resideant: exceptis tamen, ut præfertur, Ecclesiis Episcopalibus Urbi proximis, quibus Cardinales in ordine priores præesse solent: residentia enim, si quæ apud præfatas Ecclesias titulorum Cardinalium fieret, aliquam excusationem eisdem Cardinalibus, ut præfertur, non præstaret, quo minus ipsi in alia, vel aliis Ecclesiis præfatis, quibus eos etiam pro tempore præfici contigerit, residere omnino teneantur.

Publicationem in Urbe omnes afficere, decernit.

§.18. Quodque, ut præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam amplius deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris, ut præfertur, in valvis Basilicarum S. Petri, ac acie Campi Floræ affigantur, & publicentur: quæ sic affixæ, & publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, afficiant, & arctent, ut præmittitur, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Dat. die 12. Dec. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Decembris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXXII.

Ex Regest. in secret. Brev.

Archiepiscopo Thessalonicen. committitur, ut deputet Visitatorem in locis Patriarchatus Aquilejen. Romano Imperatori in temporalibus subjectis.

Ven. Fratri Archiep. Thessalonicen.

URBANUS PAPA VIII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Causa faciendæ commissionis.

Cum, sicut accepimus, Patriarchatus Aquilejen. Civitatem, & multa Oppida, Terras, & Loca sibi in spiritualibus subjecta comprehendat, quorum aliqua charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem electo, aliqua vero dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, & Reipublicæ Venetiarum in temporalibus subdita sunt, a multis autem annis ea, quæ in Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi supradicti ditione temporali existunt, ab Ecclesiæ Aquilejen. Præsule visitata non fuerint, & Ven. Frater modernus Patriarcha Aquilejen. certis ex causis Nobis notis ea hactenus minime visitaverit;

Commissio, de qua in Rubrica.

§.2. Nos ne Ecclesiæ, aliaque loca pia in prædictis locis existen., eorumque habitatores, & incolæ aliqua in spiritualibus, & temporalibus detrimenta patiantur, ex debito nostri pastoralis officii providere volentes, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut Venerabilem Fratrem Episcopum Seccovien. in omnium, & singulorum locorum prædictorum dicto Ferdinando Regi in Imperatorem electo in temporalibus subjectorum Visitatorem auctoritate nostra deputes, ad effectum, ut tamquam Visitator Apostolicus, easdem Ecclesias, personas, & loca prædicta visitet, & quo ad ea, quæ disciplinam ecclesiasticam concernunt, & reformatione indigent, corrigat, & reformet. Nos enim eidem per te deputan. omnem jurisdictionem, & potestatem necessariam, & opportunam ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, & sine præjudicio quorumcumque jurium ambarum partium scilicet tam Ferdinandi Regis in Imperatorem electi, quam Reipublicæ prædictorum concedimus, & impertimur.

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis

fertia habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Januar. 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimasecunda Januarii 1635. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CDLXXIII.

Quod Fratres Ordinis Prædicatorum Professi in Conventibus pro Novitiatibus non designatis simpliciter emittant novam Professionem sine nova Fratrum Vocalium acceptatione.

Novitii in quibus locis sint recipiendi, designavit Clem. VIII. in Constit. CCLXVIII. Regularis. *Tom. V. Par. II. fol.* 410. *Novitii Fratrum Ordinis Prædicatorum in articulo mortis in manibus Prælatorum, ante tempus Regulam profiteri possunt, ut in Const. CLII. Pii V.* Summi. *Tom. IV. Par. III. fol.* 123.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Quàmplures regulares probationis annū in Conventibus ad hoc designatis non faciebant.

§.1. Aliàs per Nos accepto, quod quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum regularium Professores ad habitum regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerant, proindeque juxta Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri desuper editam professio per eos subinde emissa invalida existebat:

Urbanus facultatem concessit Ordinariis locorum eos iterum ad professionem admittendi.

§.2. Nos Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris bon. mem. Scipioni Episcopo Sabinensi Cardinali Burghesio nuncupato Majori Pœnitentiario, vel Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque Ordinariis locorum, in quibus eorumdem Religiosorum Monasteria, Domus, seu Conventus, aliaque regularia loca consistebant, sive ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per nostras in simili forma Brevis subdie 2. Aprilis 1631. expeditas Literas commisimus, & mandavimus quatenus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum regularem aliàs canonice recepti annum probationis in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis minime fecerant, subindeque professionem nihilominus emiserant, ad professionem denuo servatis aliàs servandis emittendam, quæ sic emissa illis, & eorum cuilibet tam in foro interiori, quam exteriori suffragari deberet, absque novo probationis anno, ex speciali hujus Sanctæ Sedis benignitate auctoritate nostra apostolica reciperent, & admitterent, eosdemque, postquam professionem denuo, ut præfertur, emisissent, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas, si ab initio valide professi essent, legitime obtinerent, eadem auctoritate restituerent, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declararent, itaut haberent eumdem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si priores professiones validæ fuissent, & nondum promoti ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines, servatis aliàs servandis, promoveri, & tam ipsi, quam alii ad eosdem ordines jam rite promoti in susceptis ordinibus hujusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare libere, & licite valerent, necnon omnes actus, sive contractus, quos contraxerant, & legitime contraxissent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius Religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quia initi, aut contracti erant invalide ab iis, qui contra dictam Constitutionem in Domibus non designatis, sive ab eadem Sede non approbatis professi erant, auctoritate nostra prædicta confirmarent, & approbarent, ac validos omnino declararent: super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tribuimus, & impartiti fumus, & alias prout in dictis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc declarat opus non esse pro Fratr. Ord. Prædic. nova acceptatione Vocalium.

§.3. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis Provinciis novæ oriantur difficultates, quæ conscientias multorum solicitas habent: Nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus Procurator Generalis, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur omnem in præmissis ambigendi, seu hæsitandi materiam e medio tollere, dictorumque Fratrum quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, ac Procuratorem Generalem prædictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, auctoritate prædicta, tenore præsentium statuimus, atque ordinamus, quod in ratificationibus, sive novis professionibus faciendis in manibus Prælati nova Fratrum vocalium acceptatio nullatenus requiratur, sed statim professus intelligatur, & filius ejus Conventus, in quo professio-

fessionem fecerat, supplendo cum simplici ratificatione, seu nova professione qualecumque requisitum, quod de jure requireretur, seu de facto occurreret, cum retentione eorum gradnum, officiorum, honorum, dignitatum, vel præeminentiarum, quibus ad præsens gaudent, ita tamen, ut qui de facto habitum regularem dimiserint, recipiantur, salva ordinis disciplina.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes, præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, plenissime suffragari, irritumque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dictis Literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Januar. 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die trigesima Januarii 1635. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CDLXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Literarum Pauli Tertii, Julii Tertii, Pauli Quarti, Pii Quarti, & Pii Quinti, Gregorii Decimitertii, Sixti Quinti, & Clementis Octavi, quibus Familiæ de Flisco Marchionatus Masserani, necnon Loca Crepacorii, Quirini, Flecchiæ, & Rino in Feudum perpetuum masculinum conceduntur cum onere Censum annuum Cameræ Apostolicæ persolvendi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Constantis, & eximiæ devotionis affectus, quo Nos, & Romanam dilectus filius Nobilis Vir Paulus Bessus Ferrerius Fliscus modernus Princeps Masserani, & Comes Crepacorii Vercellen. Diœcesis reveretur Ecclesiam, promeretur, ut his, quæ pro ejus utilitate, commodo, & tranquillitate concessa fuerunt, quo firmius persistant, apostolici muniminis præsidium impartiamur.

Paulus Tertius Marchionatum Masserani, & Feuda Crepacorii, Flecchiæ &c. Philiberto Flisco, ejusque filiis in Feudum masculinum concessit.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dictus Paulus Bessus, quod aliàs felicis recordationis Paulus Papa Tertius Prædecessor noster Comitatum Masserani dictæ Diœcesis, quem quondam Philibertus, etiam Ferrerius Fliscus ab eodem Prædecessore, & Camera Apostolica in Feudum recognoscebat in perpetuum, & Nobilem Marchionatum, cum jurisdictione, imperio, & gladii potestate, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, indultis, gratiis, signis quoque, & insigniis aliis perpetuis Nobilibus Marchionibus, tam in specie, quam in genere concedi solitis, & quibus alii Marchiones perpetui, & Nobiles eorum Marchionatus de jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, pro ipso Philiberto, quandiu in humanis ageret, & quondam Besso ipsius Philiberti primogenito, & sic de cætero, de primogenito in primogenitum, & illis deficientibus pro secundogenito, & ejus primogenito, ac successoribus primogenitis, motu proprio, & ex ejus certa scientia erexit, & instituit, ac perpetui, & Nobilis Marchionatus nomine, & titulo decoravit, Philibertumque, & Bessum, ac successores præfatos in perpetuos Marchiones Masserani creavit, ac eis, & pro tempore existenti Marchioni hujusmodi, quod jurisdictione, imperio, & gladii potestate, necnon privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, Indultis, & gratiis, signisque, & insigniis præfatis, necnon facultate cudendi, & cudi faciendi monetas modis, & formis tunc expressis, uti, potiri, & gaudere, ac alia per alios Marchiones in eorum Marchionatibus fieri solita, ut præfertur, facere, & exercere libere, & licite valeret, concessit, & indulsit: Et deinde, & certis aliis tunc expressis causis Crepacorii, Quirini, Flecchiæ, & Rino Castra, Terras, & loca dictæ Diœcesis in Feudum a dicta Sede teneri solita cum omnibus illorum Territoriis, Districtibus, Villis, Vassallis, Hominibus, Incolis, & habitatoribus, Fortalitiis, Franchitiis, & Homagiis, aliisque juribus, & pertinentiis, ac omnimoda, alta, bassa, civili, & criminali jurisdictionibus, mero, & mixto imperio, ac gladii, & ne eis potestate, aliisque honoribus, oneribus, salariis, & regalibus consuetis, quatenus ad Prædecessorem, & Sedem præfatam, ac Cameram Apostolicam spectarent, Philiberto tunc Marchioni, quandiu in humanis ageret, & deinde Besso, & dicto Francisco Philiberto ejusdem Bessi primogenito, ita quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus de primogenito in primogenitum masculum tantum, & de legitimo matrimonio procreatum transiret, ac primogenito deficiente, secundogenitus, ut præfertur, etiam in Castris, Terris, & Locis hujusmodi succederent, in Feudum nobile, honorificum, & antiquum pro annno censu unius crateris argentei ponderis unius libræ dictæ Cameræ in Vigilia, seu Festo Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum in Urbe solvendo, & aliàs editis modo, & forma tunc expressis concessit, & assignavit: ac Terras, & Loca hujusmodi cum prædicto Marchionatu, prout antea Comitatus Masseran. erat, reintegravit; illaque ad Philibertum, & Bessum Marchionem, eorumque futuros successores

sores præfatos transtulit, & de illis etiam investivit.

Quod successores Pontifices confirmarunt.

§. 2. Erectionemque, investituram, concessionem, reintegrationem, & translationem hujusmodi piæ mem. Julius Tertius, Paulus Quartus, Pius etiam Quartus, Pius Quintus, Gregorius Decimustertius, & Sixtus Quintus Romani Pontifices etiam Prædecessores nostri per suas desuper confectas Literas respective confirmaverunt, & approbaverunt, ipsique Pius Quartus, & Pius Quintus potiori pro cautela Castra, Terras, & Loca præfata Besso Marchioni, ejusque descendentibus masculis præfatis, & idem Sixtus Quintus etiam quondam Francisco Philiberto modo, & forma præmissis concesserunt, & assignaverunt.

Gregorius Decimustertius restitutionem Crepacorii Francisco Philiberto Flisco a Sabaudiæ Duce factam ratam habuit.

§. 3. Et cum Crepacorii, & Comitatus pertinentiarum præfato bon. memoriæ Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, & Pedemontium Princeps possessionem diu occupasset: juribus ipsius Francisci Philiberti, & suorum antecessorum prædictorum visis, & cognitis Gregorii Decimitertii Prædecessoris præfati assensu, & beneplacito accedente illam dicto Besso Marchioni dimisit, & relaxavit.

Sixtus V. censum accipitris in 10. ducat. auri commutavit.

§. 4. Cumque ratione dicti Marchionatus Masserani ipse Franciscus Philibertus censum unius Accipitris singulo biennio Cameræ præfatæ solvere solitus esset, idem Sixtus Quintus Prædecessor censum accipitris hujusmodi in decem ducatos auri dictæ Cameræ singulis annis eidem Cameræ Apostolicæ per eumdem Franciscum Philibertum, & successores prædictos persolvendos commutavit, illosque ab ulteriori solutione dicti accipitris perpetuo liberavit.

Quæ omnia confirmavit Clem. VIII.

§. 5. Omnia vero, & singula præmissa fel. etiam rec. Clemens Papa Octavus similiter Prædecessor noster approbavit, & confirmavit prout in singulis dictorum Prædecessorum Literis continetur.

Paulus Bessus Ferrerius Fliscus prædicta Apost. Literas confirmari petit ab Urbano

§. 6. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Paulus Bessus annuum censum decem ducatorum auri de Camera, & cæteris argentei ponderis unius libræ Cameræ persolverit, & in futurum solvere paratus sit, ut firmiora illa existant, quæ sæpius a Sede præfata confirmantur; Cupit propterea dictus Paulus Bessus Ferrerius Fliscus Princeps singulis Literis Pauli Tertii, ac Julii Tertii, Pauli Quarti, Pii Quinti, Gregorii Decimitertii, & Sixti Quinti, & Clementis hujusmodi Prædecessorum, omnibusque aliis, & singulis præmissis, nostrum, & dictæ apostolicæ firmitatis robur adjici, sibique, & successoribus præfatis, in præmissis provideri. Quare Nobis humiliter supplicari fecit dictus Paulus Bessus, quatenus sibi in eisdem præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§. 7. Nos igitur singularum Literarum investiturarum, & præmissorum omnium, & singulorum etiam veriores, & totos tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, dictumque Paulum Bessum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, singulas præfatas Literas Pauli Tertii, Julii Tertii, Pauli Quarti, Pii Quarti, Gregorii Decimitertii, Sixti Quinti, & Clementis Octavi Prædecessorum præfatorum, ac omnia, & singula in eisdem Literis contenta, & inde sequuta quæcumque licita tamen, & honesta, omnesque, & singulas investituras præfatas, Marchionatum Masserani, & Comitatum Crepacorii concernentia, sine tamen Sedis, & Cameræ Apostolicæ præjudicio, ita quod nullum novum jus dicto Paulo Besso Ferrerio Flisco moderno Principi Masserani, & Comiti Crepacorii, nec ejusdem Principis primogenito, aut cuicumque alteri per præsentes accrescat, nec quicquam de juribus Sedis, & Cameræ earumdem, etiam contra Literas piæ memoriæ Pii Papæ Quinti de non infeudandis, & alienandis rebus Ecclesiæ, & aliorum Romanorum Pontificum, ac etiam nostris decedat, verum omnia in statu, in quo erant ante præsentem confirmationem, remaneant, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis plenariæ, & inviolabilis firmitatis apostolicæ robur adjicimus.

Contraria tollit.

§. 8. Non obstantibus præmissis, necnon Cameræ Apostolicæ Marchionatusque, & Principatus, & Comitatus, Villarumque prædictarum, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, consuetudinibus, usibus, & naturis, ac legibus etiam imperialibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, illisque eorumque Superioribus, & personis, ac quibusvis aliis in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, etiam vim contractus, & Statuti etiam perpetui, seu legis inducentibus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, imposterum concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Februar. 1635 An. XII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Febr. 1635. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Imponit in Portugalliæ, & Algarbiorum, ac Siciliæ ultra Pharum Regnis, necnon in Indiis Occidentalibus unam Decimam semel Philippo Quarto Hispaniarum Regi persolvendam, ut opem Ferdinando Secundo Imperatori ferre possit.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Recenset concessam alias Philippo Hispaniar. Regi Decimam super Beneficiis Ecclesiasticis Hispaniæ, ut opem Ferdinando Imperat. ferre possct.

§.1. Aliàs ad funestos hæreticorum in Germania motus, & intestina Bella, quibus Provincia illa misere vexabatur, ut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem electo, in illo calamitoso rerum statu opem ferre posset, supplicationibus ejusdem Philippi Regis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, unam decimam super Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis Regnorum Hispaniæ, & Insularum illi adjacentium, ad effectum prædictum imposuimus, ipsique Ferdinando Regi in Imperatorem electo, & religioni catholicæ ibidem periclitanti, de propriis nostris, & hujus Sanctæ Sedis pecuniis, quantum cum Domino potuimus, etiam opem tulimus.

Iisdem subsistentibus causis Rex ad Beneficia Portugalliæ, Indiarum Occid., & Siciliæ extendi petit.

§.2. Cum autem, sicut dictus Philippus Rex Nobis nuper exponi fecit, eadem causa defensionis fidei catholicæ in dicta Provincia, & auxilii, eidem Ferdinando Regi in Imperatorem electo præstandi etiam ad præsens vigeat; Nos, ut dictus Philippus Rex in eodem Ferdinaudo Rege in Imperatorem electo adjuvando, & communi reipublicæ christianæ causa sustinenda melius continuare possit, super aliorum ejusdem Philippi Regis Regnorum, nempe Indiarum Occidentalium, ac Portugalliæ, & Algarbiorum, necnon Trinacriæ scilicet Siciliæ ultra Pharum Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis aliam Decimam imponere deliberavimus.

Annuit Urbanus.

§.3. Supplicationibus itaque ipsius Philippi Regis Nobis denuo humiliter porrectis inclinati, de attributæ Nobis a Domino apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium indicimus, & imponimus unam integram semel, & in præsenti, aut saltem proxime subsequenti anno exigendam, & persolvendam Decimam juxta ratam a nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntio, quoad Indias prædictas, quo vero ad Regna Portugalliæ, & Algarbiorum a jurium, & spoliorum Cameræ Apostolicæ ibidem debitorum collectore generali nunc, & pro tempore existentibus, & quoad Siciliæ Regnum præfatum respective a persona per Nos deputanda taxandam, fructuum, redditnum, proventuum, obventionum, emolumentorum quorumcumque, ac distributionum quotidianarum omnium Ecclesiarum Archiepiscopalium, Episcopalium, Collegiatarum, Parochialium, nec non Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Mensarum Abbatialium, Capitularium tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam quarumcumque Collegiatarum Ecclesiarum prædictarum, nec non Conventualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, etiam Fabricæ, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Augustini, Cluniacen., Cistercien., Præmonstraten., & quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus etiam Mendicantium annuos redditus habentium tam virorum, quam mulierum, necnon Congregationum regularium, Institutorum, & Societatum, etiam Societatis Jesu, & præterea Hospitalium, necnon Sancti Jacobi de Spata, Alcantara, Calatrava, de Avis, & Montesia, necnon Sancti Lazari, & aliarum quarumcumque Militiarum, ac locorum piorum, exceptis Fratribus Militibus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, qui pro sui tutela contra Turcas, & alios Infideles, alienis auxiliis quotidie indigent, nec non Ecclesiis Cathedralibus, quarum mille ducatos monetæ Hispaniarum ad rationem undecim regalium pro quolibet Ducato, ac Parochialibus, etiam Doctrinis in partibus Indiarum hujusmodi nuncupat. quarum fructus centum ducat. similes annui redditus non excedunt, quos pro eorum congrua sustentatione sufficere accepimus, & etiam illis Ecclesiarum Cathedralium Præsulibus, seu Antistitibus, aliisque personis ecclesiasticis, qui, & quæ ratione Ecclesiarum, & Beneficiorum per eos obtentorum, & obtinendorum, ac pensionum sibi pro tempore reservatarum fructus unius mensis earumdem Ecclesiarum, Beneficiorum, & pensionum eidem Philippo Regi juxta concessionem illi a Nobis ad certum tempus nondum elapsum factam, altero dictorum duorum annorum persolverint, ita quod non eodem, quo solverint, sed immediate subsequenti anno dumtaxat ad ejusdem Decimæ solutionem teneantur; ac similiter Decimam omnium pensionum super præmissis assignat., & assignan. percipien., & exigendam a quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, Primatibus, Præpositis, Decanis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Abbatissis, Priorissis, Fratribus, Militibus, & Presbyteris, ac Clericis, aliis quocumque nomine nuncupatis secularibus, & regularibus, cæterisque cujuscumque dignitatis, status, & conditionis existentibus præfatas quocumque jure, modo, occasione, & titulo obtinentibus, seu detinentibus, & obtenturis, necnon Œconomis, & Administratoribus perpetuis, seu tem-

temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, & alia quæcumque hujusmodi jura, & bona ex quacumque causa quavis auctoritate in toto, vel in parte sibi reservata, aut concessa habentibus, vel habituris secularibus, & regularibus Ordinum, Congregationum, Societatum, Militiarum, & Hospitalium præfatorum, necnon ab ipsis Ecclesiasticis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & Locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mista, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata suffultis etiamsi quacumque prærogativa gaudeant, & aliàs in generali dispositione non includantur, sed speciali, ac individua mentione digni sint, quos omnes (exceptis supradictis) Collectoribus, ut supra deputandis volumus Decimam prædictam juxta taxam prædictam infra præsentem, seu saltem immediate subsequentem annum integre persolvisse, decernentes nullas omnino esemptiones, & immunitates exactionem hujusmodi impedire posse.

Clausula. §.4. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quis modus in Decima hujusmodi exigenda servari debeat. §.5. Ut autem supradicta diligenter, & fideliter esequutioni demandentur, eosdem Nuntium, & Collectorem, ac personam per Nos, ut præfertur, deputandam in Decimæ prædictæ Collectores respective, cum omnibus juribus, quæ aliis hujusmodi Collectoribus de jure, vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate, & tenore prædictis constituimus, & deputamus. Mandantes, ut quid quid inde per se, & personas ecclesiasticas a quolibet illorum respective deputandas, seu Subcollectores Ecclesiasticos suos esegerint; id omne, & totum integre, & absque ulla diminutione, retentione, seu participatione Thesaurario ipsius Philippi Regis in supradictos defensionis fidei catholicæ in Germania, & non alios usus convertendum consignari faciant, receptis tamen a Thesaurario in actu cujuslibet consignationis attestationibus, & quietantiis duplicatis ejusdem Thesaurarii de iis pecuniarum summis, quas ipsi Thesaurario Collectores prædicti solverint, ac eisdem Nuntio, Collectori, & personæ per Nos deputandæ plenam, liberam, & amplam, ac absolutam potestatem, taxam, & repartimentum hujusmodi pro prædicta Decima dumtaxat esigenda, omni, & quacumque appellatione, recursu, nullitatis dictione, ac in integrum restitutione prorsus remotis faciendi, & præscribendi, præfatos omnes ad Decimam hujusmodi pro rata quemlibet juxta prædictam taxam tangente persolvendum, etiam per edictum in locis publicis affigendum, & sub censuris, & pœnis ecclesiasticis monendi, & requirendi, non parentes, contumaces, & fraudantes in censuras, & pœnas prædictas incidisse declarandi, proprietates, fructus, res, & bona ipsorum apprehendendi, & usque ad satisfactionem retinendi; Contradictores, perturbatores, molestatores, & rebelles quoscumque, eisq; auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occulte quovis quæsito colore præstantes cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, præfatis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis opportunis compellendi, illaque etiam iteratis vicibus aggravandi: eos vero, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi. In delinquentes, & contumaces per se, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, ac meritis pœnis puniendi, modos, & formas in præfatis servandos præscribendi concedimus, & impertimur.

Obstantium derogatio. §.6. Non obstantibus fel.rec. Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in aliis Conciliis generalibus editis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Societatum, Hospitalium, & Locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis: quodque personis prædictis, eorumque Ecclesiis, Locis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, esemptionibus, immunitatibus in genere, vel in specie, etiam S. R. E. Camerario, Thesaurario, & aliis Cameræ Apostolicæ Ministris participantibus, etiam ex causa onerosa quomodulibet concessis, confirmatis, & innovatis, & solutiones Decimarum aliter, quam secundum antiquam taxam, & nonnisi in universali Decimarum per orbem impositione fieri prohiben., necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimæ hujusmodi minime teneri, neque eas quoad præmissa contra quemcumque locum habere declaramus, aliisque Indultis, & Literis Apostolicis gene-



generalibus, vel ſpecialibus cujuſcumque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus non espreſſa, aut totaliter non inſerta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque tenoribus habenda ſit in noſtris Literis mentio ſpecialis: quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam ſuffragari, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Alia in exigenda Decima conditiones præſcribuntur.

§.6. Volumus autem, quod in exigenda, & percipienda prædicta Decima in præſenti, vel ſaltem ſequenti anno, ut præfertur, unum Regnum, unaque Provincia, ac una Eccleſia, necnon unum Beneficium, Domus, ſeu Locus reſpective non poſſit pro alio Regno, Provincia, Eccleſia, Beneficio, Domo, ſeu Loco moleſtari, nec gravari: quodque juxta piæ memoriæ Clementis Papæ Quinti etiam Prædeceſſoris noſtri in Concilio Vienneo. editam Conſtitutionem, & præſertim quod nec calices, nec libri, cæteraque Eccleſiarum ornamenta divino cultui dicata, aliave ſuppelles eccleſiaſtica ex cauſa pignoris capi, recipi, vel diſtrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, & illam ubique præcipimus obſervari: quinimo volumus, quod Præſulibus mille ducati hujuſmodi, ac reſpective curam animarum esercentibus centum, etiam pro ipſorum congrua, ut præfertur, ſuſtentatione remaneant. Quodque occaſione iſtius Decimæ Eccleſiæ, Monaſteria, aliaque pia, & ſacra loca quæcumque debitis propterea non fraudentur obſequiis, ac divinus in iis cultus, & ſolitus Altiſſimo famulantium, & miniſtrorum numerus nullatenus minuatur, nec iis quoquo modo injuncta onera, aut pia, quæ exerceri ſolent, opera, & officia ullo modo minuantur, ſeu negligantur, ſed eorum congrue ſupportentur onera conſueta: quodque præter præfatam Decimæ impoſitionem quibuſcumque juribus noſtris, & Collegii S. R. E. Cardinalium, ac Cameræ noſtræ Apoſtolicæ in aliquo minime præjudicetur. Ac in eventum, in quem pax in Germania ſequeretur, itaut contra hæreticos non ſit opus bellum continuare, tunc decima per præſentes impoſita quoad Indias, Portugalliam, & Algarbiorum expendatur pro Indiis Orientalibus, & Occidentalibus contra hæreticos, & infideles, alioſque invaſores catholicæ fidei inimicos, & quoad Siciliam contra turcas, & alios infideles, alioſque ejuſdem fidei catholicæ hoſtes.

Præſentium tranſumptis danda fides.

§.7. Præſentium vero Literarum esempla, etiam impreſſa manu Notarii, publici ſubſcripta, aut alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignata, eamdem fidem in judicio, & extra illud ubique locorum facere, quæ ipſę originales facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 24. Martii 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 24. Mart. 1635. Pontificatus noſtri Anno XII.

CDLXXVI.

Confirmatio præfinitionis habitus factæ inter Fratres Diſcalceatos Sanctæ Thereſiæ, & Fratres primi Inſtituti, vulgo de Monte Sancto, nuncupatos.

De Fratribus Carmelitis vide in Conſtitut. LXXVIII. Ut vivendi. *Honor. III. Tom. III. fol.242. Et de Carmelitis Diſcalceatis vide in Conſtit. CXXI* Pia conſideratione. *Greg. XIII. Tom. IV. Par. III. fol.448. Et in hujus Pontificis ad Conſtitut. CXXII.* Romanus. *Tom. V. Par. V. fol.325.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

INter cætera apoſtolicæ ſolicitudinis curas, quibus jugiter premimur, ea Nos potiſſimum urget, ut perſonæ regulares in pacis amœnitate feliciter regantur, & gubernentur.

Cauſæ hujus Conſtit. referuntur, ac decretum deſuper emanatum.

§.1. Nuper ſiquidem pro parte dilecti filii Prioris Generalis Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Nobis expoſitum fuit, quod aliàs cum inter Fratres Diſcalceatos S. Thereſiæ, & Fratres primi Inſtituti, ſeu Seminarii de Propaganda Fide, vulgo de Monte Sancto nuncupatos, aliqua dubia circa habitum ſuborta eſſent; ad removendam omnis controverſiæ, & litis materiam, habita ratione eorum, quæ ab utraque parte coram dilecto filio noſtro Martio S. Mariæ Novæ Diacono Cardinale Ginetto nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectore allegata fuerunt; de eorum conſenſu a ſe pro Fratribus primi Inſtituti decretum fuit, uti ipſi Calceati ſemper incedant, tunicamque deferant ex lana, quæ in Provinciis minori, & viliori pretio emi poterit, coloris griſii, nigri, vel ad nigredinem tendentis cum manicis ſtrictis, ſcapulari aliquantulum breviori, tunica latitudinis ſexdecim digitorum per tranſverſum, necnon cum capucio, cujus anterior extremitas deſcendat ad octo digitos ſuper pectus, & poſterior uſque ad cingulum, & decenter utrumque humerum cooperiat; ipſum vero capucii caput ad formam capitis rotundum erit, & ſtrictum, & illis iiſdem menſuris correſpondere debet capucium album. Habebunt inſuper cappam albam laneam ad collum criſpatam cum plicis octo digitis tunica breviorem, & pallium, de quo ſit mentio in Conſtitutionibus Ordinis part.1. cap.16. §.2. ſive in Conventu, ſive estra talis erit formæ, ut ejus diſtinctio a Cappa Diſcalceatorum ſit nota, & evidens: utenturque galero nigro, ſi quando ejus neceſſitas illis occurrerit. Ut autem prædictis Religioſis impoſterum ea retractandi, vel diſſidendi libera tollatur facultas; quin potius, ut in vinculo pacis Domino famulentur; Nobis propterea di-

ctus

ctus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Quod modo confirmat.

§.2. Nos igitur dictum Priorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio Decretum prædictum apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus; ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas præservativas addit.

§.3. Decernentes Decretum hujusmodi, necnon præsentes Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tenores.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 5. April. 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Aprilis 1635. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXXVII.

Constitutiones, quibus revocantur vivæ vocis Oracula, non comprehendunt illos Officiales, quibus ratione munerum suorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi solebat.

Concessiones vivæ vocis Oraculo factas, exceptis Oraculis factis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & eorum manu firmatis, revocavit Gregor. XV. in Constit. LXIII. Romanus. *Tom. V. Par. V. fol. 37.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refert Const. Gregor. XV. indicatam.

§.1. Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis a Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ &c. *Omittitur hæc Constit. quia eam habes loco in Rubr. cit.*

Ipsam Greg. Constitut. hic Pont. extendit ad Oracula etiam facta S.R.E. Card. & eorum manu firmata.

§.2. Et subinde per Nos accepto, quod experientia rerum magistra compertum erat, concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam a S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ ecclesiasticæ detrimentum exequutioni demandari; Idcirco, quantum cum Domino potuimus, his, & aliis malis occurrere volentes; Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi mature discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Provincialibus, cæterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sive secularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, & contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, apostolica auctoritate revocavimus, cassavimus, sustulimus, abrogavimus,

vimus, & annullavimus, ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nullique deinceps suffragari posse, nec debere declaravimus, prout in aliis nostris desuper in simili forma Brevis expeditis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc illam declarat non comprehendere illos officiales, quibus ratione munerum antea de Summi Pont. oraculo fides haberi solebat.

§.3. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, & Sedis Apostolicæ Officialibus, seu Ministris, qui eorum officiorum, seu munerum ratione, de gratiis concessionibus, & dispositionibus quibuscumque per Nos faciendis, mandatisque, & jussionibus nostris exequendis, aliisque rebus, & negotiis gerendis, Nobiscum diversa tractant per se, seu de eorum mandato facienda, gerenda, & exequutioni demandanda, vivæ vocis oraculo commiserimus, & in dies circa ea, quæ ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus; Nos firmiori gestorum de mandato nostro per eosdem Officiales, seu Ministros validitati, eorumdemque Officialium, seu Ministrorum securitati consulere volentes: Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Officiales, seu Ministros prædictos, quibus aliàs ante emanatas prædictas Constitutiones ex officiorum suorum auctoritate, & prærogativa de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito fides haberi solebat, quoad ea, quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, in Literis etiam nostris prædictis super revocatione oraculorum hujusmodi emanatis minime comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere declaramus, & decernimus: & ad abundantiorem cautelam eosdem Officiales, seu Ministros adversus easdem Constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, & plenarie reintegramus in omnibus, & per omnia, perinde ac si quoad illos prædictæ Constitutiones non emanassent.

Clausulas præservativas apponit.

§.4. Decernentes, præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus Gregorii Prædecessoris hujusmodi, nostrisque Literis præfatis, ac omnibus illis, quæ in dictis Literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 11. Aprilis 1635. An.XII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 11. Apr. 1635. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Nuncio Apostolico apud Poloniæ Regem, ut petente Metropolita Russiæ inhibeat, ne Regularium cujuscumque Ordinis Domus aliqua Zyrovicijs erigatur.

Dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Vladislaum Poloniæ, & Sveciæ Regem Illustrem Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS.

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Commissio, de qua in Rubrica.

Certis de causis animum nostrum moventibus de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei præpositorum consilio, tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut si id expedire, & non subesse periculum alicujus scandali, aut inconvenientis subsequuturi cognoveris, Venerabili Fratri Metropolitæ Russiæ Literas inhibitoriales auctoritate nostra concedas, ne inconsulta Sede Apostolica in Pago Zyroviciæ, ejusque districtu novas Domos, sive Conventus, aut Hospitia per Religiosos cujusvis Instituti, vel Ordinis erigantur, construantur, aut ædificentur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. die 18. Maii 1635. An.XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima octava Maii 1635. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXXIX.

Regulares, qui ultra vota solita, etiam votum emittunt de non petenda, aut non acceptanda extra Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, aut dimissionem, a voto hujusmodi nullatenus liberantur.

Diversis Regularium Ordinibus ambitum prohibuerunt Pontifices, & hoc videre poteris in Repertorii Verbis, ad singula eorum nomina.

His addo, quod super Professionibus per Regulares emissis, non facto in locis designatis Novitiatu edidit hic Pontifex Constit. CCCLXIII. *Religiosos*. Tom. VI. Par. I. fol. 271. Qui subjectos declaravit ipsos Regulares, quantumvis exemptos, Constitutionibus Apostolicis in concernentibus fidem catholicam, & sanctæ Inquisitionis officium, ut in Constitutione CCCLXXXVII. *Cum sicut accepimus*. ibidem. fol. 293. Et super Missionibus ad Japponiam nonnulla statuit in Constitut.

stitut. CDXXV. *Ex debito*, Tom.VI. Par.I. fol.338.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia multi Regulares ultra alia vota emiserunt votum de non petenda, procuranda, vel acceptanda dignitate, extra eorum Religiones;

§.1. CUM, sicut accepimus, diversorum Ordinum, Congregationum, & Institutorum, ac etiam Societatis Jesu personæ regulares, ultra alia vota, etiam votum, promissionem, sive juramentum solemniter, sive simpliciter emittant, aut præstent de non petenda, uec procuranda, minusve acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua superioritate extra eorum Religionem;

Et sub diversis rationibus pretendunt se liberatos a dicto voto.

§.2. Quoniam vero propter infirmitatem, seu aliam legitimam causam, Sedes Apostolica aliquibus personis regularibus licentiam aliquando impertitur, se de una ad aliam Religionem, etiam speciali nota, & expressione dignam, etiam laxioris observantiæ transferendi, necnon aliqui etiam Religionum supra expressarum, & cujuslibet earum Generales, vel alii Superiores vigore, ut asserunt, facultatum sibi per Sedem eamdem concessarum, translationem de una ad aliam Religionem, aut strictiorem, vel laxiorem regularibus suis, sive per viam expulsionis, sive alio quovis modo concedunt; vel aliàs regularibus suis hujusmodi, ut se transferant, occasionem præbent: vel etiam ipsi regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra Claustra, etiam in habitu Clerici, vel Sacerdotis secularis aliquando obtinere solent;

Ideo Pontif. declarat per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, vel dimissioné, nullatenus a voto hujusm. liberatos esse.

§.3. Ideo, ne per præfatas, & quascumque alias translationes, expulsiones, & dimissiones habitus regularis eorumdem regularium, quavis authoritate, licentia, occasione, ratione, & causa quantumlibet rationabili, favorabili, pia, & publica, etiam in corpore juris clausa, sive ratione majoris boni, ac aliàs quomodolibet hactenus, & pro tempore factas, & faciendas, possint regulares hujusmodi hactenus, & pro tempore, ut præfertur, translati, expulsi, etiam post habitum religionis dimissum, prætendere se a dicto voto, promissione, sive juramento de non petendo, nec obtinendo aliquam dignitatem, & de illam etiam motu proprio collatam non acceptando, fuisse, vel esse liberatos, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes; necnon voti, promissionis, seu juramenti, ac facultatum, licentiarum, expulsionum, & causarum, aliorumque etiam de necessitate exprimendorum veriores, & totos tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, & decernimus, quoscumque regulares prædictos cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis Jesu, per quamcumque translationem hactenus, & imposterum quandocumque de sua ad aliam Religionem, vel Ordinem, ut præfertur, seu aliàs quomodolibet, etiam pluries, & per quamcumque expulsionem, habitusque regularis dimissionem pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici, aut censeri posse, seu debere a præfato voto, promissione, seu juramento liberatos: sed eos hactenus, & pro tempore, ut præfertur, translatos, expulsos, ac a delatione habitus regularis absolutos, vel privatos, quarumcumque dignitatum hujusmodi, proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde ac si translati, expulsi, seu a delatione habitus liberati, seu privati non fuissent.

Huic Constit. clausulas præservativas apponit.

§.4. Præsentes vero literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut Statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse; neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§.5. Sicque, & non aliter in præmissis omni-

Aliter judicandi facultatem tollit.

omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ nostræ Regulis, & quatenus opus fuerit, etiam illa de jure quæsito non tollendo, ac cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§.7. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit; Volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur: quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis fidem dari jubet.

§.8. Quodque illarum transumptis impressis, sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimaprima Maii 1635. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Dat. die 21. Maii 1635. An.XII.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi, 1636. die vero 20. mensis Novembris, retroscriptæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antonium Bardum, & Julium Marzitellium Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Hieronymus Vecchionus Mag. Curs.

CDLXXX.

Facultas Nuntio Apostolico in Regno Neapolis examinandi Testes, & procedendi contra Episcopos non residentes suis in Ecclesiis.

Ex Regest. in secret. Brev.

*Constitutionem ab hoc Pontifice editum contra Episcopos non residentes, vide superius Num.CDL.*Nuper. *Tom.VI.Par.I.fol.375.*

Dilecto filio Magistro Nicolao de Herrera in utraque Signatura nostra Referendario nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolitano Nuntio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Recenset editam a se Constitutionem super residentia Episcoporum.

§.1. CUM residentia a Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis ordinata, præcipuè in Ecclesiis Cathedralibus, & Majoribus in præjudicium servitii earumdem Ecclesiarum, ac curæ animarum Præfectis eisdem Ecclesiis commissarum negligeretur, Nos pro nostri pastoralis officii debito, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Constitutionem, & Decretum Consistoriale sub die 12. & 18. Decembris 1634. respective super eadem residentia sub certis tunc expressis censuris, & pœnis facienda edidimus, prout in Constitutione, & Decreto hujusmodi, quorum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Facultas Nuncio Neapolit. de qua in Rubrica.

§.2. Quoniam vero, sicut accepimus, nonnulli ex Præfectis Ecclesiis hujusmodi, postposito Dei timore, in diversis Civitatibus, & Locis extra Loca debitæ ab eis residentiæ moram trahant; alii vero post plures annos a die eorum provisionis, & præfectionis eisdem Ecclesiis decursos hactenus ad residendum apud Ecclesias suas prædictas se conferre de facto distulerunt, & differunt, & ab eisdem Ecclesiis suis contumaciter absque nostra, & hujus Sanctæ Sedis licentia absunt; parum vero foret, Constitutiones Apostolicas edere, nisi exequutioni demandarentur; Idcirco motu pro-

tu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Te ad omnes, & quascumque diligentias necessarias, & opportunas, & alias quomodolibet tibi benevisas per Te, vel alium, seu alios a Te subdelegandos faciendas, ac Testes, aliasque probationes recipiendas, & examinandas, tenore præsentium constituimus, & deputamus, cum facultate quoscumque processus circa præmissa, ac eorum, & cuilibet illorum occasione necessarios, & opportunos tibi benevisos contra omnes, & singulos Episcopos, Archiepiscopos, & alios quoscumque Ecclesiis Cathedralibus, & majoribus Præfectos quacumque Dignitate præditos etiam S. R. E. Cardinales, cujuscumque qualitatis, status, gradus, & conditionis, etiam speciali nota, & expressione dignos apud suas Ecclesias quacumque de causa, ratione, vel prætextu non residentes, seu ad residendum in eis non se conferentes, vel alias extra residentiam suam quomodolibet moram contra, aut præter ejusdem Constitutionis, & Decreti Consistorialis tenorem trahentes faciendi, ac eosdem processus ad Nos, & Sedem Apostolicam transmittendi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna dicendi, gerendi, & exequendi. Non obstantibus omnibus illis, quæ in prædicta Constitutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Maii 1635. An. XII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Maii 1635. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CDLXXXI.

Quod assertiones, & enunciationes scriptorum, & aliorum quorumcumque non faciant fidem, nisi servata forma in hac Constitutione præscripta.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. IN supremo justitiæ solio, & apostolicæ potestatis plenitudine a Domino constituti, inter cæteras pastoralis officii nostri curas, in eadem boni patrisfamilias exemplo libenter incumbimus, ut non modo unicuique, quod suum est, æqua lance tribuatur, verum etiam Cameræ Apostolicæ, Ecclesiarumque omnium, & personarum eis in divinis inservientium jura sarta tectaque opportunis rationibus præserventur, nec literarum ab hac Sancta Sede emanatarum, ob sinistram, & malitiosam quorundam interpretationem, sive enunciationem, effectus eludatur.

Quia nonnulli scriptores, glossatores, & commentatores scripto, vel impressione, aut enunciatione asserunt editas nonnullas Const. a Sede Apost. in præjudicium ipsius Sedis, Ecclesiarum, seu aliorum locorum piorum; §. 1. Cum itaque, sicut accepimus, ocularique inspectione cognovimus, nonnulli scriptores, glossatores, expositores, interpretes, & commentatores tam historiarum, etiam antiquarum, repetitionum, tractatuum, & allegationum, seu consiliorum, glossarum, & annotationum, collectanearum, seu quæstionum, vel, ut vocant, decisionum, ac resolutionum, disceptationum, expositionum, declarationum, controversiarum, & aliarum quovis nomine nuncupatarum scripturarum, etiam typis impressarum, ac compositionum, & librorum etiam impressorum, etiam super interpretatione Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & Conciliorum, ac Legum, etiam Imperialium, & Pragmaticarum, sive Decretorum, & Statutorum, etiam Regnorum, & Provinciarum, quam quarumcumque aliarum materiarum, etiam pactionum, etiam mutuarum, concordatorum, compactorum, capitulationum, articulorum, seu conditionum etiam pacis, seu fœderis etiam generalis, seu treguæ, ac quorumcumque contractuum, conventionum, donationum, dationum, emphyteuticationum, infeudationum, investiturarum etiam de Terris, Castris, Civitatibus, Regnis, seu Provinciis, ac facultatum, licentiarum, indultorum, privilegiorum, gratiarum, commissionum, delegationum, constitutionum, sanctionum, & dispositionum quarumcumque, ac cujuscumque generis, & specie etiam speciali nota, seu expressione dignarum, quascumque artes liberales, & alias quascumque materias tam profanas, quam ecclesiasticas, & spirituales tractantium, seu continentium, & quæ quomodolibet præeminentias, dignitates, jurisdictiones, superioritates, confinia ditionum, resque, & jura etiam Sedis Apostolicæ, & quorumcumque Principum cujuscumque qualitatis, conditionis, status, dignitatis etiam ecclesiasticæ, & cujuslibet alterius prærogativæ, & præeminentiæ, etiam quarumcumque Rerumpublicarum, Universitatum, Civitatum, Communitatum, Nationum, & quorumcumque aliorum aliis præsidentium, etiam Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, etiam cujuslibet ordinis, & militiæ regularium concernunt, & alias quomodolibet interesse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedis prædictæ, ac Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum tangunt, ausi fuerint, & audeant asserere, & affirmare, seu enunciare, a Nobis, Romanisque Pontificibus Prædecessoribus nostris emanasse diversas concessiones, gratias, indulta, privilegia, aliasque diversas dispositiones, cum tales, & talia non emanaverint, vel saltem aliter, quam ipsi sive malitiose, sive erronee suis commentis, sive compositionibus tam calamo exaratis, quam typis impressis hactenus etiam antiquitus dixerint, & publicaverint, dicantque, & publicent, etiam ratione monumentorum, ac aliorum quomodolibet in publico expositorum; imo, quod pejus est, etiam non erubuerint, nec erubescant in suis scriptis, ac tractatibus etiam impressis ponere assertos tenores prætensarum Literarum Apostolicarum tam sub plumbo,

bo, quam sub Annulo Piscatoris, ut dicunt, ab hac Sancta Sede expeditarum, & illos vel falsos, vel valde diminutos, ac truncos inserere, omittendo restrictiones, seu limitationes temporum, & alias substantiales, ac diversa, & plura alterata inserendo, ponendo, referendo, seu enunciando, ita fingendo concessiones, quæ factæ non fuerunt, vel concessionem esse perpetuam, & unius tenoris, cum fuerint ad certum etiam modicum tempus, seu etiam alterius tenoris, ac aliter multis modis unum pro alio asserere, affirmare, vel enunciare voluerint, & velint, suasque assertiones, & scripta ediderint, & impresserint, edantque, & imprimant, publicentque in præjudicium Ecclesiarum, & locorum piorum, Cameræque, & Sedis Apostolicæ;

Declarat hujusmodi assertiones, enunciationes &c. scriptas, vel impressas nullam fidem facere in judicio, nec extra in præjudiciū Sedis Apostol. Ecclesiarum, seu aliorum locorum, & personarum, etiam in favorem alterius Ecclesiæ, Loci Pii &c. nisi prius constiterit de ipsarum originalibus recognitis, seu extractis a Datario, Secretario Brevium, Præfectis Archiviorum, vel aliis Sedis Apost. officialibus.

§.2. Quapropter Nos his fraudibus, & malitiis, ac etiam erroribus, & præjudiciis, quæ etiam defectu imprimentium multoties occurrunt, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare volentes, ipsarumque historiarum, tractatuum, repetitionum, allegationum, compositionum, interpretationum, & assertionum, ac insertionum, & enunciativarum quarumcumque, aliorumque præfatorum cujuscumque generis, & speciei sint, ac super qualibet re, & ex quacumque occasione, vel causa, & a quibuscumque personis facta fuerint, etiamsi speciali mentione, & expressione, imo etiam de verbo ad verbum insertione, vel relatione indigerent, tenores etiam majores, & veriores pro insertis, & expressis habentes, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, & decernimus, omnes, & singulas præfatas assertiones, narrativas, insertiones, relationes, expositiones, declarationes, & enunciativas, ac quascumque expressiones quarumcumque gratiarum, concessionum, indultorum, privilegiorum, ac dispositionum apostolicarum, & quorumcumque aliorum, ut præmittitur, ac aliàs quomodolibet a præfatis, & aliis quibuscumque scriptoribus, & auctoribus, etiam quoad alia receptis forsan, & approbatis, etiam antiquis, antiquioribus, & antiquissimis factas, scriptisque exaratas, & typis impressas, nullam fidem, nec indicium, aut probationis speciem, seu adminiculum fecisse, nec facere in judicio, nec extra judicium, in damnum, læsionem, seu præjudicium Sedis Apostolicæ, Ecclesiarum, & locorum piorum, eaque obtinentium, ejusque, & eorum jurium quorumcumque, ac dignitatum, & jurisdictionum, etiam in favorem cujuscumque alterius Ecclesię, loci pii, & ecclesiasticæ personæ, nisi si, & postquam constiterit, de originalibus Literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, Chirographorum, supplicationum, vel Motuum propriorum, seu in defectum originalium, nisi prius ipsæ gratiæ, indulta, concessiones, privilegia, & quæcumque aliæ dispositiones, quæ ut præfertur, per Nos, ac Romanos Pontifices asseruntur factæ, fuerint recognitæ, seu extractæ a Datario, Secretario Brevium, & Præfectis Archiviorum, ac Magistris Registrorum, aliisque ejusdem Sedis Apostolicæ officialibus respective, & per eosdem officiales cum earum originalibus auscultatæ, collatæ, & concordare inventæ, seu respective recognitæ, ita ut quibuscumque scriptorum, aliorumque præfatorum assertionibus, narrativis, insertionibus, relationibus, enunciativis, & expressionibus gestorum, concessorum, & dispositorum, ut dicunt, vel pro tempore dicent, per Nos, seu Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores nostros, nulla fides umquam adhibeatur, nec adhiberi possit, nisi constito prius de narrato, relato, inserto, asserto, & enunciato authentico, videlicet per originale exhibendum, vel per sumptum, ut præfertur, extrahendum, & respective recognoscendum.

Vult insuper, quod ubi agitur de interesse Sedis Apostol., vel Cameræ prædicta extractio fiat citato, & audito Cameræ Apostolicæ Commissario, & in subscriptione extractionum fiat mentio de hujusmodi citatione.

§.3. Et quoad ea, in quibus agitur quomodolibet de aliquo interesse, vel præjudicio Cameræ, & Sedis Apostolicæ, nisi ultra præfata, etiam concurrat, quod prædicta extractio, collatio, & auscultatio, ac respective recognitio factæ fuerint, citato, & audito Cameræ Apostolicæ Commissario pro tempore existente; & nisi officiales hujusmodi in eorum, & earum extractione, & subscriptione attestentur de citatione, auscultatione, collatione, & concordia, ac respective recognitione prædictis. Et idem statuimus, & decernimus esse observandum respectu gratiarum, concessionum, indultorum, privilegiorum, ac quarumcumque aliarum dispositionum, quæ imposterum a Nobis, seu a Romanis Pontificibus Successoribus nostris canonice intrantibus, emanasse assererentur, ut illarum assertiones, insertiones, & enunciativæ, aliaque præmissa, & quodlibet eorum a quibuscumque scriptoribus, & authoribus, ut præfertur, pro tempore faciendæ, & facienda, nullam fidem, indicium, vel probationem faciant in præjudicium Sedis Apostolicæ, & aliorum præfatorum in judicio, & extra judicium, nisi si, & postquam auscultatio, & respective citatio, aliaque præmissa omnia, & singula pariter intervenerint.

Clausulas præservativas apponit.

§.4. Præsentes quoque Literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, & causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adim-

& adimplenda, adimpleta, & servata non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam prætextu enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut alia quacumque causa etiam in corpore juris clausa, etiam quantumvis rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium imperrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse; neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Decretum irritans superaddit.

§.5. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate interpretari, judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus feret, nostra de non tollendo jure quæsito, ac quibusvis aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat præsentem Const. publicari in Urbe, & publicatam omnes afficere.

§.7. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit; Volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur: quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Et ejusdem transumptis credi.

§.8. Quodque illarum transumptis impressis, sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 1. Junii 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die prima Junii 1635. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die vero vigesima mensis Novembris, retroscriptæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antonium Bardum, & Julium Marzitellum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Hieron. Vecchionus Mag. Curs.

CDLXXXII.

Facultas Nuncio Neapolitano permittendi Civibus Neapolitanis, ut cum Clero transigere possint super novo quodam imposito vectigali.

Ex Regest. in secret. Brev.

Dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Cives Neapolitani cum clero transigere cupiunt super novo quodam imposito vectigali.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas, & homines Civitatis Neapolitan., quod cum summam unius millionis scutorum per eos charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, qui etiam Rex Neapolis existit, oblatam nulla alia faciliori, quam infrascripta ratione, congerere possent, gabellam duorum granorum pro quolibet rotulo ad aliud granum auxe-

auxerunt super iis omnibus rebus comestibilibus exigendam, super quibus dicta duo grana exiguntur, excepto tamen pisce recente, saracchis, & baccalà, ac ulterius gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei imposuerunt. Quod quidem augmentum novi grani pro rotulo, & gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei in eadem Civitate Neapolitana, ejusque suburbiis, districtu, & casalibus a die 6. Januarii præsentis anni 1635. accedente nostra, & Apostolicæ Sedis licentia, etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis, Suburbiorum, ac Districtus, & Casalium prædictorum ad evitandas fraudes exigere, eisdemque Clero, & personis ecclesiasticis certam ratam restituere intendunt.

Et licentiam adita Sede expostulant.

§.2. Unde cum eosdem Communitates, & homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis prædictis devenire necesse sit, Nobis propterea Communitas, & homines prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex facultaté Nuncio Apostolico concedit.

§.3. Nos igitur Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi indemnitati, pro nostri pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac de tuis singulari fide, prudentia, integritate, & religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi, ut tam super augmento novi grani pro rotulo, quam impositione gabellæ unius caroleni pro quolibet staro olei, ut præfertur, factis, illorumque exactione in vim licentiæ per te illis concedendæ facienda, cum eisdem Communitate, & hominibus ratione ratæ per eos dictis Clero, & personis ecclesiasticis ad evitandas fraudes, ut præfertur, a dicta die 6. Januarii proxime præteriti, & in futurum restituendæ transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere libere, & licite possis, & valeas, apostolica auctoritate, tenore præsentium, facultatem concedimus, & impertimur.

Derogatque contrariis.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 19. Junii 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimanona Junii 1635. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CDLXXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Sequitur applicatio pecuniæ, quæ ex supradicto vectigali Clero esset restituenda, Fabricæ Basilicæ S. Petri de Urbe.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Præcedentes literas recenset.

§.1. Hodie pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Neapolitanæ Nobis exposito, quod cum summam unius millionis scutorum per eos charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, qui etiam Rex Neapolis existit, oblatam, nulla alia faciliori, quam infrascripta ratione congerere possent, gabellam duorum granorum pro quolibet rotulo ad aliud granum auxerant, super iis omnibus rebus comestibilibus exigen., super quibus dicta duo grana exiguntur, excepto tamen pisce recente, saracchis, & baccalà, & ulterius gabellam unius caroleni, pro qualibet mensura staro nuncupata olei imposuerant, & augmentum novi grani, pro rotulo, & gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei in eadem Civitate Neapolitana, ejusque suburbiis, districtu, & casalibus a die 6. Januarii præsentis anni 1635. accedente nostra, & Sedis Apostolicæ licentia etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis, Civitatis, suburbiorum, ac districtus, & casalium præfatorum ad evitandas fraudes exigere, eisdemque Clero, & personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, & propterea eosdem Communitatem, & homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis prædictis devenire necesse erat, dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolitano commoranti Nuncio per alias nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, ut tam super augmento novi grani pro rotulo, quam impositione gabellæ unius caroleni pro quolibet staro olei, ut præfertur, factis, illorumque exactione in vim licentiæ a dicto Nuncio illis concedendæ facienda, cum eisdem Communitate, & hominibus ratione ratæ per eos dictis Clero, & personis ecclesiasticis ad evitandas fraudes, ut præfertur, a dicta die sexta Januarii proxime præteriti, & in futurum restituendæ transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere, libere, & licite posset, & valeret, apostolica auctoritate facultatem concessimus, & impertiti sumus, & alias, prout in prædictis aliis nostris in forma Brevis expeditis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc vero pecuniam ad Clerum inde spectantem Fabricæ Basilicæ S. Petri addicit.

§.2. Nos fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe jamdiu cepta extructionem, quæ multis subsidiis ob ingentes sumptus indiget, aliquando consummari cupientes, Prædecessorum nostrorum, qui ratam prædictæ gabellæ grani ad rotulum, quæ ab eisdem Clero, & personis ecclesiasticis exigitur, & iisdem redditur, variis, Apostolicæ Sedis sublevandis necessitatibus attribuerunt, vestigiis inhærentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascumque pecuniarum summas, quæ ex rata augmenti gabellæ duorum granorum pro rotulo ad aliud granum, ac impositione alterius

terius gabellæ unius caroleni pro quolibet ſtaro olei ab eccleſiaſticis perſonis ſecularibus, & cujuſvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim Literarum noſtrarum hujuſmodi exigentur, & eis reddentur, ſeu exigi, & reddi debebunt, quarum quantitatem, quantacumque ſit, præſentibus etiam pro ſufficienter expreſſa haberi volumus, præfatæ fabricæ, tenore præſentium, applicamus, ac pecuniarum ſummas hujuſmodi ad uſum dictæ fabricæ exigi, & in eum converti volumus.

Idque, ut exequatur, Nuncio Apoſtolico committit.

§. 3. Quapropter eidem Nuncio noſtro per præſentes committimus, & mandamus, ut prædictas pecuniarum ſummas, & ratã augmenti gabellæ duorum granorum pro rotulo ad aliud granum, & impoſitionem alterius gabellæ prædicta exigat, & ſummas hujuſmodi perſonis a Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus eidem fabricæ Præfectis declarandis pro dictæ fabricæ ſumptibus conſignet. Nos enim illa præmiſſa faciendi, & quaſvis perſonas ad eaſdem ſummas illi perſolvendas, omnibus juris, & facti remediis, ac cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, ſi opus fuerit, cogendi, & compellendi, auxiliumque brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocandi, plenam, & liberam facultatem, earumdem tenore præſentium, concedimus, & impertimur.

Obſtantia tollit.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac regula noſtra de jure quæſito non tollendo, necnon omnibus illis, quæ in dictis Literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 19. Junii 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die decimanona Junii 1635. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

CDLXXXIV.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Nuncio Apoſtolico in Belgio committitur, ut detentum ab Hiſpaniarum Regis Militibus Archiepiſcopum Trevirenſem in ſui cuſtodiam recipiat.

Ven. Fratri Lelio Archiepiſcopo Theban. noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Belgicis Ditionibus Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Detentum ab Hiſpaniæ Regis Militibus Trevirenſem Archiep.

§. 1. CUM ſuperioribus menſibus Ven. Frater Philippus Chriſtophorus Archiepiſcopus Treviren. Sacri Romani Imperii Princeps Elector, & Epiſcopus Spiren. ob nonnullas prætenſas cauſas in ejus Civitate Treviren. per Milites chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici in eam irrumpentes detentus fuerit, & adhuc detineatur, Nos pro noſtro paſtoralis officii debito deſuper opportune providere volentes, & ut perſonæ, pontificali dignitati, & libertati eccleſiaſticæ, ac juſtitiæ, quantum cum Domino poterit, conſulatur, necnon de tua prudentia, doctrina, & experientia, ac ſincera in Nos, & Apoſtolicam Sedem fide, & devotione plurimam in Domino fiduciam habentes, ſperanteſque te graviſſimum hoc negocium ita geſturum, ut noſtræ de te opinioni reſpondeas, & in iis, quæ res poſtulat, & a Nobis tibi demandata fuerint, ex animi noſtri ſententia munus tuum cumulate adimpleas.

Apoſtolico in Belgio Nuncio committitur, ut S. Sedis nomine accipiat.

§. 2. Quamobrem, ut hoc præſtare poſſis, ſibi, ut prædictus Philippus Chriſtophorus Archiepiſcopus libere tradatur, & cum effectu conſignetur, curandi, eumque noſtro, & Apoſtolicæ Sedis nomine recipiendi, & detinendi, ſeu detineri faciendi, eumdemque perſonæ, ſeu perſonis minime ſuſpectis, ſed quibus confidere poſſe judicaveris, committendi, ab eiſque de eo tuto, & fideliter nomine prædicto tenendo, & cuſtodiendo juramentum recipiendi, necnon eumdem Philippum Chriſtophorum Archiepiſcopum de loco ad locum, prout tibi videbitur, & expedire judicaveris, transferendi, necnon omnia, & ſingula alia, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, etiamſi talia eſſent, quæ ſpecificam, & expreſſam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur.

Contraria tolluntur.

§. 3. Non obſtantibus quatenus opus ſit, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac aliis apoſtolicis, nec non in univerſalibus, provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 30. Junii 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die ultima Junii 1635. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo (a).

(a) Ejuſdem exempli Literæ hac die datæ quoque ſunt ad Apoſtolicos Nuncios apud Imperatorem, apud Poloniæ Regem, atque etiam ad Nuncium in partibus inferioris Germaniæ; quod ad rerum hoc in negocio geſtarum notitiam neceſſe erat a nobis innui. Fruſtra ſiquidem ejuſdem exempli Monumenta retuliſſemus a Collectionis hujus fine aliquo modo divertentes, quò tandem aliquando accedere videmur.

Facul-

CDLXXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Nuncio Apostolico in Urbe Neapolis permittendi ut Populus cum Clero transigat super solutione cujusdam vectigalis, ac restitutione solutæ pecuniæ, eamque exigendi nomine Fabricæ Sancti Petri.

Vide hac de re supra Constit. CDLXXXII. & CDLXXXIII.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert commissum a se Nuncio Apostolico ut facultatem Urbi Neap. concederet transigendi cum Clero super novo quodam vectigali;

§. 1. NUper pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Neapolitanæ Nobis exposito, quod cum summam unius millionis scutorum per eos charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, qui etiam Rex Neapolis existit oblatam, nulla alia faciliori, quam infrascripta ratione congerere possent, gabellam duorum granorum pro quolibet rotulo ad aliud granum auxerant super iis omnibus rebus comestibilibus exigendam, super quibus dicta duo grana exiguntur, excepto tamen pisce recente, saracchis, & baccalà, & ulterius gabellam unius caroleni pro qualibet mensura staro nuncupata olei imposuerant, & augmentum novi grani pro rotulo, & gabellam unius caroleni pro quolibet staro olei in eadem Civitate Neapolitana, ejusque suburbiis, districtu, & casalibus a die sexta Januarii præsentis anni 1635. accedente nostra, & Apostolicæ Sedis licentia etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis, suburbiorum, ac districtus, & casalium prædictorum ad evitandas fraudes exigere, eisdemque Clero, & personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant: & propterea eosdem Communitatem, & homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis prædictis devenire necesse erat; dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolitano commoranti Nuncio per alias nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, ut tam super augmento novi grani pro rotulo, quam impositione gabellæ unius caroleni pro quolibet staro olei, ut præfertur, factis, illorumque exactione in vim licentiæ a dicto Nuncio illis concedendæ facienda cum eisdem Communitate, & hominibus ratione ratæ per eos dictis Clero, & personis ecclesiasticis ad evitandas fraudes, ut præfertur, a dicta die sexta Januarii proxime præteriti, & in futurum restituendæ, transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere, libere, & licite possent, & valerent, apostolica auctoritate, facultatem concessimus, & impertiti fuimus.

Atque etiam pecunias hujusmodi, quæ eidem Clero reddendæ erant, Fabricæ Basil. S. Petri fuisse addictas.

§. 2. Et per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas Literas, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascumque pecuniarum summas, quæ ex rata augmenti gabellæ duorum granorum pro rotulo ad aliud granum, ac impositione ulterius gabellæ unius caroleni pro quolibet staro olei ab ecclesiasticis personis secularibus, & cujusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus, in vim Literarum nostrarum hujusmodi exigerentur, & eis redderentur, seu exigi, & reddi deberent, quarum quantitatem, quantacumque esset, pro sufficienter expressa haberi volumus, Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe applicavimus, & pecuniarum summas hujusmodi ad usum dictæ Fabricæ exigi, & in eum converti voluimus, & aliàs prout in diversis nostris desuper in simili forma Brevis expeditis Literis, quarum tenores præsentibus etiam pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Renovat Nuncio prædictam facultatem transigendi;

§. 3. Quocirca applicationem summarum pecuniarum hujusmodi ex rata augmenti gabellæ, & impositionis alterius gabellæ per Nos, ut supra, factam approbantes, & confirmantes, eidem nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, ut eisdem Communitati, & hominibus gabellas hujusmodi, ut præfertur, augendi, & respective imponendi, sicque auctam, & impositam a quibusvis personis ecclesiasticis secularibus, & regularibus quantumvis exemptis exigendi, & habendi licentiam concedat.

Pecuniasque pro Fabrica exigendi.

§. 4. Insuper eidem Nuncio nostro per præsentes committimus, & mandamus, ut prædictas pecuniarum summas per Nos eidem Fabricæ, ut præfertur, applicatas, ex rata augmenti dictæ gabellæ, & impositione alterius gabellæ hujusmodi, integre exigat, & summas hujusmodi personis a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus eidem Fabricæ Præfectis declarandis, pro dictæ Fabricæ sumptibus consignet.

Opportunasque ad id ei concedit facultates.

§. 5. Nos enim præmissa faciendi, & quasvis personas ad easdem summas eidem persolvendas omnibus juris, & facti remediis, ac censuris, & pœnis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi, & compellendi, auxiliumque brachii secularis, si etiam opus fuerit, invocandi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impertimur.

Derogat contrariis.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Julii 1635. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Julii 1635. Pontificatus nostri Anno XII.

Avo.

CDLXXXVI.

In Regest. in Secret. Brev.

Avocatio cujusdam Causæ vertentis inter Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis Rothomagensis, & Regulares ejusdem Civitatis super Jurisdictione Archiepiscopi, seu exemptione Regularium.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Literas quibus Causæ hujus cognitionem nonnullis Episcopis commiserat.

§.1. NUper a Nobis emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Senonen., ac Lexovicn., & Antissiodoren. Episcopis, sive dilectis filiis eorum Officialibus, & eorum cuilibet. Urbanus Papa Octavus. Venerabiles Fratres, sive dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem. Exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Regularium Civitatis Rothomagen. petitio continebat, quod alias pro parte dilecti filii Promotoris Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Rothomagen. Nobis humiliter supplicato; quatenus causam, & causas appellationis, & appellationum prædictorum Regularium exemptionem ab ordinaria jurisdictione prætendentium, interpositæ, & interpositarum, & non commissæ, quia lapsi erant sex menses a sententiis, & decretis Venerabilis Fratris Archiepiscopi Rothomagen. ad favorem, & instantiam dicti Promotoris Fiscalis pro interesse Mensæ Archiepiscopalis Rothomagen., & contra dictos Regulares adversarios condemnatos in diversis pœnis latius in sententiis latis desuper contentis, ad effectum, ut prædictus Archiepiscopus exequutioni demandaret Jubilæum a Nobis de Anno Domini 1634. pro Christifidelibus impertitum latis, seu factis, ac nullitatis, & nullitatum ex causa iniquitatis, & injustitiæ, ac quam, & quas dictus Promotor Fiscalis contra Regulares prædictos, omnesque alios sua interesse putantes habebat, & movebat, habereque, & movere volebat, & intendebat, audien., & deciden., committere, aliasque ei in præmissis de opportuno juris remedio subvenire paterna solicitudine curaremus; Nos ejusdem Promotoris Fiscalis precibus tunc annuentes vobis per alias nostras sub dat. videlicet nona Maii Pontificatus nostri Anno XII. in simili forma Brevis desuper expeditas Literas dedimus in mandatis, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, vocatis ad id, qui fuerint evocandi, causam, & causas prædictas, cum omnibus, & singulis suis incidentiis, dependentiis, annexis, & connexis, totoque negotio principali, etiam summarie, prout in beneficialibus, auctoritate nostra audiretis, cognosceretis, fineque debito terminaretis, & decideretis, & aliis, prout in dictis Literis plenius continetur. Cum autem, sicut dicta petitio subjungebat, tacuerit dictus Promotor Fiscalis, quod Regulares prædicti causam appellationis a decretis, seu sententiis dicti Archiepiscopi Rothomagen., sive dilecti filii ejus Officialis contra eos latis super prætensis eorumdem Regularium privilegiis, & exemptione jam ante obtentas per dictum Promotorem Fiscalem Literas prædictas coram Nobis introduxerant; quodque mandaveramus, examinari eorum jura ad effectum desuper deinde providendi, quod quidem si expressisset, utique dictas Literas vobis committi non obtinuisset; Ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt Regulares prædicti, ut eis in præmissis etiam opportune providere, de simili benignitate, dignaremur. Nos igitur eosdem Regulares, & eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus dictorum regularium etiam inclinati, eidem Fraternitati vestræ, Fratres Archiepiscope, & Episcopi, seu discretioni vestræ, filii Officiales, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus is vestrum, qui hujusmodi causæ cognitionem assumpserit, vocatis ad id, qui fuerint vocandi, suam moderetur inhibitionem; perinde, ac si dictæ Literæ non emanassent. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Augusti 1635. Pontificatus nostri Anno XII.

Nunc eamdem Causam ad se avocat.

§.2. Nos paci, & quieti inter partes prædictas pro pastoralis officii nostri debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, litem, sive causas in præinsertis Literis expressas, quarum statum, & merita, aliaque etiam de necessitate exprimenda, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, ad Nos harum serie avocamus; eisdemque Archiepiscopo Senonen., ac Lexovien., & Autissiooren. Episcopis, sive dilectis filiis eorum Officialibus, & eorum cuilibet sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac excommunicationis, aliisque arbitrio nostro infligendis pœnis, per contrafacientes ipso facto incurrendis inhibemus, ne in causa, & causis ad Nos, ut præfertur, avocatis ulterius procedere, seu alias se in eis ingerere audeant, vel præsumant.

Clausulæ.

§.3. Decernentes nihilominus irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari: sublata prædictis, & quibusvis aliis Judicibus, etiam ab hac Sancta Sede delegatis quavis aliter judi-

candi, & interpretandi facultate, & auctoritate. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in Literis præfatis voluimus, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. August. 1635. An. XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimaquarta Augusti 1635. Pontificatus nostri Anno XIII.

CDLXXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Clero Leodiensi permittitur, ut Ferdinando Archiepiscopo Colonien. S. R. I. Electori aliquod subsidium conferre possit.

Dilectis filiis Decanis, & Capitulis majoris, & Collegiatarum Ecclesiarum, ac universo Clero, necnon Regularibus cujuscumque Ordinis utriusque sexus Civitatis, & Diœcef. Leodien.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium ex ipsis ducendum. IN quantis eorum angustiis, atque difficultatibus ob concitatos dudum a fidei catholicæ hostibus in Germania bellorum motus, versetur Ven. Frater Ferdinandus Archiepiscopus Colonien. Sacri Romani Imperii Princeps Elector, & Præsul vester, quamquam ingentes pro sibi credito Ecclesiarum regimine, & earum bonis, ac subditis tuendis sumptus fecerit, ideoque præcipua facultatum sibi a Deo concessarum parte sit exutus, reliqua ad sumptus necessarios, sicut accepimus, minime sufficiente, quemadmodum vobis apprime notum esse existimamus; sic etiam non dubitamus fore, ut vos singulari tanti præsulis zelo non respondeatis, ac urgentibus illius indigentiis gratiose nec subveniatis, præclaramque de illo benemerendi occasionem prompte non accipiatis.

Clerum PP. hortatur, ut aliquod subsidiu Ferdinando Archiepiscopo præstet. §.1. Quapropter cum ipse Ferdinandus Archiepiscopus ad sublevandas ex parte præsentium temporum calamitates, aliquo subventionis auxilio summopere indigeat, Nos pro ea solicitudine, quam universali Ecclesiæ debemus, officii nostri partes prætermittere nolentes, vos qui in sortem Domini, cujus causa agitur, vocati estis, paterne in Domino attente hortamur, ut aliquod subsidium erga Præsulem, & Principem vestrum observantia, & pietate, quam acrioribus stimulis non indigere Nobis persuademus, vestris denique personis dignum, & tempori opportunum eidem Ferdinando Archiepiscopo, & Principi vestro hac vice concedatis. Non frustrabitur, ut speramus, opinio nostra, ut in diebus peregrinationis vestræ, & in æterna beatorum retributione inter hilares datores, quos diligit Dominus, merito connumeremini, & apostolicam benedictionem vobis iterum impertimur.

Dat. die 18. August. 1635. An. XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaoctava Augusti 1635. Pontificatus nostri Anno XIII.

CDLXXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Prohibetur Fratribus Carmelitanis Discalceatis in Monte Carmelo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne id quod a Christifidelibus pro conservanda possessione d. Montis donatum fuerit, in alios usus convertant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Literas pridem a se editas quibus Montem Carmelum solis Carmelitis adjudicavetat. §.1. ALiàs a Nobis emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Circumspecta Sedis Apostolicæ providentia Religiosorum, quibus obliti populum suum, & domum Patris sui, divini numinis obsequiis se mancipارunt, votis catholicæ fidei propagationem, & divini cultus augmentum concernentibus libenter annuit, eaque favoribus prosequitur opportunis. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Præpositus Generalis, & Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Discalceati nuncupati, quod dicti Fratres in legitima possessione Montis Carmeli prædicti existunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Præpositus Generalis, & Fratres prædicti possessionem hujusmodi suæ Religioni, itaut sine speciali nostra, seu hujus Sanctæ Sedis licentia nulli alterius Religionis Religioso in eodem Monte habitare, vel locum habere liceat, apostolica auctoritate confirmari summopere desiderent, Nobis propterea iidem Præpositus Generalis, & Fratres humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Præpositum Generalem, & Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Propagandæ in universum mundum fidei catholicæ præpositorum consilio, possessionem prædictam eisdem Præposito, & Fratribus, apostolica auctoritate, tenore præsentium, ita quod nulli Religioso cujuscumque alterius Religionis, aut Congregationis, seu Instituti liceat in dictum Montem se recipere, ibique habitare, vel locum habere sine speciali Sedis prædictæ licen-

licentia, apostolica auctoritate, tenore presentium confirmamus. Decernentes presentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, predictæque Religioni plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris 1633. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Prohibitio, de qua in Rubr.

§.2. Nunc autem conservationi possessionis hujusmodi, ac observantiæ regularis in eumdem Montem introductæ manutentioni, quantum cum Domino possumus consulere, Præpositumque Generalem, & Fratres prædictos amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, Preposito, & Fratribus Discalceatis dicti Ordinis Congregationis S. Heliæ nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ precipimus, & mandamus, ut ea, quæ Christifideles, ad effectum præmissorum pro tempore donaverint, & erogaverint, in predictos, & non in alios usus convertant.

Fulminatio censurarum in contrafacientes.

§.3. Quod si secus fecerint, excommunicationis majoris latæ sententiæ pœnam, a qua non ab alio, quam a Romano Pontifice præterquam in mortis articulo absolvi possint, incurrant eo ipso. Et nihilominus teneantur, quæ consumpserint, ad predictum opus restituere, & ex bonis aliorum Conventuum reintegrare. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exhibenda transumptis.

§.4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 22. August. 1635. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimasecunda Augusti 1635. Pontificatus nostri Anno XIII.

CDLXXXIX.

Committitur Auditori Cameræ, ut contra non parentes Constitutioni, & Decreto Consistoriali super residentia in Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis ad omnium censurarum, & pœnarum in illis contentarum declarationem, & exequutionem procedat.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Vide Constitutionem ab Urbano hac super re editam superius.

Dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori nunc, & pro tempore existenti.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Decretum super eadem residentia emanatum.

§.1. CUM residentia a Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis ordinata precipue in Ecclesiis Cathedralibus, & majoribus in prejudicium servitii earumdem Ecclesiarum, ac curæ animarum prefectis eisdem Ecclesiis commissarum negligeretur, Nos pro nostri pastoralis officii debito, & Romanorum Pontificum Predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, Constitutionem, & Decretum Consistoriale sub die 12. & 18. Decembris 1634. respective super eadem residentia facienda sub interdicti ingressus Ecclesiæ, amissionisque tam fructuum suarum Ecclesiarum pro tempore, quo absentia duraverit, quam facultatum testandi, & disponendi de bonis suis a Sede Apostolica sibi aliis concessarum, ac excommunicationis eo ipso incurrendis, necnon privationis a regimine, & administratione suarum Ecclesiarum predictarum, aliisque pœnis nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis, edidimus, in qua Constitutione cognitionem, & exequutionem præmissorum contra inobedientes tibi commisimus sub certis modo, & forma, prout in Constitutione, & Decreto hujusmodi, quorum tenores presentibus pro expressis, & insertis haberi volumus, plenius continetur.

Contrafacientibus tamen huic Decreto Archiepiscopis, Episcopis &c.

§.2. Quoniam vero, sicut accepimus, nonnulli ex Prefectis Ecclesiis hujusmodi, postposito Dei timore, in diversis Civitatibus, & locis extra loca debitæ ab eis residentiæ moram trahant, alii vero post plures annos a die eorum provisionis, & prefectionis eisdem Ecclesiis decursos, hactenus ad residendum apud Ecclesias suas predictas se conferre de facto distulerunt, & differunt, & ab eisdem Ecclesiis suis contumaciter absque nostra, & hujus Sanctæ Sedis licentia absunt, parum vero foret, Constitutiones Apostolicas edi, & publicari, nisi exequutioni demandarentur;

Facultatem Auditori Ca.

§.3. Idcirco motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris,

meræ ad illius exequutionē procedendi concedit.

ſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tibi per præſentes committimus, & mandamus; quatenus contra omnes, & ſingulos Epiſcopos, Archiepiſcopos, & alios quoſcumque Eccleſiis Cathedralibus, Archiepiſcopalibus, Metropolitanis, & Primatialibus, ac etiam Majoribus præfectos quacumque dignitate præditos, etiam S. R. E. Cardinales, cujuſcumque qualitatis, ſtatus, gradus, & conditionis, etiam ſpeciali nota, & expreſſione dignos apud ſuas Eccleſias quacumque de cauſa, ratione, vel prætextu nunc, & pro tempore non reſidentes, ſeu ad reſidendum in eis non ſe conferentes, vel aliàs extra reſidentiam ſuam quomodolibet moram contra, aut præter ejuſdem Conſtitutionis, & Decreti Conſiſtorialis tenorem trahentes tam in Urbe, quam alibi, & ubique locorum quandocumque commorantes, ad omnium, & ſingularum cenſurarum, & pœnarum in eiſdem Conſtitutione, & Decreto expreſſarum declarationem, & exequutionem, auctoritate noſtra, excepta tamen pœna depoſitionis, ſeu privationis Eccleſiarum prædictarum (quam pœnam, & quaſcumque alias in eadem Conſt. noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis arbitrio reſervatas, etiam privationis cujuſcumque vocis activæ, & paſſivæ, ſi quas Nos duxerimus, vel ille duxerit infligendas, Nobis, & illi reſervamus) procedas juxta formam in eadem Conſtitutione præſcriptam, & quoad illos, qui nunc ſunt, & pro tempore erunt a reſidentia ſuarum Eccleſiarum abſentes, & extra Romanam Curiam degentes etiam per edictum publicum conſtito tibi ſummarie de non tuto acceſſu. Nos enim tibi nedum præmiſſa omnia, & ſingula, verum etiam quæcumque alia deſuper quomodolibet neceſſaria, & opportuna, etiamſi ſpecialem, & expreſſam, ac individuam requirerent mentionem, faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, ut præmittitur, plenam, liberam, & amplam facultatem, eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impertimur.

Pœnas autem inflictas ipſimet Auditori, & Rom. Pontifici reſervatas declarat.

Obſtantia tollit.

§.5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, necnon omnibus aliis, quæ in prædictis Conſtitutione, & Decreto Conſiſtoriali voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 15. Septem. 1635. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die decimaquinta Septembris 1635. Pontificatus noſtri Anno XIII.

CDIX.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Confirmatio Laudi in Cauſis inter Epiſcopum Burgi Sancti Sepulchri, & Abbatem Monaſterii S. Mariæ in Balneo Congregationis Camaldulen. vertentibus ſuper prætenſa per Epiſcopum ſubjectione Caſtri S. Mariæ in Balneo, exercitio Juriſdictionis, necnon jure conferendi Eccleſias in illius Territorio exiſtentes.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cauſæ Status.

§.1. Nuper pro parte Ven. Fratris Zenobii Epiſcopi Civitatis Burgi Sancti Sepulchri, necnon Abbatis Monaſterii S. Mariæ in Balneo Congregatinnis Camaldulen. Nobis expoſitum fuit, quod a dilectis filiis noſtris Julio S. Suſannæ Sachetto, & Jo: Baptiſta S. Euſebii Titulorum Presbyteris Cardinalibus Pamphilio reſpective nuncupatis, arbitris communiter electis in cauſa, & cauſis, ſeu controverſiis inter ipſas partes vertentibus de, & ſuper diverſis differentiis occaſione prætenſæ ſubjectionis Caſtri S. Mariæ in Balneo cum ſuis annexis eidem Epiſcopo, ac prætenſo exercitio juriſdictionis in dicto Territorio, necnon ſuper prætenſo jure conferendi Eccleſias in eodem Territorio exiſtentes inter eos in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum, ſeu in quovis alio Tribunali indeciſis pendentibus emanavit Laudum tenoris ſequentis, videlicet.

Laudum.

§.2. Chriſti nomine invocato. Nos Julius Sachettus, & Joannes Baptiſta Pamphilius S. R. E. Cardinales Arbitri, Arbitratores, & amicabiles compoſitores electi pro parte Reverendiſſimi Fratris Zenobii Medices Epiſcopi Civitatis Burgi S. Sepulchri ex una, & Abbatis Monaſterii S. Mariæ in Balneo Congreg. Camaldulen. ex altera partibus de, & ſuper diverſis differentiis occaſione prætenſæ ſubjectionis Caſtri S. Mariæ in Balneo cum ſuis annexis eidem Epiſcopo, ac prætenſo exercitio Juriſdictionis in dicto Territorio, necnon ſuper prætenſo jure conferendi Eccleſias in eodem Territorio exiſtentes inter eos in Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ſeu in quovis alio Tribunali indeciſis pendentibus, rebuſque aliis &c. viſis juribus, & ſcripturis, ac informationibus ambarum partium, dictiſque partibus ſæpius oretenus auditis, ac etiam conſideratis conſiderandis per hanc noſtram ſententiam, Laudum, ſeu arbitramentum, aut amicabilem compoſitionem, quam, & quod in his ſcriptis ferimus in cauſa, & cauſis, ſeu controverſia, & controverſiis ſupradictis, dicimus, laudamus, & amicabiliter componentes pronunciamus, & declaramus, prout infra videlicet. Primo: Quod deinceps perpetuis futuris temporibus

poribus Castrum S. Mariæ in Balneo cum Monasterio inibi existente una cum Castro S.Petri, totoque ejus Territorio, & omnibus illi annexis sit, & esse censeatur in Diœcesi Burgi Sancti Sepulchri, & consequenter Episcopus dictæ Civitatis, uti proprius Ordinarius, possit dictum Territorium visitare, sacros ordines conferre, Ecclesias consecrare, illasque, & illarum Cœmeteria reconciliare, Chrisma, Oleum Sanctum, & Cathecumenorum tradere, literasque dimissorias clericis secularibus ejusdem Territorii ad ordines promovendis coucedere, absque tamen prejudicio Abbatis quoad ejus familiam regularem, necnon confessarios approbare, & omnia alia munia pontificalia facere, quæ Episcopi in eorum propriis Diœcesibus soliti sunt exercere. Secundo: Quod Abbas supradictus, vel per se, vel per alium, nec non alii Clerici dicti Territorii teneantur accedere ad Synodum Diœcesanam Civitatis, quotiescumque ab Episcopo vocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur, & quod iu prima Synodo celebranda, & successive perpetuis futuris temporibus inter alios Examinatores Synodales debeat semper eligi unus de dicto Territorio Balnei, dummodo in toto dicto Territorio adsit aliquis idoneus. Tertio: Quod omnimoda collatio Ecclesiarum, & Beneficiorum tam cum cura, quam sine cura in dicto Territorio existeutium, cessantibus reservationibus, & affectionibus apostolicis, spectet, & pertineat ad Abbates pro tempore existentes Monasterii S. Mariæ in Balneo uti inferiores collatores, hac tamen conditione, & declaratione, quod vacantibus Ecclesiis Parochialibus, quæ solitæ sunt conferri in titulum per Abbates, conferantur prævio concursu ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, coram Domino Episcopo Burgi Sancti Sepulchri, seu ejus Vicario generali faciendo; & illo peracto, Dominus Episcopus, vel ejus Vicarius generalis, ac etiam Cancellarius pro tempore existentes teneantur, & obligati sint tradere, & censignare literas testimoniales de magis idoneo, & aliis approbatis, & aliis etiam interesse habeutibus, soluta tamen mercede Cancellario; vacantibus autem Vicariis perpetuis, qui absque concursu provideri possunt, neque hactenus super illis factus fuit concursus, Abbas, ut supra per se solus absque alio consensu providere possit dictis Ecclesiis de idoneo Vicario perpetuo a se, vel ejus Vicario examinando. Insuper laudamus, & definimus, quod Rectores, seu Vicarii perpetui Ecclesiarum dicti Territorii teneantur, & obligati sint solvere Abbati pro tempore existentis Monasterii S.Mariæ in Balneo solitum Cathedraticum, seu annuam recognitionem, prout hactenus consueverunt, nec Episcopus dictæ Civitatis pro tempore possit dictos Rectores, & Vicarios pro aliqua alia solutione, hac de causa ullo unquam tempore molestare, nec Abbates in dicta exactione Cathedratici, seu annuæ recognitionis impedire. Quarto: Quod deinceps futuris temporibus jurisdictio, & potestas in audiendis, cognoscendis, judicandis, & exequendis causis criminalibus, & mixtis inter personas ejusdem Territorii spectet, & pertineat cumulative ad dictos Episcopum Burgi Sancti Sepulchri, & Abbatem pro tempore prædicti Monasterii, itaut sit locus præventioni; In civitatibus autem jurisdictio prædicta spectet, & pertineat ad eumdem Dominum Abbatem privative quoad dictum Dominum Episcopum in causis non exceden. libras 200. monetæ Florentiæ; In causis autem civilibus præfatam summam libr. 200. similium exceden. jurisdictio prædicta ad Abbatem cumulative, itaut in procedendo, & eas cognoscendo locus sit præventioni, hac tamen declaratione, quod tam in dictis causis criminalibus, & mixtis, quam in civilibus summam prædictam exceden. non possit Episcopus, nec per se, nec per alium procedere, & dictas causas cognoscere nisi in suo proprio Tribunali Civitatis Burgi Sancti Sepulchri, & non alibi. Quatenus autem dictus Episcopus in Territorio dictæ Abbatiæ, vel occasione visitationis, vel alia de causa præsens existat, tunc idem Episcopus possit per se ipsum causas omnes tam civiles, quam criminales, & mixtas cujuscumque generis, & summæ cognoscere, dummodo tamen causæ potuerint expediri, & expediantur, adeo quod illis non expeditis earum cognitio, & terminatio ipso jure ad Abbatem prædictum in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, devoluta censeatur. Quinto: Quod Abbates pro tempore existentes S. Mariæ in Balneo deinceps teneantur, & obligati sint solvere Episcopis dictæ Civitatis pro tempore existentibus, vel illorum Vicariis, aut alteri ab eis deputato duas libras ceræ albæ annis singulis in Kalend. Septembris juxta formam infrascriptæ concordiæ aliàs initæ de anno 1581. Volumus etiam, quod de, & super præsenti Laudo, seu declaratione debeat obtineri a Sanctissimn Domino Nostro confirmatio apostolica per Breve expensis communibus utriusque partis. In reliquis autem controversiis, de quibus supra non esset facta specialis mentio, volumus, quod deinceps servetur in omnibus, & per omnia transactio, & concordia alias de anno 1581. inita inter Nicolaum Tornaborum tunc Episcopum Civitatis prædictæ ex una, & D. Deodatum Abbatem dicti Monasterii ex altera. Et ita dicimus, arbitramur, laudamus, & declaramus, non solnm prædicto, sed etiam omni alio meliori modo &c. Ita pronunciamus Nos Arbitri, & Arbitratores Julius Cardinalis Sachettus: Joannes Baptista Cardinalis Pamphilius. Ego Angelus Picus utriusque Signaturæ Referendarius, & majoris Præsidentiæ Abbreviator nomine Reverendissimi Domini Episcopi Burgi Sancti Sepulchri approbo, emologo, & accepto in omnibus, & per omnia supradictum

dictum Laudum. Ego Don Tadeus de Pisauro Abbas, & Procurator Generalis Camaldulensis nomine Abbatis S. Mariæ in Balneo, & totius Ordinis Camaldulensis approbo, emologo, & accepto in omnibus, & per omnia Laudum suprascriptum. Ego Joseph de Benedictis Procurator Congregationis Camaldulensis approbo, emologo, & accepto in omnibus, & per omnia Laudum suprascriptum.

Petitur Laudi hujusm. confirmatio.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tam Zenobius Episcopus, sub die 25. Maii, & Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ in Balneo prędicti, dictique Monasterii S. Mariæ in Balneo Monachi sub die 30. ejusdem mensis Maii, quam Gregorius de Pisauro Abbas Abbatiæ Sanctorum Hyppoliti, & Laurentii Faventin., ac Abbas Generalis totius Congregationis Camaldulen. sub die 15. Junii, necnon Maurus de Abbatia Policinii, & Odoardus de Burgo in Brixia dilecti filii Abbates, & Visitatores ejusdem Congregationis sub die 22. ejusdem mensis Junii pręsentis anni 1635. Laudum prędictum, omniaque, & singula in eo contenta approbaverint, ratificaverint, & emologaverint, & propterea Zenobius Episcopus, & Abbas pręfati S. Mariæ de Balneo Laudum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent.

Confirmatur.

§.4. Nos Exponentes prefatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Laudum preinsertum per dictos Cardinales super dictis differentiis, ut pręfertur, latum, ac omnia, & singula in eo contenta, apostolica auctoritate, tenore pręsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.5. Decernentes illud, necnon pręsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Exponentibus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cęterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Septem. 1715. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaseptima Septembris 1635. Pontificatus nostri Anno XIII.

CDXCI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Statuti Collegii S. Crucis Vallisoletan., quo cavetur, ne ullus Collegialis ibi ultra novem annos, & duos menses permaneat.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Expositio Rectoris, & Collegialium.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Collegialium Collegii S. Crucis Vallisoletan. Nobis expositum fuit, quod quadam dicti Collegii Constitutione, seu Statuto inter alia caveatur expresse, ut nullus Collegialis per longius, quam novem annorum, & duorum mensium tempus, computato tempore, quo quis Collegialis hujusmodi durantibus dictis novem annis, & duobus mensibus aberit, in dicto Collegio permanere possit, pro cujus Statuti firmiori subsistentia illud a Nobis, apostolicæ confirmationis robore communiri, & desuper, ut infra, opportune providere summopere desiderant.

Confirmatio, de qua in rubrica.

§.2. Nos Rectorem, & Collegiales hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Constitutionem, sive Statutum hujusmodi, apostolica auctoritate, tenore pręsentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes, quod nullus Collegialis hujusmodi sub pretextu, quod Rectoris, aut aliud dicti Collegii officium exerceat, in eo ultra dictos novem annos, & duos menses prędictos permanere, ac qui octo annos, & duos menses inibi permanserit, ad Rectoris, aut aliud dicti Collegii officium nullatenus eligi valeat; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Col-

legii

legii, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 26. Septem. 1635. An. XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimaſexta Septembris 1635. Pontificatus noſtri Anno XIII.

CDXCII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Quod Eccleſiæ Regni Hungariæ Miſſali, & Breviario juxta Ritum Romanæ Eccleſię uti debeant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Card. Paſmanj expoſitio. §.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius noſter Petrus tituli S. Hieronymi Illiricorum Presbyter Cardinalis Paſmanus Eccleſiæ Strigonien. ex conceſſione, & diſpenſatione apoſtolica Preſul, quod licet iteratis Synodis, & cum aſſeoſu nedum ſuffraganeorum ſuorum, verum etiam Ven. Fratris Archiepiſcopi Colocenſis, ejuſque pariter ſuffraganeorum in omnibus Eccleſiis ad coronam Regni Hungariæ ſpectantibus, Ritum Eccleſiæ Romanæ introduxerit, nihilominus Capitulum Eccleſiæ Zagrabien. dumtaxat poſt lapſum quatuordecim menſium ab ultima Synodo Hungarica in una Synodo anno proxime preterito congregata, aſſenſui univerſali ſe oppoſuit, oppugnando, & renuendo Ritum predictum, ac proteſtaodo de habeudo ad hanc Sanctam Sedem recurſu: Quapropter cum Miſſale, & Breviarium Eccleſiæ Zagrabien. opera dilecti filii noſtri Franciſci Sancti Laurentii in Damaſo Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E. Vice-Cancellarii noſtri ſecundum carnem ex fratre germano nepotis ad Romanam Curiam tranſportata, & a Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus coutra hereticam pravitatem Inquiſitoribus generalibus recognita, eaqoe variis defectibus obnoxia reperta fuerint, & Ven. Frater Epiſcopus Zagrabien. literis ejus ad Ven. etiam Fratrem Epiſcopum Boſoenſem ejus Coadjutorem datis pro introductione dicti Ritus Eccleſiæ Romanæ inſtet, Nobis propterea dictus Petrus Cardinalis humiliter ſupplicari fecit, ut in prҫmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Pont. mandat, ut Eccleſiæ Regni Hungariæ Miſſali, & Breviario juxta Ritum Eccleſiæ Rom. uti debeant. §.2. Nos igitur dicti Petri Cardinalis votis, qoantum cum Domino poſſumus, annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicatiooibus inclinati; quod Eccleſiæ Regni Hungariæ prędictæ, illarumque Prçſules, Canonici, & aliæ quęvis perſouæ eccleſiaſticæ illarum ſervitiis adſcriptæ Miſſali, & Breviario juxta Ritum Eccleſiæ Romanæ uti omnino debeant, & teneantur, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

Zagrabienſem Synodum irritat. §.3. Synodumque Diœceſanam Zagrabien., ut prҫfertur, celebratam, auctoritate, & tenore prędictis caſſamus, irritamus, & annullamus, ac pro caſſata, irrita, & annullata haberi volumus, & mandamus,

Clauſulæ. §.4. Decernentes irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obſtantium derogatio. §.5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictarum Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 28. Septem. 1635. An. XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimaoctava Septembris 1635. Pontificatus noſtri Anno XIII.

CDXCIII.

Quod Procurator Generalis Ordinum Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium poſſit ſupprimere parvos Conventus, in quibus non poteſt ſubſtentari numerus ſufficiens Fratrum pro regulari obſervantia.

Dilecto filio Miniſtro Generali Ord. Min. Conventual. S. Franciſci.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Cauſæ hujus Conſtit. §.1. CUm, ſicut dilectus filius Fr. Blaſius a Cherſo Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, quod in eodem Ordine nonnulli parvi Couventus reperiantur, ac in eis Fratrum oumerus obſervantiæ regulari ſufficiens nequaquam manuteneri poſſit, & propterea illos ſupprimi, eorumque res, & bona, necnon onera eis incumbentia in majores ipſius Ordinis Conventus transferri poſſe plurimum deſideret: Nobis idcirco humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi de infraſcripta facultate providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Conceſſio facultatis prout in Rubr. §.2. Nos proſpero ejoſdem Ordinis, illiuſque Domorum ſtatui, regulariſque diſciplinæ incremento cunſultum eſſe cupientes, ſupplicationibus ejuſdem Blaſii Procuratoris nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinari, Tibi parvos Conventus predictos, illorumque ſtatum, & eſſentiam regularem in eis, auctoritate noſtra apoſtolica perpetuo ſupprimendi, & extinguendi, eorumque res, & booa, ac onera quęcumque eis incumbentia in majores ejuſdem Ordinis Conventus, etiam perpetuo transferendi facultatem, apoſtolica

lica auctoritate, tenore praesentium, concedimus, & impertimur.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes praesentes literas, & illarum vigore faciendas suppressiones, extinctiones, & translationes praedictas, postquam factae fuerint, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac majoribus Conventibus hujusmodi plenissime in omnibus, & per omnia suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & commissarios quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

[a] Dat. die 3. Octob. 1635. An. XIII. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Octobris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CDXCIV.

Revocatio Literarum Concordiae initae inter Provinciam Sancti Joannis Baptistae Fratrum Minorum Discalceatorum ex una, & Fr. Onophrium Legazam ex alia ejusdem Ordinis, cum perpetuo silentio.

De hujusmodi Fratrum Concordia lege Constitut. CCCXXXI. Regis pacifici. Tom. VI. Par. I. fol. 211.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Recenset concordiam initam, & dissensiones inde exortas. §. 1. CUM, sicut accepimus, ob causam, & causas vertentes inter Provinciam Sancti Joannis Baptistae Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in Regnis Hispaniarum, seu Joannem Baptistam Bertegal illius Procuratorem ex una, ac Onuphrium Legazam ejusdem Ordinis, & Provinciae professores dilectos filios, & illi adhaerentes partibus ex altera de, & super controversiis ortis causa, & occasione assertarum inobedientiarum, ut dicebatur, praestitarum dilecto etiam filio Petro Logroño in generali Visitatione dictae Provinciae, ac decretorum a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Regularium praepositis de anno 1626. emanatorum, necnon de, & super praetensa nullitate, seu revocatione trium Capitulorum Provincialium, seu electionum inde sequutarum, ac de, & super praetensa nullitate, & revocatione confirmationum apostolicarum desuper emanatarum, ut in Literis Apostolicis in forma Brevis sub data 22. Aprilis 1630. desuper expeditis plenius continetur; necnon super praetensa apostasia dicti Onuphrii Legazae, ac aliorum dicti Ordinis Fratrum forsan a dicta Provincia occasione praemissorum absque Superiorum licentia absentium, ac de, & super quibuscumque etiam speciali nota dignis in causa, & causis praedictis appositis, seu praetensis delictis contra eumdem Onuphrium Legazam, rebusque aliis in actis causae, & causarum hujusmodi latius deductis, habita fuerit Congregatio die 18. Aprilis praesentis anni coram dilectis filiis nostris Desiderio Sancti Caroli de Cremona, ac Berlingerio Sancti Augustini Gypsio, & Laudivio Sancti Petri ad Vincula titulorum Sancti Sixti Presbyteris, necnon Martio Sancti Angeli in foro Piscium Diacono Cardinalibus Ginetto respective nuncupatis, ac dilectis filiis Joanne Baptista Coccino, & Alexandro Buccabella Cappellanis nostris, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus, a Nobis super praemissis specialiter deputatis; & in eadem Congregatione Joannes Baptista, ac Onuphrius praedicti, eorumque Procuratores, & Advocati pluries prius etiam in contradictorio auditi, scripturaeque quamplurimae hinc inde exhibitae visae, ac negotium diu, maturéque, diligentissime perpensum, ac examinatum respective fuerit: Nos audita plena relatione meritorum, ac status causae, & causarum hujusmodi per eosdem Desiderium, Berlingerium, ac Laudivium, & Martium Cardinales praedictos Nobis facta.

§. 2. Ad tollendas discordias, lites, & controversias, quae in praemissis ortae fuerunt, & in dies oriri possunt, non sine maxima inquietudine, perturbatione, & detrimento dictae Provinciae, & eorumdem Religiosorum paci, & quieti, felicique, ac prosperae ejusdem Provinciae gubernationi consulere volentes, ac statum, & merita causae, & causarum hujusmodi, nominaque, & cognomina Judicum, & Collitigantium, aliaque etiam hic de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes; motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes, & quascumque controversiarum hujusmodi causas, & molestias super praemissis, & illarum occasione civiliter, vel criminaliter hactenus quomodolibet motas, & pendentes, seu quae desuper moveri possent, cum omnibus suis annexis, & dependentibus, ad Nos harum serie avocantes, illa penitus extinguimus, ac Fratribus praedictis, & quibuscumque aliis interesse habentibus, seu praetendentibus perpetuum super praemissis silentium imponimus, necnon omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis praedictis, cujuscumque conditionis, seu gradus existant, sub praecepto sanctae obedientiae, & sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae, necnon quorumcumque officiorum, Avocando ad se causas omnes controversiam penitus extinguit.

ciorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda pœnis eo ipso incurrendis præcipimus, & mandamus, ne de cætero dictæ Provinciæ Fratres hujusmodi lites, & controversias, quavis occasione, causa, seu prætextu, directe, vel indirecte, civiliter, vel criminaliter, per se, vel alios quoscumque movere, vel prosequi possint, nec inter se molestari, affligi, aliqua pœna affici, seu molestare facere quomodolibet audeant, seu præsumant præmissorum occasione. Ipsique Onuphrio, & aliis illi adhærentibus (si qui sint absentes) pariter mandamus, ut infra tres menses a data præsentium, nisi dilecto filio nostro Francisco Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano Nepoti, dicti Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori aliter videbitur, ut ad suam debeant remeare Provinciam: districte præcipiendo ejusdem Provinciæ Superioribus, & Fratribus, ut illum, seu illos recipiant, ac eum, aliosque Fratres, qui ei adhæserunt, etiamsi pœnis aliquibus occasione præmissorum possent affici, seu condemnari, aut affecti, vel condemnati fuerint, bene, & benigne tractent, neque illos in futuris Capitulis, vel alibi occasione præmissorum ab officiis, & muneribus Religionis excludant; imo eos ad ipsa, nulla de præmissis habita consideratione, si aliàs habiles sint, absque ulla differentia, ac pariformiter, prout & alios Fratres, eligant, seu admittant, facultatemque tribuimus confessariis ordinariis ejusdem Provinciæ absolvendi, & dispensandi respective, tam prædictos, quam quoscumque alios Fratres ejusdem Provinciæ, vel aliquos illorum, si id petierint, etiam ad cautelam, seu aliàs a censuris, seu irregularitatibus, & aliis pœnis forsan incursis præmissorum occasione.

Inhibitio Judicibus, quominus hac in re se ingerant. §.3. Insuper quibusvis Judicibus, & personis quibuslibet, quavis auctoritate fungentibus, districtius inhibemus, ne Fratres hujusmodi, seu alios pro eis super præmissis ulterius audire, seu aliàs se desuper ingerere quomodolibet audeant, seu præsumant.

Clausulæ, & Decretum irritans. §.4. Decernentes, præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, seu invalidari posse, sed semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, quos illa concernunt, in futurum inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.5. Non obstante regula nostra de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §.6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Octobr 1635 An. XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Octobris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CDXCV.

De præstatione alimentorum Hebræis pauperibus ad instantiam Christianorum creditorum carceratis.

De Hebræis habes Pauli IV. Constit. IV. Cum nimis. *Tom. IV. Par. I. fol.* 321., *& Pii V. Constitut.* Romanus. *Tom. IV. Par. II.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constit. §.1. CUM, sicut accepimus, licet aliàs Congregatio Visitationis Carcerum Almæ Urbis nostræ, tempore felicis recordationis Pauli Papæ V. Prædecessoris nostri, visis literis reformationis tam ab eodem Paulo Prædecessore, quam felicis recordationis Pio Papa Quinto similiter Prædecessore nostro emanatis, decreverit, alimenta, sive victualia Hebræis pauperibus ad instantiam creditorum Christianorum carceratis, per eosdem creditores Christianos non esse subministranda; decretumque hujusmodi idem Paulus Prædecessor approbaverit, & ab omnibus ejusdem Urbis Tribunalibus servari mandaverit: quoniam tamen in Rotæ Auditorio, proponente bon. mem. Alphonso Patriarcha Hierosolymitano ejusdem Rotæ Locumtenente, decisum fuit, & judicatum, Hebræis pauperibus carceratis alimenta, sive victualia, attenta juris communis dispositione, esse a creditoribus etiam Christianis præstanda: Decretum

vero Visitatorum prædictorum locum dumtaxat habere, quando alimenta prædicta coram Visitatoribus carcerum hujusmodi petuntur;

Hebræis ad instantiam Christianorũ carceratis alimenta præstari mandat.

§.1. Idcirco ad contentiones inter diversa ejusdem Urbis Tribunalia evitandas, utque pauperibus Hebræis hujusmodi aliquo modo, ne pereant, subveniatur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, onus solvendi prædicta alimenta pauperibus Hebræis ad Christianorum instantiam carceratis, Communitati eorumdem Hebræorum de Urbe, apostolica auctoritate, tenore præsentium imponimus; ipsamque Communitatem ad præstanda realiter, & cum effectum alimenta, sive victualia pauperibus Hebræis carceratis hujusmodi per eosdem Visitatores, aliorum quorumcumque ipsius Urbis Tribunalium Judices, via exequutiva, & manu regia cogi posse volumus: reservato tamen jure eidem Communitati Hebræorum pro alimentorum, sive victualium prædictorum recuperatione, contra eorumdem Hebræorum carceratorum bona, res, & jura agendi.

Clausula sublata.

§.3. Decernentes, sic & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, regula nostra de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Octobr. 1635. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaoctava Octobris 1635. Pontificatus nostri Anno XIII.

CDXCVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio nullitatis venditionis, & emptionis Officiorum Cruciatæ Regnorum Castellæ, & Legionis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Urban. VIII. ne Notariatus Officia Cruciatæ vendi possent, mandavit.

§.1. ALiàs Nos dilectorum filiorum Cleri Regnorum Castellæ, & Legionis indemnitati juxta creditum Nobis desuper apostolicæ servitutis officium consulere volentes, Ven. Fratri Laurentio Episcopo Senogallien. nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, & mandavimus, ut inter alia Commissarium Cruciatæ, auctoritate nostra moneret, ne Notariatus officia Cruciatæ, subsidii, & primæ decimæ excusati nuncupati, cum ecclesiastica officia sint, a ministris regiis vendi, seu alienari quoquo modo permitteret: minusque cogeret Clerum ad solutionem aliquam facien. eis, qui officia hujusmodi, seu alterum eorum emisset, sive tunc temporis forsan de facto emissent; Nosque sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per contrafacientes ipso facto incurrenda serio prohibere, ne officia, & alia prædicta emerentur, vel venderentur, sed circa hæc debere servari omnia, quæ eatenus servari consueverant, & aliis prout in dictis Literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

Cum tamen aliqua ex prædictis officiis vendita fuissent,

§.2. Cum autem, sicut ex iterata, & gravi eorumdem Cleri querimonia accepimus, aliqua ex prædictis officiis tempore dictarum literarum nostrarum hujusmodi vendita, & alienata essent, dictique Clerus ad solutionem illis faciendam, qui officia hujusmodi, seu eorum alterum emerunt, compellantur, & cogantur, & a ministris per Ecclesiarum dictorum Regnorum Capitula ad hujusmodi officia exercenda deputatis, suorum officiorum scripturæ, & instrumenta ipsis invitis extorqueantur, ne illis pro suorum officiorum exercitio, & ratione uti, aut se præmunire ullo pacto valeant;

Ipse venditiones hujusmodi nullas, atque irritas declarat,

§.3. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes quascumque venditiones, & emptiones de dictis officiis factas cum omnibus, & singulis inde sequutis, nullas, irritas, & inanes, nulliusque roboris, vel momenti esse, & fore, apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes omnes, & singulas venditiones, & emptiones de dictis officiis hactenus factas, & si quas de cætero contra literarum nostrarum prædictarum formam, & tenorem fieri contigerit, nullum jus, vel coloratum titulum possidendi cuiquam emptori, vel venditori hujusmodi tribuisse, vel tribuere, nec aliquem effectum sortiri potuisse, nec posse, non secus, ac si factæ non fuissent. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Publicationémque harum Literarũ mandat.

§.5. Quocirca eidem Laurentio Episcopo moderno, & pro tempore existenti in dictis Regnis Nuncio per præsentes etiam committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicet, dictisque Clero in

ro in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra præsentes literas, ac in eis contenta hujusmodi ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatiune postposita compescendo, invocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit.

§.6. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordioationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis Literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 3. Novem. 1635 An XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Novembris 1635. Pontificatus oostri Anno Decimotertio.

CDXCVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Extensio Gabellæ super vino, & carne exigendæ ab Ecclesiasticis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis ad aliud sexennium.

Venerabili Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. moderno, & pro tempore existenti, jurium, & spoliorum Cameræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Literas alias emanatas.

§.1. Aliàs a Nobis emanarunt Literæ. tenoris subsequentis, videlicet: Venerabili fratri Laurentio Episcopo Hieracen. &c. reliqua invenies in suo ordine sub dat. 31. Januarii 1629. Pontificatus anno Sexto.

Causæ imponendæ Gabellæ.

§.2. Et subinde pro parte dicti Philippi Regis denuo Nobis exposito maximas necessitates Christifidelium, & Ecclesiarum illarum partium majori indigere subsidio, personasque aliarum Civitatum, Oppidorum, & Locorum eorumdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum oumero valde excedere personas dictæ Civitatis Ulixbonen. emolumentaque dictæ Gabellæ, si illam pro majori subsidio eidem Regi ad præfatum effectum præstando præfatæ Civitates, Oppida, & Loca prædictorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum excepta Civitate Ulixbonen. imposuissent, vel imponere voluissent, spatio præfati sexennii dictam summam ducentorum millium cruciatorum a Nobis per præinsertas Literas, & quoad ecclesiasticos approbatam longe excedere, & ad summam quadringentorum millium cruciatorum, & ultra ascendere, facultatesque laicorum eorumdem Regnorum non suppetere.

Aliàs facultatem prædictā Gabellam imponendi concessit Pontifex.

§.3. Nos supplicationibus d. Philippi Regis Nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, Ven. Fratri Laurentio Episcopo Hieraceu. tunc jurium, & spoliorum Cam. Apost. in eisdem Portugaliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori generali per alias in simili forma Brevis sub die 12. Decembris ejusdem anni 1629. expeditas Literas commisimus, & mandavimus, quatenus excepta dicta Civitate Ulixbonen. reliquarum aliarum Civitatum, Oppidorum, & Locorum dictorum Regnorum, quæ gabellam hujusmodi imposuissent, vel imponere voluissent, Præsidentibus, Officialibus, & Ministris quovis nomine nuncupatis eamdem gabellam etiam a personis ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiam exemptis, & quomodolibet qualificatis, vinum, & carnem, ut præfertur, publice ementibus usque ad aliam summam aliorum ducentorum millium cruciatorum, & sic in totum usque ad summam quadringentorum millium cruciatorum excepta dicta Civitate Ulixbonen. intra tamen sexennium a die impositionis dictæ gabellæ, si illam, ut præfertur, imposuissent, vel imponere voluissent, computan. dumtaxat, & noo ultra modo, & forma in præinsertis Literis expressis contribuen. persolven. exigen. & converten. absque ullo conscientiæ scrupulo, aut censurarum, & pœnarum ecclesiasticarum incursu exigendi, pecuniasque inde provenientes, ad effectum præmissum, & in alios usus quoscumque convertendi, & erogandi licentiam, & facultatem, auctoritate nostra, cum omuibus tamen conditionibus, decretis, clausulis, & cautelis in præinsertis literis expressis concederet, & impertiretur, & alias, prout in dictis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quam nunc extendi Rex petit;

§.4. Cum autem, sicut dictus Philippus Rèx iterum Nobis nuper expooi fecit, necessitates, propter quas gratiæ præfatæ a Nobis eidem Philippo Regi concessæ sunt, non modo vigeant, verum etiam ad præsens multum excreverint, etiam quoad Provinciam Brasiliæ ad Coronam Portugalliæ spectantem, & propterea dictus Philippus Rex Nobis humiliter supplicari fecerit, ut super præmissis opportune providere de beuignitate apostolica dignaremur;

Urbanus ad aliud sexennium prorogat.

§.5. Nos piis dicti Philippi Regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque amplioribus favoribus, & gratiis, prosequi volentes, Clerumque, & Ecclesiasticos Regnorum præfatorum Portugalliæ, & Algarbiorum, sub quorum dominio Indiæ prædictæ consistunt, pro necessaria dictorum locorum recuperatione, ac Christifidelium ibi existentium salute, catholicæque religioois defensione, & augmento de patrimonio Christi, cujus causa maxime agitur, etiam eorum ratam gabel-

gabellæ hujusmodi, pro carne, & vino publice emendo, solvendam pro alio sexennio, si eamdem gabellam ad aliud sexennium hujusmodi per Civitates, Oppida, & Loca, eorumque Communitates, ac Universitates, & homines modo, & forma præmissis imponi contigerit, libenter suppeditaturos Nobis persuadentes; præfatasque necessitates omnino attendentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut si per Civitatem Ulixbonen. pro summa ducentorum millium, per reliquas vero Civitates, Oppida, & Loca eorumdem Regnorum pro summa quadringentorum millium cruciatorum hujusmodi gabellam eamdem super carne, & vino publice emendis, ut præfertur, ac modo, & forma in præinsertis Literis expressis ad aliud sexennium a fine sexennii supra expressi computan. de novo imponi contigerit, vel forsan imposita sit, pro recuperatione, & manutentione locorum Indiarum præfatarum, itaut prædicta gabella tam Civitatis Ulixbonen., quam etiam quarumcumque aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum hujusmodi, insimul in totum summam sexcentorum millium cruciatorum, seu scutorum monetæ Romanæ non excedat, earumdem Civitatum, & Oppidorum, ac Locorum Præsidentibus, Officialibus, Ministris, Communitatibus, ac Universitatibus, & hominibus respective licentiam, auctoritate nostra prædicta, concedas, & impertiaris, gabellam prædictam etiam a personis ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiam exemptis, & quomodolibet qualificatis, vinum, & carnem, ut præfertur, publice ementibus absque ullo conscientię scrupulo, aut censurarum, & pœnarum ecclesiasticarum incursu, & durante sexennio per præsentes concesso, & ut præfertur, computando dumtaxat exigendi, pecuniasque inde provenientes, ad effectum præmissum, & non in alios usus quoscumque convertendi, & erogandi, & respective, quatenus jam ad ultimodictum sexennium hujusmodi imposita sit, confirmes, & approbes.

Deputat personas ad dictam Gabellã exigendam.

§.6. Volumus similiter, quod pecunię ratione gabellarum hujusmodi exigendæ penes datas personas fide, & facultatibus idoneas, unam videlicet ab eodem Philippo Rege, seu ejus Ministris in eodem Regno existentibus, aliam vero a dicto Clero, seu a te ejusdem Cleri nomine deputan., & respective approbandas omnino deponantur, & per easdem personas conjunctim procedentes dictis Philippi Regis Ministris, ad effectum illas in supradictos Indiarum, & Brasiliæ, & non in alios usus sub infrascriptis censuris, & pœnis eo ipso incurrendis expendendæ consignentur: quodque personæ sic deputatæ, & approbatæ de pecunias hujusmodi, nonnisi ad effectum eadem subsidia in præfatos, & non alios usus præstandi eisdem Philippi Regis Ministris numerando, Ministri vero prædicti pecunias ex dictis gabellis provenientes sibi, ut præfertur, numerandas, nonnisi in istos, & non alios usus erogando, sub excommunicationis majoris, ac privationis dignitatum, officiorum, & beneficiorum etiam ecclesiasticorum ipso facto incurren., a quibus non nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente specialiter, non autem vigore cruciatæ, seu alterius cujusvis concessionis, aut privilegii ab eadem Sede pro tempore emanati, & emanandi absolvi posse declaramus, solitum præstent in manibus tuis juramentum.

Pecunias ex d. Gabella provenientem in alios usus converti vetat.

§.7. Insuper etiam volumus, quod quicumque alii Ministri, & Officiales Regii, cujuscumque conditionis, qualitatis, status, & præeminentiæ, specialique nota digni sint, easdem pecunias in toto, vel in parte in alios, quam præfatos usus, sub eisdem censuris, & pœnis ipso facto incurrendis convertere non possint: quodque in eventum contraventionis, seu inobservantiæ omnium, & singulorum præmissorum, vel cujuslibet eorum præsens gratia nulla sit, prout illam ex nunc, tenore præsentium, nullam fuisse, & esse, contravenientesque ad restitutionem teneri, & nonnisi facta actuali restitutione absolvi posse, similiter declaramus, ac etiam decernimus, quodque sexennio per præsentes concesso, & ut præfertur, computando elapso, & interim si præfatæ summæ erunt solutæ, seu exactæ, eædem præsentes expirent similiter eo ipso, nec sub eisdem censuris, & pœnis ipso facto incurrendis gabellæ præfatæ ulterius exigi, minusve soper eis aliquod onus, præsertim ultra præfatum tempus duraturum, imponi unquam possit.

Prædictã Gabellam aliis non præjudicare declarat.

§.8. Per præsentes autem non intendimus impositioni alias per eamdem Civitatem Ulixbonen. pro derivanda aqua factæ, & per Nos confirmatæ in aliquo prę-judicare.

Clausulæ.

§.9. Decernentes, sic, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§.10. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, & Congregationum, & quibusvis aliis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus,

bus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, omnibusque illis, quæ in Literis præfatis voluimus non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 20. Novem. 1635 An. XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Novembris 1635. Pontificatus nostri Anno XIII.

CDXCVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Prohibet, quominus Majorem post Pontificalem in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Ecclesiis Dignitates obtinentes, ac Canonici Magistrales, Doctorales, Lectores, Pœnitentiarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores in Regnis Castellæ, & Legionis Episcoporum familiares esse possint,

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Refert nonnullas a Gregorio XV. emanatas literas. §. 1. Alias a felicis recordationis Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Alias a felicis recordationis Paulo Papa V. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris videlicet:

Quibus referuntur aliæ similes Pauli Quinti Literæ. §. 2. Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiæ universæ per abundantiam divinæ gratiæ, meritis licet insufficientibus, præpositi, vigilantiæ nostræ partes, sicut ex incumbentis Nobis officii debito tenemur, sedulo intendimus, ne personæ ad Ecclesiarum servitium, & certam assumptæ, & deputatæ, a servitio, & cura hujusmodi cum Ecclesiarum earumdem detrimento distrahantur. Sane, sicut Nobis nomine dilectorum filiorum Deputatorum, & Congregationis Cleri Regnorum Castellæ, & Legionis expositum nuper fuit, in penultimo consilio Provinciali Toletan. provide statutum, & ordinatum fuit, ut Canonicus, qui Præbendam Doctoralem, aut Magistralem, vel illam obtinet, cui munus legendi Sacram Scripturam incumbit, necnon & Pœnitentiarius Metropolitan., vel Episcopi Vicarius, Provisor, aut Visitator non possit esse Judex ordinarius, vel delegatus universalis appellationum, quod etiam in Presbyteris Parochiales Ecclesias obtinentibus omnino servari voluit, nec ab Ecclesiis, quarum cura pastoralis ipsis est commissa, eos abesse contingat. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in Regnis prædictis, aliarum ecclesiasticarum personarum doctrina, & virtutibus insignium, qui prædicta munia obire possint, magna beneficente Domino copia reperiatur, ac firmiora sint ea, quæ apostolicæ confirmationis robore muniuntur, & propterea Deputati, & Congregatio hujusmodi plurimum cupiant dictum Statutum apostolica auctoritate approbari, & confirmari. *Paulus V. confirmavit Statutum Concilii Toletani quo cavetur, quominus nonnullæ Dignitates sint Judices appellationum.* Nos justis, & laudabilibus Deputatorum, ac Congregationis hujusmodi petitionibus per dilectum filium Joannem de Salazar Canonicum Ecclesiæ Compostellanæ dicti Cleri negotiorum in Romana Curia gestorem Nobis exhibitis benigne annuere, ipsosque Deputatos, ac Congregationem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio Statutum in dicto Concilio Provinciali, ut præfertur, factum, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes Statutum hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Antonio Archiepiscopo Capuano moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Deputatorum, & Congregationis hujusmodi, necnon inte-

resse habentium fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra easdem præsentes, & in illis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum dictorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis Ecclesiarum dictorum Regnorum Præsulibus, & aliis quibuscumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Augusti 1615. Pontificatus nostri Anno XI.

Gregor. XV. præd. Statutũ extendit ad omnes Ecclesias Regnorũ Castellæ, & Legionis.

§.3. Cum autem, sicut dilectorum filiorum Deputatorum, & Congregationis Cleri Regnorum Castellæ, & Legionis prædictorum nomine Nobis nuper expositum fuit, ipsi provide considerantes, quod si Statutum per præinsertas Literas approbatum, & confirmatum hujusmodi, ad Ecclesias omnes Metropolitanas, Cathedrales Collegiatas, & Parochiales totius Regni Castellæ, & Legionis extenderetur, & ampliaretur, ex hoc profecto earumdem Ecclesiarum utilitati maxime consuleretur, Nobis propterea Deputati, & Congregatio hujusmodi per dilectum filium Ludovicum de las Infantas, & Saavedra Archidiaconum de Antequera nuncupatum, & Canonicum Ecclesiæ Malacitanæ dicti Cleri negotiorum in Romana Curia gestorem humiliter supplicari fecerunt, ut super præmissis opportune providere de benignitate nostra dignaremur. Nos igitur piis, & laudabilibus Deputatorum, & Congregationis hujusmodi votis, quantum cum Domino possumus annuere, ipsosque Deputatos, & Congregationem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium dicti Concilii Tridentini Interpretum, consilio, Statutum in provinciali Synodo Toletan. editum, atque a dicto Paulo Prædecessore confirmatum, ut præfertur, ad Ecclesias omnes Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & Parochiales totius Regni Castellæ, & Legionis hujusmodi, apostolica auctoritate, tenore præsentium extendimus, illudque in eisdem Ecclesiis perinde observari, atque in aliis Ecclesiis Provinciæ Toletan. præcipimus, & mandamus; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabili Fratri Alexandro Patriarchæ Alexandrino moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Deputatorum, & Congregationis, necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra easdem præsentes Literas, & in eis contenta ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus illis, quæ dictus Paulus Prædecessor in præinsertis Literis hujusmodi voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die nona Maii 1622. Pontificatus nostri Anno II.

Idem Clerus petit decerni prout in Rubrica.

§.4. Cum autem, sicut dilectus filius Lucas Gonzales de Leon Canonicus Magistralis Ecclesiæ Corduben. Ecclesiarum prædictarum, quorum negotiorum in Romana Curia gestor existit, nomine Nobis nuper exponi fecit, ipse Nos decerni summopere desideret, ut nec majorem post Pontificalem in Cathedralibus, nec principalem in Collegiatis Ecclesiis dignitates obtinentes, nec Canonici Magistrales, Doctorales, Lectores, Pœnitentiarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, Episcoporum familiares, seu commensales esse possint, quandoquidem eademmet prorsus inconvenientia, sive incommoda orian-

orianturr, ex eo quod prædicti eorumdem Archiepiscoporum, seu Episcoporum Officiales, seu Visitatores existentes necessario cogantur deesse suarum Præbendarum obligationi, ac muneri, & gubernio, necnon Ecclesiarum ipsarum regimini, ad quem unum, seu solum, vel præcipuum effectum Præbendæ prædictæ apostolica auctoritate erectæ, & institutæ sunt, Nobis propterea dictus Lucas tam suo, quam Ecclesiarum prædictarum nominibus humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum: §.5. Nos igitur tam Deputatorum, & Congregatinnis, quam Lucæ prædictorum votis, hac in parte annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus, ne de cætero perpetuis futuris temporibus majorem post pontificalem in Cathedralibus, ac principalem in Collegiatis Ecclesiis digoitates obtinentes, nec Canonici Magistrales. Doctorales, Lectores, Pœnitentiarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, Episcoporum familiares, seu commensales esse possint.

Clausulæ præservativæ. §.6. Præsentes vero Literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutorũ deputatio. §,7. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Deputatorum, & Congregationis, necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes Literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaquè opportuna juris, & facti remedja appellatione postposita compescendo, invocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum §.8. Non obstantibus omnibus illis, quæ in Literis prædictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vegesimaprima Novembris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio. Dat. die 21. Novem. 1635 An. XIII.

CDXCIX.

Quod nullus Fratrum Ordinis Prædicatorum per se, vel alium negotium aliquod tractare audeat in Romana Curia, inconsulto Procuratore generali dicti Ordinis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constitut. §.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Galassinus Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, quod licet per decreta Capitulorum Generalium dicti Ordinis prohibeatur ejusdem Ordinis Professoribus, sub certis inibi expressis pœnis, ne per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam prætextu procurationis, vel commissionis sibi datæ a propria Provincia, vel Domo regulari, negotium aliquod, cujuscumque illud generis sit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per pro tempore existentem dicti Ordinis Procuratorem Generalem, vel de ejus scitu, & expressa in scriptis licentia, & aliàs prout in dictis decretis latius continetur, tenoris subsequentis, videlicet: Ex Actibus Capituli Generalis Romæ 1612. Admonemus omnes, ac singulos nostri Ordinis Patres, ac Fratres, cujuscumque gradus, status, & conditionis existant, eisdemque justis de causis, & ad tollenda, evitandaque incommoda multa, quæ in dies oriri cognoscimus, in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto, necnon sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, hac una pro trina canonica monitione præmissa, a qua nonnisi per Magistrum Ordinis, vel ejus Vicarium Generalem, præterquam in mortis articulo possint absolvi, & si Prælati fuerint, sub pœna etiam absolutionis a suis officiis ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne in Romana Curia negotium aliquod, cujuscumque illud generis sit, per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam prætextu procurationis, vel commissionis sibi datæ a propria Provincia, vel Conventu quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per prædictum admodum Rev.Patrem Procuratorem Ordinis, vel de ejus scitu, & expressa licentia in scriptis. Revocantes præsentium tenore omnes facultates hactenus in contrarium datas, & si quas imposterum his contrarias dari contiogat. Ex actibus Capituli Generalis Bononiæ 1615. Confirmamus, & reno-

renovamus ordinationem Romæ factam 1612., & sub pœnis in eodem Capitulo taxatis præcipimus omnibus, & singulis nostri Ordinis Patribus, ac Fratribus, ut nemo sive per se, sive per alium, sive secularis, sive nostri Ordinis Frater fuerit, & cujuscumque gradus, & conditionis existat, in Curia Romana quicquam sine scitu Rev. Admodum P. Procuratoris Ordinis tractare, vel procurare audeat.

Confirmatur prout in rub. §.2. Nihilominus cum experientia compertum sit, quod, aut sub prætextu ignorantiæ dictorum decretorum, aut quod illa non fiot in usu, parum, aut nihil observantur, in grave dicti Ordinis præjudicium, necnon officii Procuratoris Generalis, & in illius spretum; idcirco ne provisio observantiæ regulari adeo salutaris, & Ordini prædicto proficua in desuetudinem abeat, prædictus Franciscus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut decreta hujusmodi, apostolicæ nostræ confirmationis robore communire, & de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Franciscum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decreta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes illa, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Decem. 1635 An. XIII. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die tertia Decembris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

D.

Quod in Provinciis Hispaniarum, & Indiarum Fratrum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum, amplius non sint, neque habeantur tituli Lectorum Jubilatorum, neque exemptione Patris gaudeat, nisi qui Minister Provincialis fuerit.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Religiosos viros, qui abjectis hujus seculi vanitatibus, humilitati, & paupertati sub arctioris vitæ Instituto se per omnia tradiderunt, & abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt; sicut peculiaribus Sanctæ Sedis favoribus, & gratiis dignos existimamus, ita ad circumspectam illius providentiam pertinere dignoscimus, ea sedulo statuere, atque ordinare, quibus Religiosi ipsi in ea, quam singulari divinæ benedictionis præsidio ingressi sunt, via de cætero ambulent, & vota sua reddant Domino in sanctitate, & justitia coram ipso.

De titulo Lectoris Jubilati. §.1. Hinc est, quod Nos dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatis nuncupatis Hispaniarum, & Indiarum, quos in visceribus gerimus charitatis, omnem ambitionis, honorumque, & titulorum consequendorum viam præcludere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, atque ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in ulla eorumdem Fratrum Provincia tam Hispaniarum, quam Indiarum, tituli Lectoris Jubilati nullatenus sint, neque habeantur.

Et exemptione Patris. §.2. Quodque nullus eorumdem Fratrum Discalceatorum, qui Minister Provincialis non fuerit, titulo, ac exemptione Patris gaudeat, etiamsi fuerit, vel pro tempore sit Vicarius Provincialis.

Pœnisque contra eos, qui illis utuntur. §.3. Nos enim ex nunc quoscumque titulos Lectorum Jubilatorum, qui ad præsens in eisdem Provinciis reperiuntur, apostolica auctoritate, tenore præsentium revocamus, cassamus, & abrogamus, ac pro revocatis, cassis, & abrogatis haberi volumus: Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis dictarum Provinciarum Fratribus, ad quos spectat, ne titulis Jubilatorum sibi alias quomodolibet concessis, seu per eos quavis occasione, vel causa obtentis, de cætero uti, seu se illis juvare audeant, vel præsumant: ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, ac privationis officii pœnis ipso facto incurrendis, dilectis filiis eorumdem Fratrum Ministro, & Commissario generalibus respective præcipimus, & mandamus, ut statim receptis præsentibus literis,

teris, illis pareant, & obediant, deque illis Ministros Provinciales, Vicarios prædictos, & Fratres in numerum Lectorum Jubilatorum relatos certiores faciant: ac Ministri Provinciales Vicarii prædicti, & Lectores Jubilati hujusmodi omnia, & singula in eisdem Literis contenta sub eisdem pœnis, ut præfertur, incurrendis adimpleant.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes, præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstant. regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 3. Decem. 1635. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die tertia Decembris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Oppida Castri Durantis, & Sancti Angeli in Civitates, & eorum Collegiatæ in Cathedrales eriguntur sub titulo Episcopatus Urbaniæ.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PRo excellenti preeminentia Sedis Apostolicæ, in qua post Beatum Petrum Apostolorum Principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti fuimus, in irriguo militantis Ecclesiæ agro Romanum Pontificem novas Episcopales Sedes, Ecclesiasque plantare, dignum arbitramur, ut per hujusmodi novam plantationem populorum augeatur devotio, divinus cultus effloreat, & animarum salus subsequatur, Oppidaque, & Loca insignia nostræ præsertim, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditioni subdita dignioribus titulis attollantur, & majoribus honoribus decorentur, ut propagatione novæ Sedis, honoratique Præsulis assistentia, & regimine, cum decenti ministrorum numero fideliter ipsi in devotione persistentes, ac etiam devotionis hujusmodi augmentum suscipientes, æternæ felicitatis præmium facilius valeant adispisci, dignaque eorum veteribus aliis cadere possint in exemplum.

Supplicatio Universitatis, & Terrarum, seu Oppidorũ Castri Durantis, & S. Angeli in Vado.

§.1. Sane cum Nobis alias pro parte universitatum, & hominum Terrarum, seu Oppidorum Castri Durantis, & Sancti Angeli in Vado nullius Diœcesis Provinciæ Urbinaten. jurisdictionis pro tempore existentis Abbatis Monasterii Sancti Christophori Terræ, seu Oppidi Castri Durantis hujusmodi Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis humiliter supplicatum fuisset, ut utramque Terram, seu alterutrum Oppidum hujusmodi in Civitatem, ac Monasterium prædictum, & matricem, seu majorem Archipresbyteratum nuncupatum Sancti Michaelis Archangeli Terræ, seu Oppidi Sancti Angeli in Vado hujusmodi Ecclesias alioquin ad id capaces, & idoneas, earumque alterutram in Cathedrales Ecclesias erigere, aliaque in prædicta facere, & exequi de benignitate apostolica dignaremur;

Negocium examini Congregat. Consistorialis fuit remissum.

§.2. Nos vero negotium hujusmodi Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consultationibus, & rebus consistorialibus prepositorum examinandum demandavissemus: & ipsi capta desuper diligenti, ac sufficienti informatione, utramque Ecclesiam talem esse, ut earum quælibet in Ecclesiam Cathedralem erigi mereretur, retulissent;

Quæ fuit in voces devenisse posse ad petitam erectionem.

Dimissa itaque per Cardinalem Barberinum hujusmodi Ecclesiarũ Commenda;

§.3. Nos, in quorum manibus dilectus filius noster Franciscus Sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis Barberinus nuncupatus, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, qui Monasterium prædictum, cujus fructus ad centum florenos auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, ut Commendam ad sui vitam ex concessione, & dispositione apostolica obtinebat, Commendæ hujusmodi, ac omni cuicumque juri sibi in dicto Monasterio, illiusque regimine, & administratione, vel ad illa quomodolibet competenti sponte, & libere cessit, & Andreas Lazarus Præpositus nuncupatus Sancti Alexandri, ac Fabius Picolpassus Sanctæ Mariæ de Burgo etiam nuncupatus Parochialium Ecclesiarum ipsius Oppidi Castri Durantis Rectores, dilecti etiam filii, Parochiales Ecclesias prædictas, quas etiam nuper obtinebant, ad effectum prædictum sponte, & libere resignarunt; quique cessionem, & resignationem hujusmodi duximus admittendas, audita Cardinalium hujusmodi relatione, exhibita super his cunctis, & aliis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione, ac de illorum consilio, & assensu, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, ad Dei Omnipotentis laudem, ac Gloriosissimæ Virginis Mariæ, & Sancti Christophori, ac totius curiæ cœlestis honorem, fideique catho-

Pontifex attenta Oppidi Castri Durantis qualitate;

catholicæ exaltationem, & Incolarum Oppidi Castri Durantis prædicti spiritualem consolationem, animarumque salutem, ac dicti Oppidi Castri Durantis decus hujusmodi, quod sicut accepimus, tam ob numerum nobilium Virorum habitatorum, Doctorum, Militum, & aliorum in dignitate constitutorum, quam ædificiorum insigne existit, ac in quo uti inter cætera Ducatus olim Urbini primario, & capite Provinciæ Massæ Trebariæ resideant Commissarius, Fiscalis, & Officiales dictæ Provinciæ; quodque alias ad instar aliarum Civitatum Ducatus hujusmodi pro consistorio Ducali octo virorum pro tota Provincia unum ex suis Incolis pluries nominavit, & deputavit, illudque Duces olim Urbini pro eorum residentia elegerunt, & præsertim claræ memoriæ Franciscus Maria VI. & ultimus Dux, qui idem Oppidum sua insigni Bibliotheca, & sepultura corporis sui tandem decoravit, prævia perpetua Abbatia regularis tituli, & denominationis in ipso Monasterio, ac tam in illo, quam in illius membris, & dependentiis, & ejus Ecclesia hujusmodi ipsius Ordinis, ac omnis status, essentiæ, & dependentiæ, universalium, singulorumque illius officiorum, quæ pridem fel. rec. Paulus Papa Quintus in Literis mandati erectionis ipsius Ecclesiæ Sancti Christophori in Collegiatam, ac unius dignitatis primordialis, ac certi Canonicatuum, & Præbendarum, & aliorum forsan Beneficiorum numeri, perpetuo sub certis modo, & forma tunc expressis supprimi, & extingui mandaverat, & in Sancti Alexandri, ac Sanctæ Mariæ de Burgo Parochialibus Ecclesiis prædictis, ac earum singulis Rectorum tituli, & denominationis, perpetua suppressione, & extinctione in Civitatem Urbaniam nuncupandam, ac Ecclesiam Sancti Christophori hujusmodi antea insignis Abbatiæ particulare, ac separatum Territorium habentis, ac jura pontificalia, & jurisdictionem quasi episcopalem in Terra, seu Oppido Castri Durantis hujusmodi exercentis dignitate præfulgentem, multisque aliis nominibus insignitam in Cathedralem Ecclesiam Archiepiscopo Urbinaten., nunc, & pro tempore existenti jure metropolitico subjectam, atque suppositam pro uno Episcopo Urbanien., & Sancti Angeli in Vado nuncupando ejusdem Archiepiscopo perpetuo suffraganeo, qui prædictis Urbanien., & Sancti Angeli in Vado, etiam per Nos hodie in Cathedralem erigi concessis Ecclesiis ex nunc invicem perpetuo unitis, & utrique illarum æquo jure, & pari dignitate præsit, ac in illis, & utraque earumdem omnia, & singula, quæ ordinationis, jurisdictionis, ac dignitatis episcopalis, & pontificalis exercitii sunt, & ad illa, atque ad utriusque Ecclesiæ Synodi Diœcesanæ convocationem, & celebrationem spectant, exerceat, cum omnibus, & singulis privilegiis, honoribus, juribus, insignibus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, & gratiis, ac

Illud in Civitatem, & Ecclesiam Parochialem Sancti Christophori in Cathedralem erigit

Cui præsit Episcopus Urbinatensi Archiepisc. suffraganeus.

indultis, quibus alii Episcopi de jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt.

§.3. Et præterea in eadem Ecclesia Urbanien. unam dignitatem Præposituram nuncupandam primam post pontificalem pro uno Clerico, seu Presbytero seculari Magistro in Theologia, seu juris utriusque, vel saltem in decretis, vel altero jurium Doctore, aut Licentiato futuro ipsius Ecclesiæ Urbanien. Præposito, qui tam in Choro, quam in Capitulo, processionibus, & aliis actibus per obtinentes similium Cathedralium Ecclesiarum dignitates, & alios Canonicos, & alios Beneficiatos habitus gestari solitus, ac quibus aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, gestare libere, & licite valeant.

Præpositura in eadem Ecclesia erigit.

§.4. Necnon etiam in ipsa Ecclesia Urbanien. octo Canonicatus, ac totidem Præbendas pro octo Canonicis, & Præbendatis, ac quinque perpetuos Mansionarios personalem residentiam requirentes pro totidem aliis actu Presbyteris secularibus, aut in ea saltem ætate constitutis, qui infra annum proximum ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint, & quibus cura animarum a dictis Parochialibus Ecclesiis abdicanda, & ab illis ad dictam Ecclesiam Urbanien. transferenda alternis hebdomadis incumbat, & qui prævio examine per examinatores in Synodo Diœcesana juxta formam Concilii Tridentini pro tempore deputatos examinari, & approbari debeant, & omnes apud dictam Ecclesiam Urbanien. constituere, ac in ea singulis diebus Horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, necnon Conventualem, aliasque Missas servata ecclesiastica disciplina celebrare, & decantare, seu recitare, aliisque interesse, ac alias prædictæ Ecclesiæ Urbanien. laudabiliter in divinis deservire, cæteraque onera, & officia eis pro tempore præscribenda, ac singulis Confraternitatum Cappellanis, & Parochialibus, ac fine cura Sanctæ Barbaræ Ecclesiis mensæ capitulari Urbanien. unitis incumbentia subire, curamque animarum tam ipsius Cathedralis Ecclesiæ Urbanien., quam ab aliis Parochialibus Ecclesiis unitis prædictis abdicatam, & ad dictam Ecclesiam Urbanien. translatam per se, vel Mansionarios prædictos, aliaque Parochialia onera, & officia per turnum alternis hebdomadis, vel prout melius videbitur debite supportare, ac Parochianis ipsis Sacramenta ecclesiastica ministrare teneantur, motu proprio, & ex certa scientia nostra, & de apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo erigimus, & instituimus.

Octo etiam Canonicatus erigit.

§.5. Ipsamque Urbanien. sic erectam, & institutam, ac Sancti Angeli in Vado Ecclesias hujusmodi insimul æque principaliter unimus,

Urbaniæ, & S. Angeli in Vado Ecclesias unit.

§.6. Necnon prædicto Episcopo pro illius residentia ædes suppressi Monasterii, dum in ipsa Urbanien., ac cum in prædicta

Ædes Episcopo assignat;

Sancti

cti Angeli in Vado Civitatibus resederit, ædes Rectorales Ecclesiæ Sancti Michaelis Archangeli in Cathedralem, ut præmittitur, erigi concessæ, pro perpetuis illius usu, & habitatione: ac ulterius ipsi Episcopo ipsammet Urbanien., & Sancti Angeli in Vado Civitates pro ejus Civitatibus, & pro Urbanien. Diœcesi Terras antea jurisdictioni Abbatis suppressi Monasterii subjectas, non tamen prædictam Sancti Angeli in Vado, quæ una cum suo Territorio, & Districtu eo ipso ab omni, & quacumque alia jurisdictione, præterquam ipsius Episcopi Sancti Angeli in Vado, libera, immunis, & exempta sit, & esse censeatur, & pro Sancti Angeli in Vado Diœcesi remaneat, earumdemque Civitatum Communitates, & Terrarum prædictarum Universitates, & homines, habitatores, & Incolas pro suis populis, & Diœcesanis, earumdemque Clericos pro suis Clericis, ac Ecclesiarum prædictarum sic in Cathedrales erectarum vassallos pro vassallis, dicta auctoritate concedimus, & assignamus.

Pro Diœcesim.

Mensam Episcopalem constituit.

§.7. Et insuper eidem Mensæ Episcopali Urbanien. omnia, & singula in instrumentis fundationum Præbendarum, & Canonicatuum hujusmodi respective contenta pro illius, ac Præpositure, Canonicatuum, & Præbendarum hujusmodi dote, & tam a nonnullis Confraternitatibus laicalibus dictarum Civitatum, seu ex piorum dispositionibus, aut aliàs quomodolibet respective tam assignata, quam assignanda, & pro Collegii quinque Mansionariorum in eadem Urbanien. Ecclesia erectorum hujusmodi dote, onerumque illis incumbentium supportatione Decimas, & quarteria antea Cappellanis solvi solita, ac trecenta scuta annua monetæ illarum partium solvenda per Communitatem Urbaniæ per annos viginti dumtaxat, & non ultra, & postea per Episcopum Urbanien. pro tempore existentem in perpetuum assignanda, & solvenda, perpetuo applicamus, & appropriamus: ita quod liceat Episcopo tam suppressi Monasterii, & Sancti Angeli in Vado hujusmodi, quam aliorum, & Præposito dictæ Præpositure, & singulis Canonicis Urbaniæ, ac singulis eorum Canonicatibus, & Præbendis particulariter eis, & eorum cuilibet in specie, & tam illis, quam Capitulo Urbanien. respective unitorum, applicatorum, assignatorum, prout ad eos, & eorum quemlibet respective spectat, & pertinet, ac pro tempore spectabit, & pertinebit, illorum omnium singulorum veram, realem, actualem, & corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate, & absque Judicis, vel Curiæ decreto, aut ministerio apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere.

Episcopo; & Capitulo potestatem facit condendi statuta pro ser vitio Ecclesiæ &c.

§.8. Insuper Episcopo una cum Capitulo hujusmodi quæcumque Statuta, Ordinationes, Capitula, licita tamen, & honesta, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, Constitutionibusque Apostolicis non contraria super celebratione divinorum officiorum, administratione Sacramentorum, ac personali residentia, divisione, & participatione distributionum quotidianarum, edendi, & condendi, ac edita, & condita pro temporum, & rerum varietate, & qualitate, quoties opportunum, & expediens videbitur, limitandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi, atque in meliorem formam redigendi, plenam, & omnimodam, liberamque facultatem, motu, & de apostolicę potestatis plenitudine similibus concedimus, & impertimur.

Privilegia eisdem concedit

§.9. Denique Episcopo, Præposito, Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Urbanien. hujusmodi, aliisque ejusdem Capitulo, & Ecclesiæ Urbanien. personis, atque Ministris pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus, & gratiis, quibus alii Episcopi, & aliarum Ecclesiarum Cathedralium Capitula, aliæque Civitates, & Diœceses, ac earum Clerus, Incolæ, & habitatores, ac eorum res, & bona de jure, usu, & consuetudine, aut privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quoad habitus delationem, uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite possint, & valeant, motu, auctoritate, & de potestatis plenitudine similibus concedimus, & indulgemus.

Communitat S. Durantis jus præsentationis ad Canonicatus &c. tribuit.

§.10. Postremo Communitati, & hominibus Oppidi Castri Durantis sic in Civitatem Urbanien. erecti, ac Confraternitatibus Montis in ipsa, seu alia Urbanien. Ecclesia canonice institutis, aliisque juxta formam fundationum factarum, earumque instrumentorum, jus præsentandi ad Canonicatus, & Præbendas vacantes personas idoneas a Rom. Pontifice, seu loci Ordinario pro tempore existentibus ad præsentationem hujusmodi instituendas, & quacumque ex causa illos, & illas vacare contigerit, ipso Pontifici, seu Ordinario loci respective præsentandas, ac per ipsum Pontificem, seu Episcopum respective instituendas cum oneribus in instrumentis fundationum, & erectionum contentis, motu simili reservamus, concedimus, & assignamus.

Clausulæ irritantes.

§.11. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra de unionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest; exprimendoque vero valore, & Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi ex cessionis, vel alia probabili causa fieri prohibentis, ac quatenus opus sit, fel. rec. Pauli Papæ Secundi, aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesię non alienandis, & singularum Cappellaniarum, aliorumque Beneficiorum prædictorum fundationibus, si in aliquo obstent, ut in specie Beneficiorum, Cappellaniarum, &

Ecclesiarum in excquutione supradictorum omnium, & singulorum destinatorum, applicatorum, unitorum, & assignatorum, quorum omnium, ac fundationum, ac fundatorum testamentorum, & dispositionum tenores, necnon singularum Ecclesiarum, Cappellaniatum, & aliorum Beneficiorum, aliarumque rerum, & prædiorum, apothecæ, censuum, & aliorum bonorum prædictorum situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates, verosque annuos valores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, ac fundatorum voluntates, si in aliquo obstent, & in quo ad supradicta omnia, & singula sufficienter, specialiter, & expresse motu, auctoritate, & potestate supradictis commutamus, aliisque quibusvis apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Monasterii, & Ordinis prædictorum, & singularum Confraternitatum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, illorumque omnium Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis clausulis, & etiam irritantibus decretis in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis. eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, seu quomodolibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expresse motu, auctoritate, & potestatis plenitudine similibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Potestas data Episcopo cogendi quoscumq ad fundos assignandos pro dote Capitulariū.

§.11. Volumus autem, & eadem apostolica auctoritate decernimus, quod si prædiorum, censuum, apothecæ, & aliorum bonorum mensæ capitulari prædictæ pro dote, seu in partem dotis assignatorum valores, & redditus assignati non sint juxta eorum assignationes bonorum, correspondentes assignationes ad supplementum ratæ deficientis de suo proprio omnibus juris, & facti remediis necessariis, & opportunis ab ordinario loci pro tempore existente, sive ab Auditore Cameræ Apostolicæ, manu regia cogi, & compelli possint, & debeant.

Clausulæ pœnales.

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, unionis, concessionum, assignationum, incorporationum, applicationum, reservationis, indulti, impartitionis, derogationis, commutationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 18. Februar. 1636 An.XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimoquinto, duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DII.

Exemptio Fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum a Jurisdictione, obedientia, & superioritate Ministri Generalis Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX quo regimen universalis Ecclesiæ Nobis a Domino commissum, meritis licet imparibus, suscepimus, primas esse officii nostri partes, semper reputavimus, si pro multiplicibus ministeriis, quæ in Ecclesia militanti ab illius fidelibus sedulo convenit exerceri, singulos operarios susceptis oneribus insistentes opportunis confoveremus præsidiis, & aliis auxiliis. Proindeque curæ Nobis semper fuit, viros Religiosos, eosque præcipue, qui remoti a turbis, divinæ vacantes contemplationi, in altum primævi Instituti montem juxta normam a Sede Apostolica peculiariter illis præscriptam, & non solum privatæ, sed publicæ animarum saluti invigilantes, dura servitute apud barbaros detentorum libertati, & spiritualibus periculis fructuose insudant, & consulunt, pro pastoralis officii nostri solicitudine firmissimis munire præsidiis. Quod ut plenius Nobis eveniat, illos pleni sui juris efficimus, ac ab omnimoda subordinatione, & subjectione libenter emancipamus, atque etiam sub inviolabili Sedis Apostolicæ protectione, paterna benevolentia recipimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Innoc. III. approbavit Ordinem.

§.1. Cum pridem fel. rec. Innocentius Papa Tertius Prædecessor noster, Ordinem Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum sub propria Regula, nutu divino Sanctis Patriarchis Joanni, & Felici illius Fundatoribus tradita, & ab eodem Prædecessore confirmata, instituisset;

Clem. VIII. instituit Congreg. Fr. Reform. & eam non exemit a superioritate Ministri Generalis totius Ordinis.

§.2. Postmodum vero, cum vel temporis injuria, aut fervore remisso, vel certe hominum tepiditate, antiqua inolevisset observantia, laxiori modo vivendi paulatim invalescente; piæ memoriæ Clemens Papa Octavus Prædecessor noster, motu suo proprio, in Regnis Hispaniarum unam

Pro-

Provinciam, seu Congregationem Fratrum Reformatorum, & Discalceatorum ejusdem Ordinis, in qua primitiva Regula cum antiquo, & pristino illo rigore, & spiritus fervore observaretur; & quæ per unum Ministrum Provincialem, ex eisdem Discalceatis eligendum, regeretur, erexerit, & instituerit: Ipsamque Congregationem, ac Provinciam Discalceatorum hujusmodi ab aliis Provinciis prædicti Ordinis Fratrum Calceatorum, seu modificatæ Regulæ perpetuo sejunxerit, & dismembraverit: ipsosque Fratres Reformatos, & eorum Monasteria, tam erecta, quam imposterum erigenda ab omni, & quacumque jurisdictione, visitatione, & superioritate, tam Commissarii generalis, quam aliorum Ministrorum Provincialium, & aliorum quorumcumque Superiorum Calceatorum, seu modificatæ Regulæ ejusdem Ordinis (excepto Ministro Generali totius Ordinis præfati, sub cujus obedientia, & superioritate Provincia ipsa, illiusque Domus, & Monasteria præsentia, & futura, semper manerent) perpetuo exemerit, & liberaverit;

Paul. V. Congreg. Refor. in duas Provincias divisit

§. 3. Et postmodum recolendæ memoriæ Paulus Papa Quintus, similiter Prædecessor noster, considerans, ipsam Congregationem Fratrum Discalceatorum, non medioeriter, benedicente Domino, in diversis dictorum Regnorum partibus jam tunc esse propagatam cum bonæ famæ odore, nec non spiritualium operum incremento, eique, plura illius Monasteria, per unum Ministrum Provincialem commode regi, & gubernari non posse, innotescens; etiam Motu suo proprio ex omnibus Monasteriis, & Regularibus Domibus dictæ Congregationis duas Provincias separatas, quarum quælibet per unum Ministrum Provincialem ex prædictis Fratribus Discalceatis eligendum, gubernaretur, instituerit. Et deinde idem Paulus Prædecessor facultatem concesserit eligendi ex ipsis Discalceatis unum Prælatum, Vicarium Generalem nuncupandum, cujus officium, & potestas per sex annos duraret: quique Congregationis prædictæ, illiusque Provinciarum, & Ministrorum, tam Provincialium, quam Conventualium Superior existeret, atque plenam potestatem gubernandi dictam Congregationem, dicto durante tempore, haberet, Ministroque Generali totius Ordinis subesset, & confirmationem suæ electionis ab ipso obtineret;

Urbanus concessit facultatem eligendi ex Discalceatis Ministrum Generalem.

§. 4. Subinde, cum rationi consentaneum non esset, ut qui arctioris Regulæ sectantur observantiam, Superioribus, qui in laxiori degunt, subjaceant, sed Superiores habeant proprii sui Instituti; Nos propterea Motu nostro proprio, & ex certa scientia nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationi Fratrum Discalceatorum hujusmodi concessimus facultatem eligendi unum Ministrum generalem ex ipsis Discalceatis; statuentes inter alia, quod electio hujusmodi Majoris, ac Generalis Ministri, de sexennio in sexennium, in Capitulo generali per secreta suffragia juxta Concilium Tridentinum fieret.

§. 5. Cumque post concessionem nostram hujusmodi Minister Generalis ex ipsis Reformatis noviter electus confirmationem suæ canonicæ electionis, tamquam Prælatus dicti Ordinis a Sede Apostolica immediate dependens, a Nobis obtinuisset: Postremo etiam Nos eidem Congregationi, ut Capitulum Generale Discalceatorum Ordinis, & Congregationis hujusmodi pro illius Ministri Generalis electione facienda legitime congregatum, de cætero perpetuis futuris temporibus, electionem Ministri Generalis in dicto Capitulo Generali factam confirmare libere, & licite posset, & valeret; Ita quod Minister Generalis Discalceatorum hujusmodi noviter electus, & a Capitulo Generali confirmatus, nulla alia confirmatione unquam indigeret, apostolica auctoritate concessimus, prout in diversis Literis Apostolicis desuper expeditis plenius continetur.

Auctoritatem quo dedit confirmandi electionem prædicti Ministri Gen. ipsi Capitulo Gen.

§. 6. Cum autem, sicut accepimus, quamvis prædicta Discalceatorum Congregatio, vigore Literarum nostrarum hujusmodi, facultatem habeat eligendi suum Generalem Ministrum totius Congregationis prædictæ: Et jam cessante nomine Vicarii Generalis, satis appareat, cessasse illam subordinationem Vicarii Generalis Ministro Generali totius Ordinis, cujus vices gerebat, & ad quem illius confirmatio pertinebat: nec par in parem habeat imperium: Nihilominus pro majori quiete, & spirituali progressu ejusdem Congregationis Reformatorum hujusmodi, Nos dilectum filium Fratrem Joannem de Annunciatione Procuratorem Generalem dictæ Congregationis, amplioris gratiæ favore prosequi volentes, ipsumque Joannem, necnon singulares personas Congregationis prædictæ a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes: necnon singularum Literarum præfatarum tenores, etiam veriores, ac datas præsentibus pro expressis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, non ad alicujus Nobis desuper factæ petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate, ex voto tamen Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum: Quod de cætero prædicta Congregatio, aut illius Religiosi, vel Minister Generalis, aliique Prælati, Superiores, Officiales, & personæ, perpetuis futuris temporibus Ministro Generali Fratrum Calceatorum totius Ordinis prædicti, nunc, & pro tempore existenti, in spiritualibus, vel

Modo eximit hanc Congr. a superioritate Ministri generalis Fratrũ Calceatorum

vel temporalibus minime subjaceant, aut subjecti, & suppositi esse minime debeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Ipsosque Fratres Discalceatos, illiusque Ministrum Generalem, ipsiusque Personas, Conventus, Domos, Collegia, Provincias tam præsentia, quam futura, res, & bona, ab omni, & quacumque jurisdictione, superioritate, subordinatione, obedientia, correctione, visitatione, gubernio, aut alia quavis jurisdictione, tam Ministri Generalis Fratrum Calceatorum hujusmodi, quam aliorum Prælatorum, & Superiorum, quacumque auctoritate fungentium, & functorum, & quantumvis amplissimis privilegiis, & facultatibus utentium, & usurorum, etiam quandocumque reformandorum, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuo eximimus, liberamus, & disinembramus. Illosque sic exemptos, liberatos, & disinembratos, uti Sedi Apostolicæ immediate subjectos, sub nostra, & Sedis Apostolicæ tutela, & protectione recipimus, & admittimus.

Approbat, & confirmat privilegia.

§.7. Omniaque, & singula privilegia eidem Congregationi Refurmaturum, circa exemptionem hujusmodi, aut aliàs per Sedem Apostolicam concessa, eadem auctoritate, etiam perpetuo approbamus, & confirmamus, eisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus: omnesque, & singulos tam juris, quam facti defectus, quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulæ.

§.8. Decernentes, præsentes, etiam ex eo, quod interesse habentes ad huc vocati non fuerint, aut præmissis non consenserint, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem Apostolicam, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data per Superiores Congregationis Reformatorum hujusmodi quandocumque eligenda, concessas esse, & fore.

Clausula sublata.

§.9. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, & commissarios quavis auctoritate fungẽtes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.10. Non obstantibus præmissis, ac præfatis Literis Clementis, & Pauli Prædecessorum nostrorum hujusmodi, necnon in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis etiam Ministro Generali Fratrum non Reformatorum hujusmodi, illiusque Provincialibus Ministris, aliisque Officialibus, & Superioribus, ac Personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc servanda foret, eorum tenores pro plene, & integre expressis habentes, motu pari de eadem potestatis plenitudine, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.11. Volumus autem, quod præsentium transumptis, vel earum copiis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Generalis, vel Procuratoris generalis hujusmodi, vel alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent publicatæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, exemptionis, liberationis, disinembrationis, receptionis, admissionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 18. Februar. 1636 An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimoquinto, kal. Martii, Pontificatus nostri Anno XIII.

Decla-

DIII.

Declaratio quoad facultates transferendi pensiones, aut illarum loco fructus, ac translationes, novasque reservationes pensionum, ac fructuum antea translatorum.

Quoad pensiones obtinendas, seu transferendas, vide in Constitut. XCVIII. Pii V. Sacrosanctum. *Tom.IV. Par.III. fol.38.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. INter gravissimas, multiplicesque apostolicæ servitutis curas, quibus jugiter premimur, illa etiam est, ne Ecclesiæ, & beneficia ecclesiastica indebite contra, aut præter mentem Rom. Pontificis prægraventur.

Causæ hujus Constit. §.1. Cum igitur ex translatione pensionum onus illarum prorogetur, seu extendatur de persona ad personam, & sæpe de infirmo ad sanum, & de sene ad juvene, in non modicum præjudicium Ecclesiarum, & beneficiorum ecclesiasticorum, ac illa pro tempore obtinentium; & propterea difficilius concedatur facultas transferendi illas pensiones, quæ alias translatæ fuerunt.

Declaratio de qua in Rubrica. §.2. Idcirco Ecclesiarum, ac beneficiorum, & illa obtinentium prædictorum detrimentis, & incommodis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare volentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, omnes, & singulas per Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores nostros, ac etiam per Nos ex quacumque causa etiam onerosa, etiam ratione quorumcumque officiorum, etiam motu, & scientia, potestatisque plenitudine similibus, ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, & cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis decretis concessas, & concedendas facultates transferendi quascumque pensiones, seu fructus ecclesiasticos earum loco pro tempore reservatas, & reservatos, aut mediante earumdem pensionum antiquarum cassatione, de novo illas reservandi, necnon pensionum, & fructuum hujusmodi translationes, seu novas reservationes, super quibuscumque Ecclesiis, etiam Cathedralibus, & Majoribus, ac Monasteriis, etiam Consistorialibus, cæterisque beneficiis, tam secularibus, quam quorumvis Ordinum regularibus, & hospitalibus quomodolibet qualificatis, etiam cujuscumque Jurispatronatus, etiam Laicorum, etiam quorumcumque Regum, & Principum, illorumque fructibus, etiam incertis, & distributionibus, etiam quotidianis nunc, & pro tempore factas, & concessas quibuscumque personis, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis fuerint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, etiamsi super facultatibus, translationibus, seu novis reservationibus hujusmodi, lis, seu lites in quocumque gradu, instantia, vel Tribunali pendeant indecisæ, non potuisse, nec posse cuiquam suffragari, quoad pensiones, seu fructus aliàs translatos, nisi in eis consensus pensiones, aut fructus hujusmodi solvere debentium accesserit; aut quod aliàs pensiones, seu fructus hujusmodi translati, seu de novo reservati fuerint, expressum sit, seu exprimatur; vel clausula, etiamsi pensiones, seu fructus hujusmodi forsan aliàs translatæ, seu translati, vel de novo reservatæ, vel reservati fuerint, apposita sit, vel apponatur.

Exceptio non nullorum casuum. §.3. Non intendimus autem præsenti Constitutione comprehendere facultates, translationes, & novas reservationes hujusmodi, pro quarum validitate hactenus lata esset sententia, quæ in rem judicatam transivit, vel pro quarum exequutione mandatum relaxatum, & exequutioni demandatum fuerit.

Clausula sublata cum decreto irritanti. §.4. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac etiam Cam. Apost. Clericos Præsidentes, necnon causarum Palatii Apost., & Curiæ ejusdem Cam. generalem Auditorem, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri, ac interpretari debere; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate definiri debere: ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obstantibus indultis, privilegiis, & facultatibus, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam individuam mentionem requirentibus, cæterisque contrariis quibuscumque, illorum omnium, & singulorum tenores pro plenè expressis, & insertis habentes.

Dat. die 8. Martii 1636. An.XIII. Dat. Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris, die 8. Martii 1636. Pontificatus nostri Anno XIII.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimosexto, die vero decimaquarta Maii, supradicta Bulla, sive declaratio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per nos Paulum Bartoccium, & Franciscum de Paulis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Ant. Bardus Mag. Curs.

Hebræo-

DIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Hebræorum synagogæ in Ducatibus Ferrariæ,& Urbini,& earum quælibet teneatur singulis annis decem duc. auri de Camera solvere Collegio Neophytorum, & Cathecumenorum de Urbe.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Nonnulli Pontifices a qualibet Hebræorum Synagoga decem duc. auri de Camera Collegio Neophytorum solvi decreverunt.

§.1. CUm alias piæ memoriæ Julius Papa Tertius Prædecessor noster in subventionem, & alimoniam pauperis Domus Neophytorum ad fidem catholicam conversorum, seu cathecumenorum Urbis nuncup. decreverit, quamlibet synagogam, adunantiam, seu universitatem Hebræorum Urbis, & aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum mediate, & immediate ditioni Sedis Apostolicæ subjectorum teneri solvere eidem Domui Neophytorum ducatos decem auri de Camera quolibet anno; quam concessionem nedum confirmavit, sed ampliavit felicis recordationis Paulus Papa IV. etiam Prædecessor noster, qui decrevit, ad eamdem annuam solutionem cogendas esse omnes synagogas,& adunantias hebræorum,etiam suppressas, ut scilicet synagogæ, & adunantiæ extantes deberent solvere etiam pro synagogis, & adunantiis extinctis, quæ omnia fuerunt quoque a rec.mem. Pio Papa Quarto confirmata.

Cum tamen Pius V. Hebræos a toto statu Ecclesiastico ejici mãdaverit.

§.2. Verum quia san. mem. Pius Papa Quintus etiam Prædecessor noster ejici mandavit Hebræos a toto Statu Ecclesiastico, excepta Alma Urbe nostra, & Civitate Anconæ, & emolumentum gabellæ, alias per similis memoriæ Clementem Papã VIII.etiam Prædecessorem nostrum impositæ super universitate Hebræorum ejusdem Urbis ad favorem prædictæ Domus, seu Collegii Neophytorum, vel Cathecumenorum usque ad summam annuam scutorum 2500. monetæ, fuit ab eodem Clemente Prædecessore reductum ad scuta octingenta annua ex quibus etiam trecenta fuerunt a prædicta Domo, seu Collegio dismembrata, & Monasterio Sanctæ Mariæ Magdalenæ Convertitarum Urbis perpetuo applicata; propterea prædicta Domus, seu Collegium valde in suis annuis redditibus læsum, & damnificatum remansit, & remanet.

Et ideo prædictum Collegium plurimũ damni passum fuerit,

Urbanus dictã pecuniam a qualibet Hebræorum Synagoga &c. Ducatuũ Ferrariæ, & Urbini solvi mãdat.

§.3. Quapropter Nos indemnitati præfatæ Domus, seu Collegii consulere volentes, omnium prædictarum omnium, & singularum concessionum,& dispositionum cum inde sequutis quibuscumque, ac aliorum quorumcumque hic forsan de necessitate exprimendorum, seu inserendorum tenores etiam veriores pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ex voto Congregationis nonnullorum Prælatorum per Nos ad id deputatorum, tenore præsentium declaramus, & decernimus quaslibet synagogas, universitates, seu adunantias Hebræorum commorantium in Civitatibus, Terris, & Locis Status, sive Ducatus tam Ferrariæ, quam Urbini nunc, & pro tempore existen. teneri, & obligatas fuisse, & esse solvere præfatam summam decem ducatorum auri de Camera singulo quoque anno tam decurrendo imposterum, quam antea a die devolutionis ipsorum Statuum, sive Ducatuum ad ipsam Sedem Apostolicam decurso.

Card. Collegii Protectori facultatem concedit dd. Hebræos ad id cogendi.

§.4. Idcirco committimus dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Honnphrii Presbytero Cardinali nuncupato, ejusdem Domus, seu Collegii, ac pro tempore existenti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, quatenus juris, & facti remediis, etiam via exequutiva, ac omni, & quacumque appellatione, nullitate etiam ex tribus, ac in integrum restitutione remotis, easdem universitates, synagugas, seu adunantias Hebræorum in prædictis Statibus, seu Ducatibus ad Sedem Apostolicam alias devolutis, nunc, & pro tempore habentium existentes,& earum quamlibet ad præfatam annuam præstationem ducatorum decem auri de Camera pro earum qualibet in die festo omnium Sanctorum solvendam, & exbursandam cum effectu eidem Domui, seu Collegio Neophytorum, seu Cathecumenorum, cogat, & compellat.

Clausulæ.

§.5. Decernentes,præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes vocati, & auditi non fuerint, aut præmissis non consenserint, seu causæ, propter quas præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu alias justificatæ non fuerint, aut alia quavis de causa quantumvis legitima, juridica, & privilegiata de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, aperitionem oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratiæ, vel Justitiæ remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu se juvare in judicio, & extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, & dicto Collegio plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Or-

& Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, & alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Martii 1636. An.XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Martii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Prohibet Consilio Centum Virorum Civitatis Barchinonen., quominus pro officiis, quæ gratis concedit solent, conferendis, aut obtinendis, quidquam accipiant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Expositio Communitatis, & Hominum Civitatis Barchinonen.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Beltrandus de Suall nomine dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Barchinonen., quod alias sub die 13. Novembris anni 1634. a sapiente centum virorum gubernis dictæ Civitatis consilio statutum fuit, ut officia, quæ gratis concedi solent, vendi non possent, nullusque Consiliariorum hujusmodi quidquam directe, vel indirecte, etiam ratione imbussulationis, a quoquam recipere posset pro concedendo, seu, ut concedatur, procurando quovis ex dictis officiis. Quare, ut fraudibus, & abusibus, qui forsan circa præmissa orti sunt, seu oriri possent dictus Beltrandus nomine eorumdem Communitatis, & hominum humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Prohibitio, quæ in Rub.

§.2. Nos igitur eosdem Communitates, & homines specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Consiliariis prædictis præsentibus, & futuris, ac quibusvis aliis personis, etiam ecclesiasticis secularibus, & quorumcumque Ordinum, ac Militiarum regularibus dictæ Civitatis cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua nisi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo absolvi nequeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium districte prohibemus, ne pro dictorum officiorum, & cujuslibet illorum, gratis, ut præfertur, concedi solitorum concessione, seu collatione, aut imbussulatione, pecunias, vel aliam rem æquivalentem per se, seu interpositas personas directe, vel indirecte, ac sub quovis quæsito colore, ingenio, seu prætextu offerre, dare, aut promittere, vel exigere, sive etiam sponte oblatum recipere audeant, seu præsumant.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatis, Ordinum, & Militiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Aprilis 1636. An.XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Auditori Cameræ, ut contra Scalensem, & Ravellensem, ac alios quoscumque Episcopos in suis Ecclesiis non residentes procedat, & ad residendum compellat.

Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Cum Episcopus Scalen., & Ravellen. non paruerit Decretis S. Concilii Tridentini,

§.1. EXposuit Nobis nuper dilectus filius Commissarius Generalis Cameræ Apostolicæ, quod cum Honuphrius Episcopus Scalen., & Revellen. contravenerit Decretis Sacri Concilii Tridentini, & Literis Apostolicis præsertim a Nobis super residentia editis, Ecclesiam Scalen., & Revellen. præfatam deserens, in partibus Lombardiæ multo temporis spatio se detinuerit, & detineat; propterea fuit perso-

naliter coram dilecto filio A. C. per Nos etiam specialiter pro executione præfatarum Literarum deputato monitus ad docendum se paruisse Literis Apostolicis prefatis super residentia, aliàs videndum se declarari incidisse in pœnas in eisdem Literis expressas; & deinde servatis servandis lata fuit contra ipsum sententia declaratoria incursus præfatarum pœnarum, quæ sententia eidem intimata fuit; & licet ipse debuisset præmissis reverenter parere, tamen mala malis addendo contumaciter in non residendo apud suam Ecclesiam, & non parendo præmissis continuavit, & continuat in præjudicium animæ suæ, ac præfatæ Ecclesiæ, & animarum sibi commissarum.

Commissarius facultates necessarias contra ipsum procedendi, petit.

§. 2. Quapropter idem Commissarius, ne tot defectus, & excessus, & transgressiones impuniti, & impunitæ remaneant, Nobis humiliter supplicavit, quatenus facultatem opportunam promulgandi, & infligendi contra ipsum Episcopum contumacem excommunicationis majoris, aliarumque censurarum pœnas tibi concedamus.

Omnes actus contra ipsum Episcopum factos validat Urbanus.

§. 3. Nos igitur omnium, & singulorum actorum, ac processus contra præfatum Episcopum fabricati, citationumque, intimationum, oppositionum, aliorumque præmissorum, ac cæterorum quorumcumque hic de necessitate forsan exprimendorum tenores, & statum litis, seu judicii præfatorum pro expressis habentes, volentesque indemnitati animarum, & Ecclesiarum consulere, & omnibus remediis juris, ut Episcopi, quantum Nobis ex alto conceditur, apud suas Ecclesias resideant, providere, contumaciaque, & canonum transgressio fomitem non recipiant, sed in non parentes, & inobedientes debitis pœnis in aliorum exemplum animadvertere motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi, & pro tempore existenti A. C. per præsentes committimus, & mandamus, ut tam contra præfatum Episcopum Scalen., & Revellen., quam contra quoscumque alios Episcopos in suis Ecclesiis, prout tenentur, non residentes, cujuscumque qualitatis, status, conditionis, & dignitatis, etiam specialem expressionem requirentes in quocumque loco, & ubique Terrarum commorantes procedas, & procedat, illosque ad residendum juris remediis opportunis, etiam promulgando, & infligendo contra ipsos, & quemlibet eorum excommunicationis majoris, aliasque censuras, & pœnas etiam eisdem Ecclesiis ex eorum absentia gravatis applicando, cogas, & compellas cum facultate procedendi contra ipsos etiam per edictum publicum, constito tibi summarie, & aliàs, quantum sufficere tibi videbitur, de non tuto accessu, aliisque omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis.

Facultatesque Auditori Cameræ concedit contra eũ, aliasque Episcopos non residentes procedendi.

Clausulas apponit.

§. 3. Præsentes quoque Literas de subreptionis, vel obreptionis, aut intentionis nostræ, & quovis alio defectu impugnari non posse; Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstant. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ Regulis, & Conciliis generalibus, etiam de duabus dietis, omnibusque, & singulis etiam individuam, & specialem mentionem, seu expressionem, vel insertionem requirentibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Junii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Dat. die 10 Junii 1636. An XIII.

DVII.

Pœnitentiaria Lauretana, ejusque Pœnitentiarii Majori Pœnitentiario subiiciuntur, cum nonnullis aliis Decretis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ATtendentes universo gregi, in quo Spiritus Sanctus Nos Episcopum posuit, ad Ecclesiam Dei regendam, quam pretiosissimo sanguine suo Christus redemit, inter cæteras pastoralis officii nostri solicitudines, ac curas, eam præcipue vigiliam mentis nostræ oculis anticipatam experimur, qua & creditas Nobis oves prospicimus, & animarum consulimus saluti.

Urbanus tollit omnes facultates, & privilegia minoribus Pœnitentiariis domus Lauretanæ.

§. 1. Hinc cum plura circa pœnitentiariæ nostræ officium ordinaverimus, aliquid etiam circa Rectorem, & Pœnitentiarios, ut vocant, Minores Sanctæ Domus Lauretanæ providere, illisque novam facultatum formam, qua deinceps utantur, præscribere duximus opportunum; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, per præsentes omnem potestatem, & auctoritatem quamlibet tam ordinariam, quam delegatam, nec non omnia privilegia, facultates, ac Indulta præfatis Rectori, & Pœnitentiariis hactenus quomodolibet concessa a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præsertim a Clemente VIII. (infrascriptis dumtaxat exceptis) omnino adimentes, revocantes, & annullantes.

Illosque Majori Pœnitentiario subiicit.

§. 2. Statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus dictus Rector, & Pœnitentiarii auctoritati, potestati, ac regimini majoris nunc, & pro tempore existentis Pœnitentiarii, non tamen quoad observantiam suorum regularium

larium Inſtitutorum, ſubjaceant quoad forum pœnitentiale, prout ſupponimus, & ſubmittimus: itaut deinceps nullus in præfatæ Sacræ Domus Lauretanæ Rectorem, & Pœnitentiarium, ac Pœnitentiarii munus, illiuſque adminiſtrationem, aut exercitium aſſumatur, vel admittatur, niſi prævio examine per ipſummet Majorem Pœnitentiarium in Signatura Pœnitentiariæ hic in Urbe faciendo, aut alibi, ſi magis ipſi viſum fuerit expedire, committendo, fuerit approbatus, & præfatæ approbationis Literas patentes ab eodem Majori Pœnitentiario obtinuerit. Declarantes noſtræ mentis, ac intentionis eſſe, ut præfati Rector, & Pœnitentiarii ſint, & eſſe cenſeantur deputati, ac impoſterum deputentur ad nutum, & voluntatem prædicti Majoris nunc, & pro tempore exiſtentis Pœnitentiarii.

Nonnullas facultates ipſi Majori Pœnitentiariis Lauretanis communicandas.

§.3. Indulgemus vero, ut idem Major Pœnitentiarius præfatis Rectori, & Pœnitentiariis pro tempore exiſtentibus concedere poſſit (ſalva tamen facultate addendi, & minuendi quoticſcumque eidem Majori Pœnitentiario nunc, & pro tempore exiſtenti placuerit) juxta tamen formam, & tenorem Literarum noſtrarum ſuper facultatibus ejuſdem Majoris Pœnitentiarii per Nos editarum, ut præfertur, uſum virgarum valeant in foro conſcientiæ tantum, & in ipſa dumtaxat Eccleſia Lauretana per ſe ipſos ſolos abſolvere, audita prius ſacramentali, & in actu ipſius ſacramentalis confeſſionis quaſcumque perſonas ſibi confitentes, etiam Regulares, cujuſcumque ſint Ordinis, Congregationis, aut Inſtituti, etiamſi ex præcepto Superiorum, vel eorum Conſtitutionibus etiam a Sede Apoſtolica approbatis, vel aliàs ex Indulto Apoſtolico extra propriam Religionem peccata ſua confiteri prohibeantur.

Et quidem abſolvendi a caſibus reſervatis, exceptis aliquibus.

§.4. Item Major Pœnitentiarius illis etiam concedere poſſit facultatem, ut præfertur, abſolvendi a quibuſcumque caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ, ac etiam in Bulla Cœnæ Domini reſervatis, injunctis tamen ſalutaribus pœnitentiis, aliiſque de jure injungendis, infraſcriptis tamen exceptis.

I. Hæreticis, vel ſchiſmaticis manifeſtis, aut condemnatis, ſeu in judicio delatis, ac denunciatis, necnon iis, qui habent complices, fautores, vel receptatores, etiamſi mortui fuerint, vel etiamſi habeant ſolos conſcios.

II. Iis, qui ſcienter legerunt, vel retinuerunt libros hæreticos, vel ſortilegos, ſive negromanticos, alioſque libros contra fidem catholicam, vel chriſtianam religionem, ſi ipſi in judicio delati ſint, aut ſi habeant complices, vel fautores, qui non degant, aut nati non ſint in regionibus palam infectis, ſeu in quibus hæreſes impune graſſantur.

III. Apoſtatis a fide chriſtiana, qui palam habitu, vel actu ſe judæos, turcas, mahometanos, vel infideles profeſſi ſunt, aut habent complices, fautores, ſeu conſcios.

IV. Iis, qui officium Sanctæ Inquiſitionis, aut locorum Ordinarios illud exercentes, ac Vicarios, ſeu eorum Officiales in concernentibus ipſorum officium, aut exequutionem, vel teſtes in hujuſmodi cauſis impediverint, ſeu reſpective facto, aut verbo offenderint.

V. Principibus, & aliis perſonis juriſdictionem, & jus imperii vicario etiam nomine habentibus, necnon perſonis Dominiorum, ſeu Rerum publicarum adminiſtrationem, gubernium, vel regimen habentibus, vel habere ſolitis, necnon Magiſtratibus, ac etiam Epiſcopis, aliiſque Prælatis ſuperioribus, & inferioribus ordinariam juriſdictionem habentibus in publicis caſibus, etiamſi tunc Sedes Apoſtolica vacaret, aut Summus Pontifex propter infirmitatem, aliamve cauſam ita foret impeditus, ut celeriter conſuli non poſſet.

VI. Iis, qui per ſe, vel per alium, aut alios de rebus chriſtianæ reipublicæ, & catholicæ religionis ſtatum concernentibus in Chriſtifidelium, aut catholicorum perniciem, & damnum Mahometanos, Turcas, vel alios infideles, ſive hæreticos, eorumve Principes, Duces, vel Capitaneos certiores fecerint.

VII. Interficientibus, mutilantibus, vulnerantibus, incarcerantibus, vel hoſtiliter inſequentibus, ac retinentibus invitos, ac aliàs offendentibus S. R. E. Cardinales, Patriarcas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Sedis Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eoſdem reiicientibus a ſuis Diœceſibus, Terris, Dominiis, aut Territoriis, eaque mandantibus, ſeu rata habentibus, vel præſtantibus auxilium, conſilium, & favorem.

VIII. Conſpirantibus in perſonam, vel ſtatum Summi Pontificis, ſeu in S. Apoſtolicam Sedem.

IX. Iis, qui noſtræ Conſtitutioni inquirendo de ſtatu reipublicæ chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, vel de vita, aut morte Summi Pontificis, ejuſque conſanguineorum uſque ad tertium gradum incluſive contravenerint.

X. Cardinalibus, aliiſque, qui Sede Apoſtolica vacante, in cenſuras, & pœnas contentas in Conſtitutionibus fel. rec. Gregorii XV., & noſtra ſuper Romani Pontificis electione emanatis inciderint.

XI. Cardinalibus, aliiſve, qui vivente Romano Pontifice de quopiam eligendo, vel excludendo tractaverint, aut ſuffragia inierint.

XII. Iis, qui Presbyteros publice occiderint.

XIII. Apoſtatis ab Ordinibus, ſeu Religionibus approbatis, quamdiu extra Ordinem permanſerint, niſi poſt reditum ad Religionem, vel ſaltem poſt reaſſumptum habitum regularem cum firmo propoſito, & brevi termino ad præſentandum intra clauſtra ſuis ſuperioribus, aut religioni, aut niſi ultramontani ſint, vel aliàs longe diſtent, & propter inopiam habitum reaſſumere nequeant, quibus aſſignari poterit congruum tempus ad id faciendum, quo cla-

elapso, sciant, se ratione moræ relapsuros in eamdem excommunicationis sententiam, & censuras, quibus erant antea innodati, de quo etiam Pœnitentiarii debeant ipsos pœnitentes monere.

XIV. Regularibus intra claustra mulieres introducentibus ad usus inhonestos.

XV. Regularibus, vel secularibus, qui munera a Regularibus acceperint, ante factam per eos restitutionem, si dicta munera valorem decem scutorum excesserint, exceptis tamen rebus medicinalibus, & devotionis, ac aliis juxta Constitutionem Clementis VIII. sed hoc nonnisi facta eleemosyna arbitrio confessarii.

XVI. Iis, quorum absolutiones ita immediate reservatæ sunt Summo Pontifici, ut nec Major Pœnitentiarius possit absolvere juxta tamen tenorem Literarum a Nobis expeditarum &c.

XVII. Omnibus ab homine nominatim excommunicatis, interdictis, vel suspensis, aut pro talibus declaratis, sive denunciatis.

Aliæ Facultates communicandæ.

§. 5. Similiter possit Major Pœnitentiarius illis concedere, ut per se ipsos tantum, ut præfertur, omnia vota dispensando, etiam commutare possint in alia pietatis opera, castitatis, religionis, subsidii Terræ Sanctæ, & Sancti Jacobi in Compostella dumtaxat exceptis.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes, præsentes Literas, omniaque in illis contenta, etiam ex eo quod Generalis Præpositus Societatis Jesu, Rector, & Pœnitentiarii præfati, aliique quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes prædicti non consenserint, aut vocati, vel auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis legitima, & juridica de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenus posse, sed eas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & a dicto Generali, Rectore, & Pœnitentiariis prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus Cancellariæ Apostolicæ Regulis, & quatenus opus sit, illa de jure quæsito non tollendo, aliisque quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, ac dictæ Pœnitentiariæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis, Indultis, & Literis Apostolicis, vivæque vocis oraculis dictis Generali, Religioni, Rectori, & Pœnitentiariis prædictis, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam cum clausula, quod numquam sub istis revocatoriis comprehendantur, & etiam quod addita fuerit clausula, quod dicta privilegia, indulta, & alia supradicta semper censeantur concessa sub posteriori data, & aliis decretis, & clausulis, etiam insolitis, etiam speciali mentione dignis, etiam derogatoriarum derogatoriis, in genere, & in specie, etiam motu pari, & consistorialiter, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissum plenissime derogamus.

Transumptis danda fides.

§. 8. Volumus autem, quod transumptum istarum literarum manu, & sigillo Majoris Pœnitentiarii munitum, & præfato Generali Societatis Jesu, Rectori, & Pœnitentiariis prædictis nunc existentibus extrajudicialiter etiam intimatum vim habeat solemnis publicationis.

Dat. die 20. Junii 1636. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Junii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DVIII.

Extensio Constit. Gregor. XIII. ne Subcollectorum, & Commissariorum spoliorum crimina possent cognosci nisi a Nunciis, & Collectoribus Apostolicis in Regno Neapolitano, ad excessus, & crimina patrata in aliis Regnis, & Provinciis, etiam expletis eorum officiis.

Gregor. XIII. edidit sanctionem solum pro Regno Neapolis, quam habet inter ipsius Constitut. num. XL. Cupientes. *Tom. IV. Par. III. fol.* 293.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Gregor. XIII. Const. refertur.

Alias rec. mem. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster indemnitati Ministrorum Cameræ Apostolicæ, ne ullis molestiis, litibus, vel incommodis fatigarentur, opportune providere cupiens, quod omnes,

omnes, & ſingulæ cauſæ tunc motæ, & pro tempore movendæ quorumvis prætenſorum exceſſuum, criminum, & delictorum, per quoſcumque Subcollectores, & Commiſſarios, tam generales, quam particulares, in quibuslibet Provinciis, Civitatibus, & Diœceſibus Regni Neapolitani per tunc, & pro tempore exiſtentem Nuncium Apoſtolicum, & Collectorem generalem deputatos commiſſorum, à tunc, & pro tempore exiſtente Nuncio Apoſtolico in eodem Regno commorante ſolum, non autem à quibuſvis aliis judicibus, etiam locorum Ordinariis, non modo durante eorum officio, ſed etiam poſt ipſum dimiſſum, donec viverent, audiri, cognoſci, & decidi poſſent, & deberent, ſtatuit, & ordinavit, prædictiſque Judicibus, & locorum Ordinariis, ne in illis ſeſe quovis prætextu, ſeu quæſito colore intromittere quoquo modo ullatenus auderent, vel præſumerent, diſtrictius inhibuit, prout in ſuis Literis in ſimili forma Brevis, ſub datum die quarta Januarii 1565. Pontificatus ſui anno tertio expeditis plenius continetur.

Dubium poſtea exortum.

§.1. Cumque poſtea, ut accepimus, fuerit a nonnullis pluries dubitatum, an prædictæ literæ Gregorii Prędeceſſoris prędicti de prætenſis exceſſibus, criminibus, & delictis, durante officio dumtaxat, an vero etiam de aliis poſt finitum eorum officium, ut præmittitur, donec viverent, commiſſis intelligi deberent, & deſuper diverſas reſolutiones etiam ad invicem contrarias emanaſſe aſſeratur;

Cauſæ facien dæ declarationis,

§.2. Nos volentes finem huic dubitationi imponere, & attendentes, quod iidem Subcollectores, & Commiſſarii in concernentibus ſervitium Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ, timidiores, ac negligentiores fierent, ſi ſub prædictorum Judicum, & Ordinariorum juriſdictione poſt finitum eorum officium ſe relictum iri timerent, & propterea juſto metu retraherentur a gerendo, ut debent, eorum officio, dubitantes, ne illo finito, prædicti Judices, & locorum Ordinarii in illos, etiam ex cauſis mendicatis ſævirent, quod in non modicum præjudicium Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ redundaret;

Declaratio, & extenſio, de qua in Rubr.

§.3. Idcirco motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra Conſtitutione perpetuo valitura cognitionem, & deciſionem cauſarum prætenſorum exceſſuum, criminum, & delictorum per prædictos Subcollectores, & Commiſſarios a Nunciis, & Collectoribus Apoſtolicis, tam in Regno Neapolitano, quam in aliis Provinciis, Regnis, & locis, etiam ſpeciali nota dignis, & ubique terrarum, & locorum per Nuncios, ſive Collectores Apoſtolicos hactenus deputatos, & pro tempore deputandos quomodocumque, etiam poſt finitum officium commiſſorum, ut prætenditur, & patratorum ſpectaſſe, & ſpectare ad Nuncios, & Collectores Apoſtolicos pro tempore exiſtentes, privative quoad quoſcumque alios judices, etiam locorum Ordinarios prædictos, declaramus, & quatenus opus foret, decernimus, ſtatuimuſque, & ordinamus.

Prætavetur, ne majora hinc crimina patrentur.

§.4. Ne autem inde major libertas delinquendi, & exceſſus committendi eiſdem Subcollectoribus, & Commiſſariis naſcatur, & ne eorum delicta, ſi quæ patrata eſſent, vel patrarentur impoſterum, impunita remaneant. Volumus, quod Collectores Cameræ Apoſtolicæ nunc, & pro tempore exiſtentes, inter Statuta per eorum Subcollectores, & Commiſſarios obſervanda, tamquam ab ipſis Collectoribus jam edita, etiam impreſſa, addant comminationem de eoſdem Subcollectores, & Commiſſarios privando hujuſmodi privilegio, & illos ordinariæ juriſdictioni ſubmittendo, quatenus poſt dimiſſum officium ab exceſſibus, & delictis committendis non ſe abſtineant, quodque prædicta Statuta in Cancellariis Epiſcoporum, & aliorum ordinariorum retineantur, & ſtent affixa.

Clauſulę præſervativæ.

§.5. Decernentes, præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, vocati, & auditi non fuerint, aut præmiſſis non conſenſerint, ſeu cauſæ, propter quas præſentes emanarint, adductæ, verificatæ, ſeu aliàs juſtificatæ non fuerint, aut alia quavis de cauſa de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas reſtitutionem in integrum, aperitionem oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu eo impetrato quemquam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra nullatenus poſſe, ſed eas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore.

Clauſula ſublata.

§.6. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.7. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra de jure quæſito non tollendo, ac quibuſvis aliis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, ſub quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, & conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpe-

ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 2. Junii 1636. An.XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die ſecunda Julii 1636. Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1636. die vero 13. menſis Septembris, tempore Pontif. SS. D. N. Urbani divina providentia Papæ Octavi anno ejus XIII. ſupradicta Bulla publicata fuit per Urbem in locis ſolitis, & conſuetis, per me Silverium Pontirorum SS. D. N. Papæ Curſ.

Jo: Bapt. Riccius Mag. Curſ.

DIX.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Facultas Collectori ſpoliorum Portugalliæ procedendi ad promulgationem cenſurarum contra violatores Immunitatis Eccleſiaſticæ in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum.

Ven. Fratri Alexandro Epiſcopo olim Neocaſtren. jurium, & ſpoliorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Facultas, de qua in Rubr. §.1. Licet vigore tuarum facultatum generalium, in quibus tibi tribuuntur illæ, quæ competunt Nunciis Apoſtolicis, potueris, & poſſis, ad monitionem, & declarationem, ac promulgationem cenſurarum, etiam in Literis in die Cœnæ Domini legi ſolitis, aliiſque Conſtitutionibus, & decretis Apoſtolicis, etiam conciliaribus contentarum procedere, ac quaſcumque cenſuras, & pœnas etiam pecuniarias infligere, & promulgare contra quoſcumque ejuſdem Regni Portugalliæ habitatores, & indigenas, & præſertim contra illos, qui immunitatem eccleſiaſticam violantes audent ſpoliare, vel turbare Eccleſias, & loca pia quæcumque in ſuis bonis etiam ſtabilibus, & juribus etiam in dote, ſeu augmento, & aliis per Chriſtifideles, etiam onere Miſſarum, Anniverſariorum, ſeu aliorum operum piorum donatis etiam inter vivos, ſeu relictis, vel aliis ab ipſis Eccleſiis, & locis piis hactenus poſſeſſis; nihilominus ad majorem cautelam, ac jura juribus, facultateſque facultatibus addendo, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tibi ad monitionem, & declarationem, ac promulgationem quarumcumque cenſurarum, etiam in Literis in die Cœnæ Domini legi ſolitis, aliiſque Conſtitutionibus, & Decretis Apoſtolicis, etiam conciliaribus contentarum procedendi, ac quaſcumque cenſuras, & pœnas etiam pecuniarias infligendi, & promulgandi contra quoſcumque Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum habitatores, & indigenas, ac quoſcumque quæcumque officia, & munia etiam temporalia obtinentes, & exercentes, cujuſcumque qualitatis, ſtatus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali expreſſione, & nota dignæ, & præſertim contra illos, qui, ut præfertur, immunitatem eccleſiaſticam violantes, audent ſpoliare, vel turbare Eccleſias, & loca pia quæcumque in ſuis bonis etiam ſtabilibus, & juribus per Eccleſias, & loca pia poſſeſſis, etiam in dote, ſeu augmento, & alias per Chriſtifideles, etiam cum onere Miſſarum, Anniverſariorum, ſeu aliorum piorum operum, ut ſupra donatis, vel relictis, necnon quos, quibus, ubi, & quando opus fuerit, etiam per edictum publicum conſtito de non tuto acceſſu, ac ſub præfatis, & aliis cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, etiam pecuniariis arbitrio tuo applican., ipſaſque cenſuras, & pœnas infligen., declaran., aggravan., reaggravan., & moderan., citandi, & inhibendi, omniaque alia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna, etiamſi talia ſint, vel fuerint, quæ magis ſpecialem, ſpecificam, & expreſſam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, necnon quæcumque per immunitatis eccleſiaſticæ violatores hujuſmodi in ejuſdem immunitatis eccleſiaſticæ præjudicium pro tempore quomodolibet attentata, & innovata, revocandi, caſſandi, irritandi, & annullandi, nulliuſque roboris, & momenti fuiſſe, & fore decernendi, & declarandi, plenam, liberam, amplam, & abſolutam facultatem, & auctoritatem, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impertimur.

§.2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis dictorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione Contrariorũ derogatio.

de

de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Julii 1636. An.XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii 1636, Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DX.

Ex Regest. in Secret. Brevi

Confirmatio Decretorum pro Reformatione Provinciæ Turoniæ Ordinis S. Francisci Reformatorum, seu Recollectorum in Francia.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causæ faciendæ reformationis in Provincia Turoniæ.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Cherubinus a Marcigniaco Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Professor, & Provinciæ Sancti Francisci ejusdem Ordinis Pater, quod cum pro restitutione Regularis observantiæ, & reformatione in Provincia Turoniæ dicti Ordinis introducenda, nonnulli articuli, sive decreta a dilecto filio Joanne Baptista a Campanea dicti Ordinis Ministro Generali sub die 24. Maii præsentis anni facta fuissent tenoris subsequentis, videlicet:

Decreta à Ministro Generali Ordinis pro hujusm. reformatione edita

§.2. Pro restitutione Regularis observantiæ, & Reformatione in Provincia Turoniæ introducenda efficaciter, necnon secure promovenda, destinetur in primis a Reverendissimo Patre Ministro Generali pius, probus, & prudens Commissarius ex Provinciis Reformatis, eidem Reformationi ex corde addictissimus, qui plenaria ejusdem Reverendissimi Patris auctoritate fultus, a Sanctissimo Domino nostro ad certiorem intentæ Reformationis exequutionem, & promotionem confirmandus, singulos dictæ Provinciæ Conventus pedester visitet, abusus tollat, depravatos mores evellat, & quæcumque proprietatem aliquam, sive in communi, sive in particulari, seu Regulæ transgressionem redolere videbuntur, juxta Declarationes DD. Nicolai III., & Clementis V. procul exterminet, purum Seraphici nostri Instituti cultum, sine ulla dispensatione stabiliat, atque in Capitulo proxime celebrando, pro Reformatione amplexanda, hæc sequentia instituat.

Primo, quod dictus Commissarius, tempore suæ visitationis, Fratres dictæ Provinciæ ad Reformationem sectandam moneat, alliciat, & exhortetur; eorum vero, qui reformationi sectandæ se dederint, nomina diligenter sumat, & juxta peculiare statutum, ad postulationem, & in favorem novem Provinciarum de familia, Nationis Gallorum in Capitulo Romano anno 1625. editum a dicto Domino Nostro confirmatum, & rursus in ultimo Generali Capitulo Toletano renovatum, & ut supra confirmatum anno 1633. tres, aut quatuor Conventus Recollectionis deputet, prout dictæ Recollectioni, seu Reformationi commodiores, & aptiores judicaverit, ad quos dictos Fratres Reformationi addictos de familia transferre, & in iisdem collocare curet.

Ex iisdem Fratribus tres, aut quatuor inter cæteros pietate, & religione conspicui assumantur, & dictorum Conventuum Reformatorum Guardiani instituantur. Nec ullus deinceps in Conventibus Reformatis superior esse possit, qui in aliquo ex ipsis per biennium saltem communem vitam reformatam non duxerit, & ducere potuit, præhabito in scriptis Patrum Guardianorum antecessorum simul, & Discretorum Reformatorum Conventuum probato testimonio.

In Conventibus autem ad Reformationem destinatis, Reformati Novitios recipiant, & ipsos in eisdem ad strictioris, & purioris observantiæ nostræ præscriptum, sedulo instruant, & informent.

Et ne extra dictos Conventus Reformationis, studiorum causa, Fratribus Reformatis egressus artium, & Sacræ Theologiæ studia in eisdem Conventibus designentur;

Quod Fratres non Reformati ad reformationem transire volentes a Patre Ministro Provinciali licentiam petant, qui nullis petentibus illam deneget, sub pœna privationis sui officii ipso facto incurrenda, nisi qui eam postulaverint, Guardiano, & Discretis Conventuum Reformatorum inhabiles ad reformationem videantur, aut judicii, vel pœnarum sibi injunctarum subterfugiendarum causa Reformationem prætendant, juxta Decretum Sacræ Congregationis Romæ 14. Junii anni 1628.

Quod Professi in familia, ad dictos Reformatos transeuntes, habeant annum continuum a die sui ingressus in Reformationem ad deliberandum, an manere in hac strictiori observantia voluerint. Post annum autem completum prædicti Professi extra Reformatos habeantur ut Professi in Reformatione, nec ipsi, sicut nec Professi in Reformatione, ab eadem, Reformatorumque ipsorum obedientia, quocumque prætextu, aut colore quæsito recedere posse, aut ab ullo Superiore dictæ Provinciæ sub dicta pœna privationis suorum officiorum ipso facto pariter incurrenda, educi, & ad Conventus de familia transferri valeant.

Quod per Visitatores, aut Commissarios dictæ Provinciæ, in quolibet Capitulo Provinciali, aut Congregatione capitulari cre-

crescente numero Reformatorum statim ubi duodecim, aut sexdecim fratres de novo reformationem amplexati fuerint, unum, aut alterum Conventum dictæ Reformationi commodum, prædictis quantum fieri poterit contiguum, juxta dictorum Reformatorum numerum non plures assignare, & dare teneantur Minister, & Definitores dictæ Provinciæ sub dictis pœnis.

Quod insuper juxta Statuta generalia, & Decretum dicti DD. N. anni 1625. unus ex Definitoribus dictæ Provinciæ eligatur, & assumatur ex Reformatis, qui rerum omnium ad dictam Reformationem spectantium curam accuratam habeat.

Ac tandem, quod in modo vestiendi, mendicandi, ac vivendi cæteris Galliæ Recollectis omnino dicti Reformati conformes existant; Nec ullis dictæ Provinciæ statutis teneantur, nisi in quantum generalibus Constitutionibus Ordinis, & maxime pro strictiori observantia factis conformia reperiantur.

Datum Florentiæ in Conventu nostro Omnium Sanctorum die 24. Maii 1636.

Fr. Jo: Baptista a Campanea Minister Generalis.

Fr. a Marcigniaco deputatur Visitator Provinciæ ejusdem.

§.3. Idem Joannes Baptista Minister Generalis Te dictæ Provinciæ Turoniæ Commissarium Visitatorem constituit, & deputavit, cum nonnullis tunc expressis facultatibus, prout plenius continetur in Patentibus ejus Literis desuper expeditis tenoris pariter subsequentis, videlicet: Fr. Joannes Baptista a Campanea strictioris observantiæ totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, & servus, dilecto Nobis in Christo Patri Fratri Cherubino a Marcigniaco ejusdem Ordinis, & Instituti, nostræ vero Provinciæ Sancti Francisci, Patri salutem in Domino sempiternam.

Monet Nos nostri muneris ratio, ut gravioribus obeundis negotiis eos Ordinis nostri deputemus, & destinemus alumnos, quos vita commendabiliores, pietati addictiores, & intentæ Reformationi propensiores esse noverimus. Cum igitur tempus advenerit, quo Provinciæ nostræ Turoniæ Capitulum celebrandum occurrit, ne id absque prævia visitatione præstetur, juxta laudabilem, & antiquam Patrum nostrorum consuetudinem memoratæ Provinciæ nostræ visitationi ineundæ, & absolvendæ discretum, probum, & prudentem deputandum duximus virum. Unde de tuæ vitæ probitate, morum gravitate, doctrinæ idoneitate, prudentia, regularis observantiæ zelo, rerumque agendarum dexteritate plurimum in Domino confisi, præsentium exemplo, atque vigore Te dictæ Provinciæ Turoniæ Commissarium Visitatorem nominamus, instituimus, & deputamus, plenariam tibi concedentes in hac parte auctoritatem nostram, qua ad Apostolicarum, & Generalium nostri Ordinis Constitutionum, necnon privatarum nostrarum instructionum præscriptum, Conventus, & Monasteria, Fratres, & Moniales tam in capite, quam in membris visitare, processus conficere, carceribus mancipare, sententiare, monere, corrigere, punire, absolvere, depravatos mores evellere, virtutes inducere, & cætera omnia præstare possis, & valeas, quæ purioris Instituti Seraphici cultum, strictiorisque observantiæ nostræ conservationem concernunt; Ac denique qua possis, prædicta visitatione absoluta, & cæteris omnibus, ut moris est, expletis Capitulum celebrare, Ministrum Provincialem, Definitores, & Guardianos, cæterosque officiales canonice electos confirmare. Verum, ut facilius, opportunius, exactius, & commodius injunctum tibi munus absolvere queas; præcipimus omnibus, & singulis ejusdem Provinciæ Fratribus, & Monialibus, Superioribus, & subditis, in virtute sanctæ obedientiæ, & subpœna privationis propriorum officiorum, necnon excommunicationis latæ sententiæ, quatenus te velut Commissarium nostrum, ut supra institutum, recipere, recognoscere, & revereri velint, & debeant, tibi in omnibus, quæ nec animæ suæ, nec regulæ nostræ contrariæ sint, prompte, & hilariter obtemperaturi, monentes te demum, & in Domino exortantes, ut in ejusmodi muneris exequutione nihil aliud penitus, nisi Dei gloriam, veritatem, justitiam, Fratrum nostrorum pacem, nostræque tandem Seraphicæ Religionis decorem præ oculis habeas. Vale. Deumque pro Nobis exora.

Datum Florentiæ in nostro Conventu Omnium Sanctorum sexto Kalend. Junii anno 1636.

Fr. Joannes Baptista a Campanea Minister Generalis: & infra. De mandato Suæ Reverendissimæ Paternitatis Fr. Franciscus Guerra Secretarius Generalis.

Locus ✠ Sigilli totius dicti Ordinis.

Quæ omnia petit confirmari.

§.4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissa dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario nostro secundum carnem ex Fratre germano nepoti, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori necessaria visa fuerint, dictusque Cherubinus illa omnia pro majori illorum firmitate, apostolicæ confirmationis robore communiri plurimum desideret;

Urbanus confirmat.

§.5. Nos dictum Cherubinum de Religionis zelo, aliisque laudabilibus virtutibus suis apud Nos fide dignorum testimonio plurimum commendatum horum intuitu specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomi-

nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati articulos, sive Decreta hujusmodi, necnon Constitutionem, & deputationem de persona dicti Cherubini in Commissarium Visitatorem dictæ Provinciæ Turoniæ, ut præfertur, facta, & factas, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Necnon articulos, & Decreta, ac Constitutionem, & deputationem de persona dicti Cherubini, ut præfertur, facta, & factas suum plenarium, & integrum sortiri debere effectum, etiamsi Capitulum dictæ Provinciæ celebratum fuerit, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Eidemque Cherubino aliqua mandata dat.

§.6. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ eidem Cherubino ad præfata, ut præfertur, destinato, ut convocet Patres dictæ Provinciæ Turoniæ, & Definitores, ac per annum a sua receptione, & admissione, in dicta Provincia computandum maneat visitando Conventus ejusdem Provinciæ, ac cætera omnia, prout in dictis Literis, ac Articulis, seu Decretis ordinata continentur, exequendo, ac volentes, ut tam Minister, quam singuli Fratres dictæ Provinciæ subditi in omnibus præfatis eidem Cherubino obediant.

Obstantia tollit.

§.7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ præfatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Julii 1636. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DXI.

Ex Regest. in secret. Brev.

Facultates Collegii Doctorum Civitatis Urbini super cognitione causarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio Incolarum Civitatis Urbinaten., necnon Collegii Doctorum.

§.1. CUM, sicut pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis nostræ Urbinaten., necnon Collegialium Collegii Doctorum ejusdem Civitatis, Nobis nuper expositum fuit, Collegium prædictum, in quo admittuntur omnes ii, qui ex patre cive nati ad Doctoratus gradum Urbini promoventur, prætextu Literarum fel. rec. Julii II. super erectione dicti Collegii, & Pii V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum super confirmatione certæ concordiæ inter eosdem Doctores, & tunc existentem Archiepiscopum Urbinaten. super causarum cognitione in prima, secunda, & tertia instantiis initæ emanatarum, facultatem judicandi in causis appellationum, tam in foro seculari, quam ecclesiastico Status, ac Ducatus Urbini, aliarumque Civitatum, Terrarum, & Locorum per obitum quondam Francisci Mariæ ultimi Ducis Urbini ad Sedem Apostolicam devolutorum, & nostro incorporationis Decreto comprehensorum, sibi competere prætendant.

Tredecim ejusdem Civitatis Doctores, qui causas appellationū cognoscant, eliguntur.

§.2. Nos ejusdem Civitatis Communitatem, & homines, necnon Doctores prædictos ub præcipuum, quo illos amplectimur paternæ charitatis affectum, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne dubitari contingat, an dicta privilegia Julii II., & Pii V. adhuc durent, vel expiraverint per mortem dicti ultimi Ducis, tredecim ejusdem Collegii Doctoribus, ut infra eligendis, & pro tempore existentibus facultatem de cætero judicandi in causis appellationum Status præfati, aliarumque Civitatum, Terrarum, & Locorum supranarratorum tam in foro seculari, quam ecclesiastico, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, & impertimur: ita tamen, quod ex dicto Collegio dicti tredecim votantes, & quatuor, vel quinque supranumerarii, si opus fuerit, eligantur, qui eorumdem votantium, si abfuerint, vel si suspecti allegati fuerint, vices in judicando supplere valeant; sed existente necessario votantium numero, ut infra dicetur, a dando, vel ferendo voto se abstinere debeant, nec judicare possint.

Horum Doctorum nominatio pro prima vice Francisco Cardin. Barberino cōceditur.

§.3. Porro tam vacantium, quam supranumerariorum electio pro prima vice dilecto filio nostro Francisco Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, & in Statu, ac Ducatu Urbini, & præfatis aliis Terris, & locis hujusmodi nostro, & Apostolicæ Sedis de latere Legato reservata sit, & censeatur. De cætero autem deficiente aliquo ex supradictis tres a prædicto Collegio Doctores nominabuntur, quorum unus ab ipso Francisco Cardinali moderno, seu pro tempore existente Legato, vel ab hac Sede eligetur.

Ac deinde a Collegio eligendi erunt.

Ex quibus tresdecim votantibus quinque debeant esse Ecclesiastici;

§.4. Inter hos tredecim Doctores votantes quinque ad minus erunt ecclesiastici non uxorati, sed incedentes in habitu, & tonsura clericalibus, ad quos solos dumtaxat causarum ecclesiasticarum cognitio perti-

Ad quos solos ecclesiasticarũ causarum cognitio pertineat.

pertinebit, in quibus laici se alias ingerere non valeant, nec possint, quam in dando eorum voto consultivo. In causis vero laicalibus ipsi votum dabunt, & ferent promiscue eum laicis, & eas prout juris erit terminabunt, non tamen votis secretis, sicut in præfatis Julii II. Prædecessoris nostri Literis concessum fuit, sed votis apertis, & in jure fundatis, & sententiæ ad minus in causis ecclesiasticis a Judice, sive Ponente subscribentur non obstante stylo in contrarium faciente.

Pro causarum appellationũ cognitione nonnulla statuuntur.

§.5. Habebit Collegium mediante distinctione prædictam auctoritatem cognoscendi causas appellationum tam ecclesiasticas, quam laicales omnium, & quorumcumque Judicum Legationis supradictæ, exceptis tamen Beneficialibus, & iis, quæ juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini, vel alias de jure sunt inappellabiles, in secundis, seu tertiis instantiis, & in omnibus illis, in quibus dabitur appellatio, postquam judicatæ fuerint a Judicibus ordinariis appellationum, ubi dicti Judices appellationum existunt, quibus nullum censeatur illatum præjudicium. Verum in causis ecclesiasticis pro earum definitione ad minus tres Judices, & in laicis ad minus quinque interveniant: & in illorum defectu, ut præfertur, supplebunt supranumerarii, & etiam in horum defectu poterunt subrogari alii Judices ad electionem, & de consensu partium, dummodo in causis ecclesiasticis pro earum definitione semper sint Judices ecclesiastici. In causis appellationum spectantibus, ut supradictum est, ad Collegium tam ecclesiasticis, quam laicalibus appellari non possit omisso medio: & si appellari contigerit, in iis nullus Judex se ingerere debeat, nisi in vim commissionis expressæ manu nostra signatæ, aliàs licitum sit eidem Collegio ad ulteriora procedere, non obstante quacumque inhibitione, & absque alicujus pœnæ incursu, ipsumque Collegium reassumere inhiberi, & exequi possit, prout juris erit. Ubi vero Collegiũ judicaverit in casu, quo dari debeat appellatio, ejus cognitio, seu commissio ad Vice-Legatum spectabit.

Facultas Collegio sua condendi Statuta.

§.6. Præterea eidem Collegio Statuta super modo cognuscendi causas, & pro felici ipsius gubernio necessaria, & opportuna condendi, illaque toties, & quoties sibi videbitur, & placuerit, alterandi, immutandi, & innovandi, salva tamen semper approbatione dicti Legati, sive ejus Vice-Legati, facultatem concedimus, & impertimur, necnon doctorandi, & alia privilegia eidem Collegio competentia, dummodo sint in usu, nec sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, Sacrisque Canonibus,& Conc. Trid. Decretis, Constitutionibusque Apostolici non adversentur, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

'A Legato approbanda.

Necnon etiã Lauream concedendi.

Clausulæ.

§.7. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictoque Collegio in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.8. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 8. Julii 1636. An.XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die octava Julii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DXII.

Jubilæum universale ad divinam opem implorandam.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem.

Prooemium.

APostolatus Nobis desuper creditum ministerium Nos impulit alìàs, ut diremptis inter catholicos Principes dissidiis, animos illorum conciliare satageremus, pro comperto habentes, hinc populorum tranquillitatem oriri, qua magis sarta, ac tecta religio catholica conservatur.

Ea refert, quæ pro concilianda inter Principes pace gesserat.

§.1. Nostris igitur hortationibus, & monitis per Nuncios ordinarios, & extraordinarios charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum, atque utrumque Regem ad opportunam aliquam rationem ineundam inducere curavimus, qua pax inter ipsos, & publica quies coalesceret, nullum officii genus prætermittentes, omnemque operam, & conatum, qui paternæ nostræ charitati erga catholicos Principes retinendę congruens, & propterea tam proficuo operi facilius perficiendo magis conducere visus sit, indesinenter adhibentes, ut voti compotes efficeremur. Tandem propitio Dei numine res eo pervenit, ut dilectum filium nostrum Martium Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconum Cardinalem Ginettum nuncupatum nostrum in Alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, ad præfatos

tos Ferdinandum in Imperatorem electum, ac Reges, & Respublicas, aliosque Principes majoris potentiæ, nostrum, & Apostolicæ Sedis de latere Legatum esse mittendum decrevimus, qui ad suum jam munus obeundum, mandatorum nostrorum idoneo commeatu munitus, se commisit itineri.

His publicas preces adjungendas esse putat.

§. 2. Quoniam vero sperare possumus fore, ut consilia, actionesque humanæ quantumvis piæ providæque susceptæ eum, ad quem diriguntur scopum securius attingant, si illas dextera Domini faciens virtutem auxilii sui vi provehat, ac tueatur; Idcirco, ut immensa Dei Omnipotentis bonitas humilitatis nostræ pia studia, & vigilias, necnon legationem ipsam felici secundet exitu, & quam mundus dare non potest, optatam populo suo supplicanti pacem benigne largiatur; ad communes quoque totius populi christiani preces recurrendum censuimus, ut saluberrimis pœnitentiæ, charitatisque operibus orationes sociatæ, ad conspectum divinæ majestatis ascendentes, cœlestium miserationum, & cupitæ pacis dona Nobis efficaciter impetrent.

Jubilaeum indicit.

§. 3. Hoc autem, ut fructuosius, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium Matris, & Magistræ more, in præsentibus necessitatibus ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre, & largissime erogare decrevimus. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles, tam in Alma Urbe nostra, quam alibi, ubicumque locorum constitutos, apostolica auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus, & in Domino hortamur ad infrascripta devote peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem catholicam protegere, & ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus christianis pacem, & veram concordiam donare, ac præcipue præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur.

Indulgentiam quæ hic præscribuntur peragentibus, concedit.

§. 4. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis, & singulis Christifidelibus in Alma Urbe prædicta degentibus, qui solemni Processioni, quam ab Ecclesia Beatæ Mariæ Angelorum nuncupata Chartusien. Ordinis, ad Basilicam ejusdem Beatæ Mariæ Majoris etiam nuncupatam de Urbe feria quarta sequentis hebdomadæ, quæ erit decimasexta præsentis mensis Julii, una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Christianorumque Regum, & Principum apud Nos, & Apostolicam Sedem Oratoribus, omnibusque Prælatis, & Proceribus, ac universo Clero, & Populo agemus, interfuerint, vel qui in eadem, seu immediate sequenti hebdomada Basilicam, & Ecclesias prædictas saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra Deum oraverint, necnon feria quarta, & sexta, ac Sabbatho ejusdem, vel sequentis hebdomadæ jejunaverint, atque peccata sua confessi sequenti saltem die dominico Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter sumpserint, & eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit fecerint; cæteris vero omnibus, & singulis fidelibus extra Urbem existentibus, in quibusvis Civitatibus, Terris, & Locis, qui Processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, vel de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui inibi curam animarum exercent, prima, vel secunda hebdomada, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ Literæ devenerint, indicendæ, & agendæ interfuerint, vel Ecclesiam, seu Ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feria quarta, sexta, & Sabbatho alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, & eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Impediti quo pacto supplere possint, declarat.

§. 5. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad sua se domicilia receperint, suprascriptis peractis, & loco interventus in processione, visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majore, aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut in captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet jejunium, eleemosynam, Ecclesiæque, seu Ecclesiarum visitationem, ac interventum in Processione, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facultates Confessariis elargitur.

§. 6. Cupientes autem omnes Christifideles participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis, & singulis utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secu-

larem, quam cujusvis Ordinis regularem ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis,& aliis per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum, non tamen a crimine hæresis, absolvere, & liberare valeant; Et insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Jubilæum ubique locorum indicendum statuit.

§.7. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis,qui curam animarum exercent,ut cum præsentium Literarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, ac Clericis, & Populis sibi subjectis solemnes processiones, & supplicationes, ut præfertur, indicant, & celebrent, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis Jubilæi satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariis tollit.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, nec non etiam similes, vel dissimiles Jubilæi Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel aliqua alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter express.s, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.9. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubicumque locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11 Julii 1636. Pontificatus nostri Anno XIII.

Dat. die 11. Julii 1636. An.XIII.

DXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis de Propaganda Fide, quo declaratur Collegium Hybernorum Lillæ in Belgio non esse commune omnibus Regni Hyberniæ Provinciis, sed pro solis duabus Provinciis, Lagenia scilicet, & media erectum fuisse.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Decretum Congr. de Propaganda Fide.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Collegialium Collegii Hybernorum Oppidi Insulen. Tornacen. Diœcesis Nobis expositum fuit, quod a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negocio Propagandæ Fidei præpositis emanavit Decretum tenoris subsequentis videlicet: Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 4. Martii 1636. Referente Eminentissimo Domino Cardinale Antonio Barberino instantiam Hybernorum,ut Collegium Lillæ in Belgio erectum mediante Fratre Francisco Cappuccino declararetur, esse commune omnibus Regni Hyberniæ Provinciis. Sacra Congregatio visa visitatione

tione dicti Collegii, in qua dicitur Collegium prædictum fuisse erectum pro solis duabus Provinciis Lagenia scilicet, & media, instantiam prædictam, utpote contra fundationem rejecit. Franc. Ingolus Sec.

Apostolica petitur confirmatio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Collegiales Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & validitate, apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent;

Urbanus confirmat.

§.3. Nos illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes illud, necnon præsentes Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 20. Julii 1636. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Julii 1636. Pont. nostri Anno XIII.

DXIV.

Quod Officium Sanctæ Theresiæ Virginis recitari possit juxta Lectiones a Sacra Rituum Congregatione approbatas.

Hujus Sanctæ Canonizationem vide in Constitut. LII. Gregor. XV. Omnipotens sermo. *Tom. V. Par. V. fol. 17. Confirmatio vero præfinitionis factæ circa habitum inter Fratres Discalceatos S. Theresiæ, & Fratres primi instituti de Monte Carmelo legitur in Constit. CDLXXVI. hujus Pontificis* Inter cæteras. *ut supr. fol. 22.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Paul. V. Officium de Beata Theresia

§.1. Alias à fel. rec. Paulo Papa V. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. In supremo apostolatus solio meritis licet insufficientibus divina dispensatione constituti, ad ea, per quæ Servorum, & Ancillarum Christi honos, & veneratio in terris promoventur, juxta creditum Nobis desuper apostolicæ servitutis officium libenter intendimus, & Christifidelium præsertim Catholicorum Regum id exoptantium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem nomine dilectorum filiorum omnium Religiosorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Nobis exposito, quod bon. mem. Theresia a Jesu dicti Ordin. Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Fundatrix, tam multis, & eximiis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis a Domino illustrata fuerat, ut magna idcirco erga ejus nomen, & memoriam Christifidelium devotio vigeret: & propterea non solum universus Ordo prædictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, ac omnium fere Hispaniarum Regnorum Archiepiscopi, Episcopi, Principes, necnon Communitates, Universitates, & homines Nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerant, ut donec Canonizationis honor ab Apostolica Sede dictæ Theresiæ haberetur, sacrosanctum Missæ Sacrificium, & Officium ab omnibus, & singulis dicti Ordinis utriusque sexus Religiosis personis de dicta Theresia, tamquam de una Beata Virgine agi, & recitari respective posset. Nos re prius per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præfectos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussa, de eorumdem Cardinalium consilio hujusmodi supplicationibus inclinati, ut singulis annis in die depositionis dictæ Beatæ Theresiæ, videlicet die 5. mensis Octobris, in omnibus Monasteriis, & Ecclesiis dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum ab omnibus ejusdem Ordinis Religiosis utriusque sexus Officium, & Missa de Beata Theresia prædicta, tanquam de una Virgine, necnon in Oppido Alvæ Salmantinæ Diœcesis in Monasterio, & Ecclesia, in qua corpus dictæ Beatæ Theresiæ asservari asseritur, ab omnibus Presbyteris, tam secularibus, quam regularibus, cujuscumque Ordinis, in dicta die 5. Octobris tantum Missa in honorem ejusdem Beatæ Theresiæ pro eorum devotione, juxta regulas Breviarii, & Missalis Romani recitari, & celebrari respective posset, concessimus, & indulsimus. Et subinde de simili eorumdem Fratrum consilio, ut ex tunc in futurum in omnibus Ecclesiis quarumcumque Civitatum, & Diœcesum Regni Castellæ veteris tantum Missa, & Officium de eadem Beata Theresia in die ejus depositionis prædicta dumtaxat, juxta rubricas Breviarii Romani, à quibuscumque

nonnullis in locis recitari posse concessit.

que

que utriusque sexus personis ecclesiasticis, servata alias in omnibus, & per omnia nostrarum super prioris gratiæ concessione expeditarum literarum forma, & tenore, celebrari, & recitari respective libere posset, & valeret, concessimus,& indulsimus, aliasque prout in diversis nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut nomine dictorum Religiosorum Nobis nuper iterum expositum fuit, tam Philippus Rex, quam etiam Ordo prædicti, attenta universali devotione erga dictam Beatam Theresiam omnium populorum non solum Regni Castellæ veteris, sed etiam omnium aliorum Regnorum Hispaniarum, necnon Portugalliæ, & Algarbiorum, concessionem, & indultum prædicta ad universa Hispaniarum, necnon Portugalliæ, & Algarbiorum Regna per Nos apostolica auctoritate extendi summopere desiderent: Nos supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus Hispaniarum, ac etiam Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis dicta die 5. mensis Octobris ab omnibus utriusque sexus personis ecclesiasticis, secularibus, & regularibus Officium, & à quibuscumque Presbyteris, tam secularibus, quam cujusvis Ordinis regularibus, etiam Missa de eadem Beata Theresia, servata alias in omnibus, & per omnia literarum prædictarum forma, & tenore, celebrari, & recitari libere, & licite possit, & valeat, apostolica authoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Augusti 1617. Pontificatus nostri anno decimotertio.

Nova petitio Carmelitarū. §.2. Cum autem, sicut pro parte Religiosorum dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Nobis nuper expositum fuit, approbatis per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præpositos tribus lectionibus, duobus hymnis, & oratione pro festo Sanctæ Theresiæ prædictæ, aliqui ex iis, qui prædictam habent facultatem, dubitaverint, an dictas lectiones, hymnos, & orationem recitare possint, & propterea eisdem Cardinalibus pro parte dictorum Religiosorum supplicato pro habenda desuper opportuna declaratione, iidem Cardinales responderint, tuto posse tam a secularibus, quam a regularibus, qui recitant Officium Sanctæ Theresiæ in die ejus festo recitari cum lectionibus, hymnis, & oratione propriis approbatis ab eisdem Cardinalibus pro Religione Carmelitarum, prout in Decreto desuper sub die 18. Augusti 1629. emanato plenius dicitur contineri.

Concessio, de qua in Rubr. §.3. Nobis propterea Religiosi prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut pro firmiori d. Decreti validitate, & subsistentia illud apostolicæ confirmationis robore communire de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis dd. Religiosorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, dictisque Religiosis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obstantibus omnibus illis, quæ dictus Paulus Prædecessor in Literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpti danda fides. §.6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Julii 1636. An.XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Julii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Car-

DXV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Cardinali ab Auria committitur publicatio Brevis in Sicilia, quo Regi conceditur Decima ab Ecclesiasticis persolvenda.

Breve cujus hic fit mentio, vide supra in Constitut. CDLXXV. fol. 20.

Dilecto filio nostro Joannettino tituli S. Petri in Monte Aureo Presbytero Cardinali ab Auria nuncupato Ecclesiæ Panormitan. ex concessione, & dispensatione apostolica Præsuli.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Recensetur Breve citatum in Rubrica. §. 1. Aliàs a Nobis emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus &c.

Card. ab Auria, ut Decretum hujusmodi in Sicilia Regno publicari faciat, mandat. §. 2. Quare cupientes, præinsertas Literas nostras hujusmodi, etiam quoad Regnum Siciliæ ultra Pharum, exequutioni demandari, circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut præinsertas Literas nostras prædictas, omniaque, & singula in eis contenta, respectu Regni Siciliæ ultra Pharum hujusmodi dumtaxat publicans, ad omnimodam illarum exequutionē eum omnibus, & singulis facultatibus in eis contentis, & servata in omnibus, & per omnia illarum forma, auctoritate nostra devenias.

Cum facultate ad censuras etiā procedendi. §. 3. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus omnibus illis, quę in præinsertis Literis hujusmodi voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Julii 1636. An. XIII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimaoctava Julii 1636. Pontificatus nostri Anno XIII.

DXVI.

Erectio Montis Communitatum Status Ecclesiastici Tertiæ Erectionis nuncupati.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Motu proprio, &c.

Recensert similes erectiones a Clemente VIII. & Paulo V. factas. Licet aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, ut Communitates, & Universitates Status Ecclesiastici ab ære alieno per eas diversimode contracto, gravioribus interusuriis sublevaret, Montem non vacabilem Communitatum Status Ecclesiastici nuncupatum ad rationem scutorum quinque, & juliorum duorum monetæ pro quolibet centenario, & anno, in quo postea dictæ Communitates, & Universitates dicti Status pro censibus extinguendis, aliisque earum necessitatibus reparandis admissæ fuerunt, erexerit, & instituerit; deindeque similis memoriæ Paulus Quintus etiam Prædecessor noster pro servitio, & commodo earumdem Communitatum alium Montem non vacabilem Communitatum, & Universitatum Status Ecclesiastici Secundæ Erectionis nuncupatum, ad rationem scutorum quatuor cum dimidio ejusdem monetæ pro quolibet centenario, & anno erexerit pariter, & instituerit, in quo etiam Communitates prædictæ pro diversis summis pro earum necessitatibus participarunt.

Causasque novi Montis erigendi. §. 1. Nos nihilominus, quia, sicut accepimus, nonnullæ Communitates dicti nostri Status adhuc non solum remanent debitrices pro diversis summis in primodicto Monte Communitatum, & aliis Montibus Cameralibus, verum etiam diversis aliis debitis, pro quibus majora interusuria sustinent, gravatæ reperiuntur, eisdem Communitatibus, & Universitatibus, quantum possumus, prodesse cupientes, alium Montem non vacabilem Communitatum, & Universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici Tertiæ Erectionis nuncupandum ad eamdem rationem scutorum quatuor cum dimidio monetæ pro quolibet centenario, & anno, ex quo omnes Communitates dicti nostri Status non solum pro extinctione censuum, sed etiam dictorum locorum Montis Communitatum, & aliorum locorum Montium, & debitorum, pro quibus majora interusuria solvunt, pro eorum extinctione, & redemptione, ac pro aliis pro tempore occurrentibus necessitatibus pecunias in promptu habere valeant, erigere, & instituere deliberamus.

Erigit Montem Communitatum. §. 2. Motu igitur simili, ac ex certa scientia, & deliberatione nostris, deque apostolicæ Nobis attributæ potestatis plenitudine, Montem non vacabilem Communitatum, ac Universitatum Status nostri Ecclesiastici Tertiæ Erectionis nuncupandum pretio scutorum centum monetæ pro quolibet loco redimibilem pro beneficio, & commodo omnium Communitatum, & Universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici locorum quatuor millium, & pro ea summa, & quantitate locorum, quę pro censibus, locis Montium, & ære cujusvis generis alieno, legitime tamen, & debitis cautelis, & solemnitatibus contracto, pro quibus majus interesse scutorum quatuor cum dimidio pro singulo centenario, & anno quolibet persolvitur, redimendis, & penitus extinguendis sufficiens fuerit, & cujus singulorum locorum pretia scuta centum monetæ, fructus autem annui, quos illius creditoribus pro rata pecuniarum in eo expositarum singulis annis de bimestri in bimestre in fine proportionabiliter libere, & sine aliquo impedimento hic Romæ solvi volumus, annua scuta

scuta quatuor cum dimidio pro quolibet loco non excedant, & cum amplissimis privilegiis, facultatibus, libertatibus, indultis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, prærogativis, assignationibus, cautelis, modoque, & forma infra latius dicendis, & exprimendis, sine tamen omnium, & quorumcumque jurium Cameræ nostræ Apostolicæ aliquo præjudicio, & citra ejusdem Cameræ, suorumque bonorum aliquam obligationem, tenore præsentium creamus, erigimus, & instituimus. In quo quidem Monte sic a Nobis erecto, & instituto volumus, & nostra auctoritate decernimus, & ordinamus, omnes, & singulas Communitates, & Universitates dicti Status nostri Ecclesiastici pro ea rata, & summa, & quantitate censuum, ac locorum Montium, & quorumcumque debitorum, pro quibus dictis scutis quatuor cum dimidio pro quolibet centenario, & anno majus interesse, ut supra persolvitur, ad effectum æs alienum prædictum extinguendi, etiamsi super eorumdem censuum, locorum Montium, & debitorum solutione, & extinctione cum Mercatoribus, aut quibusvis aliis personis aliter pacta fuerint, seu quomodolibet contraxerint, & pro aliis eorum occurrentibus indigentiis de nostra, successorumque nostrorum Romanorum Pontificum licentia, & mandato, & non aliis participare, & contribuere, fructusque ad rationem prædictam, modo, & forma, ac in terminis infra dicendis persolvere omnino posse, & debere.

Conditiones nonnullas præscribit.

§. 3. Et insuper ad tollendas difficultates, quæ in his possent suboriri, & tam Communitatum, quam Montistarum indemnitati, ac potiori securitati consulendum: Volumus pariter, & ordinamus, quod censuum prædictorum creditores, prævia disdicta, & intimatione per duos menses antea, juxta Bullam fel. rec. Pii V. Prædecessoris nostri super forma creandi census, ac ipsorum censuum instrumentorum, formam, & dispositionem facienda, sortes principales dictorum censuum, una cum fructibus ex tunc decursis, & non solutis recipere, ac de illis quietantiam facere, & eorum jura, & actiones quęcumque translative, & non extinctive, ac talia qualia habent contra easdem Communitates, & Universitates, & quoscumque alios eis quomodolibet occasione dictorum censusi obligatos, ad favorem dicti Montis, illiusque emptoris, & emptorum, & futurorum creditorum, ac Montistarum ad majorem eorum cautelam cedere teneantur. Alioquin si statuto termino notificationis, & intimationis prædictæ, ut præfertur, faciendæ pecunias supradictas recipere recusaverint, aut alias quomodolibet distulerint, seu neglexerint, tunc pecuniæ prædictæ a die lapsi termini in depositum stare intelligantur, & stent eorumdem Creditorum risico, periculo, fortuna, sumptibus, & expensis, fructusque ulterius non currant, & quietantiæ, & cessiones prædictæ habeantur pro factis, dictaque jura, & actiones, ut supra, cessa, & translata esse censeantur: & nihilominus quandocumque postea illa receperint, quietantias, & cessiones prædictas ad majorem cautelam, ut supra, facere teneantur: ita tamen, quod jura prędicta pro Cedularum Bancariarum, seu fidejussorum renovatione, vel præstatione, ad quam, seu quas Communitates, seu Universitates prædictæ se obligarunt, minusque pro fructibus ultra rationem prædictam pro quolibet centenario, & anno exigendis ullatenus experiri, aut aliis exercere non possint. Cęterum, ut etiam Mons sic a Nobis, ut præmittitur, erectus, & institutus suas habeat debitas cautelas, & assignationes, & illius creditoribus, & Montistis in fine cujuslibet bimestris debito tempore hic Romæ fructuũ solutio fiat, volumus, atque statuimus, quod Communitates, & Universitates prędictæ ratam partem fructuum unamquamque ipsarum tangentem pro illis locis, & portionibus, pro quibus ratione, & causa censuum, locorum Montium, & debitorum prædictorum in eodem Monte erunt participes factæ, ut supra contribuant integram, sine, ulla diminutione, & ab omnibus, & singulis oneribus, impositionibus, contributionibus, collationibus, tributis, subsidiis, & collectis ex quavis causa, etiam urgenti, & urgentissima, etiam Sedis, & Cameræ Apostolicæ, aut etiam Communitatum, & Universitatum prædictarum necessitate etiam publica, & pro fide ortodoxa tuenda, & quavis alia quantumvis necessaria, cogitata, & incogitata causa hactenus etiam per quosvis Prædecessores nostros Rom. Pont. & Nos impositis, & per Nus, seu Successores nostros forsitan imponendis quibuscumque liberam, immunem, & exemptam, una cum portu ad hanc Almam Urbem quotannis in perpetuum durante hujusmodi Monte, & proportionabiliter pro rata, videlicet de quadrimestri in quadrimestre anticipatis solutionibus in manibus, seu Banco Depositarii hujus Montis, vel Thesaurarii illius Provinciæ, cui unaquæque Communitas, & Universitas subjecta est, vel erit. Qui quidem Provinciæ Thesaurarius, & Thesaurarii, volumus, atque decernimus, quod ad instar onerum Cameralium facultatem habeant exigendi dictos fructus, quodque illos de bimestri in bimestre in fine cujuslibet bimestris proportionabiliter, & pro rata libere, & integre, sive exegerint, sive nnn, persolvere teneantur Depositario hujus Montis in Urbe, ut infra constituendo modis, formis, obligationibus, & cautelis in solutionibus onerum Cameralium ipsi Cameræ faciendis, fieri, servari, & adhiberi solitis, & ad hoc etiam in forma Cameræ nostræ Apostolicæ sese obligare teneantur. Communitates vero, & Universitates in manibus prædictorum Thesaurariorum, seu aliorum Exactorum persolvere, & exbursare, ac tam pro hujusmodi solutionibus, ut supra, faciendis, quam omni, & quacumque evictione, & defensione generali, & particulari illorum locorum omnium, pro quibus in hoc Monte erunt, ut supra participes, per suos certos Procuratores in publico, & generali Consilio

filio ad id deputatos, & approbatos promittere, præsentesque nostras Literas ratificare, ac sese, & eorum bona, introitus, & jura quæcumque, etiam in ampliori ejusdem Cameræ Apostolicæ forma, & suo juramento obligare, seu ratificationum, promissionum, & obligationum prædictarum hujusmodi publica, & authentica instrumenta in eisdem actis exhibere teneantur. Nos enim earum ratificationes, & obligationes, & desuper confecta instrumenta hujusmodi ex nunc, prout ex tunc, approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Ac easdem Communitates, & Universitates omnes, & singulas supradictas, quæ ut supra in hoc Monte admissæ fuerint, ac ratificabunt, & obligabunt earum bona, introitus, & jura quæcumque præsentia, & futura ubilibet existentia pro omnibus, & singulis præmissis, & præmissorum occasione, etiam in forma Cameræ nostræ Apostolicæ ampliori, & pleniori, generaliterque, & specialiter, & expresse obligamus, & hypothecamus, & obligata, & hypothecata esse volumus, & declaramus: annuamque summam pro fructibus illorum locorum, pro quibus in dicto Monte erunt ut supra participes, modo, & forma, ac terminis, & locis quibus supra persolvendis necessariam, illam sic ut supra integram, liberamque, immunem, & exemptam, ex quibuscumque eorum introitibus, redditibus, & proventibus ordinariis, & extraordinariis, certis, & incertis dismembrantes, & separantes, eidem Monti, ejusque Collegio, & futuris Creditoribus, & Montistis prædictis perpetuo assignamus, applicamus, & appropriamus, & quoad illam, illiusque liberam perceptionem, exactionem, & consignationem in omne jus, locum, & privilegium earumdem Communitatum, & Universitatum ponimus, subftituimus, & subrogamus. Deficientibus autem Communitatibus, & Universitatibus supradictis in solutionibus de quadrimestri in quadrimestre ut supra faciendis, possint Thesaurarii, & eorum Exactores contra eos procedere cum eisdem privilegiis, facultatibus, & prærogativis, quibus in exactionibus Cameralibus fieri, & procedi solet. Thesaurarii tamen prædicti, cum ad exactionem rigorosam procedi contigerit, illam cum exactione onerum Cameralium, sine augmento impensæ facere debeant. Communitates, & Universitates vero prædictæ facta per eas in manibus Thesaurarii, & Exactorum ut supra ab eis deputatorum fructuum solutione, pro fructibus sic ab eis solutis ulterius, nec etiam a Montistis molestentur, nec molestari possint.

Ac privilegia Monti, ac Montistis conceduntur.

§. 4. Et insuper volentes Montem prædictum specialibus privilegiis, & gratiis decorare, motu, scientia, & potestate similibus perpetuo statuimus, decernimus, ordinamus, & declaramus, quod hujus Montis loca ad instar aliorum Montium non vacabilium Romanæ Curiæ resignabilia sint, & non vacent. Et quicumque etiam Laici utriusque sexus, ac Presbyteri, & & alii Clerici, necnon Ecclesiarum, aut alii quicumque Prælati, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac cæteri cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis seculares, & quorumcumque Ordinum, etiam in communi Mendicantium, ac Militiarum, vel Hospitalium Regulares, & aliæ quæcumque personæ cujusvis ætatis, etiam minores, & pupilli, ac etiam spurii, illegitimi, aut aliàs quomodolibet inhabiles, & incapaces, necnon Communia, Universitates, Ecclesiæ, Capitula, Collegia, Congregationes, Conventus, Societates, Hospitalia, Cappellæ, & alia quævis tam profana, quam pia, & religiosa loca, tam intus, quam extra ditionem nostram temporalem, & etiam in qualibet mundi parte nunc, & pro tempore existentes (infidelibus tamen semper exceptis) nihilominus in Monte hujusmodi Communitatum, & Universitatum Tertiæ Erectionis nuncupando, quascumque pecuniarum summas, & quantitates semel, & pluries, ac quoties eis visum fuerit, ponere, & erogare, ac pro singulis locis, & portionibus prædictis annua scuta quatuor cum dimidio monetæ similis in fine cujuslibet bimestris pro illorum rata sine aliquo conscientiæ scrupulo, seu sortis principalis restitutione, aut quovis alio restitutionis onere, ac omni prorsus impedimento cessante percipere, consequi, & in eorum usum, & utilitatem convertere libere, & licite possint. Quin etiam loca prædicta quocumque modo obtinentes, si illa in alios cedere, & transferre, ac etiam qui loca hujusmodi aliis acquirere voluerint, tales in hujusmodi cessionibus, translationibus, vel acquisitionibus sibi ipsis, vel aliis, etiam quoad vixerint, omnimodam dictorum locorum sic cessorum, vel acquisitorum administrationem, eorumque fructuum, & emolumentorum perceptionem, necnon plenam, liberam, & absolutam potestatem illa quocumque voluerint, nulla etiam subsistente causa ad se recipiendi, & revocandi, seu alii, vel aliis vendendi, alienandi, donandi, relinquendi, obligandi, & pignorandi, super eis paciscendi, & contrahendi, & prorsus omnem aliam ipsorum dispositionem, jus, & facultatem, nullo obtinentium consensu desuper requisito, aut alia solemnitate servata, ac etiam cum prohibitione hujusmodi administrationis, fructuum perceptionis, cessionis, venditionis, obligationis, fidejussionis per ipsos obtinentes faciendæ, necnon decreto irritante adjecto his, quæ secus facta fuerint, ab eisdem reservare, & obtinere libere, & licite valeant; Montemque ipsum, illiusque loca, & portiones etiam respectu fructuum, & emolumentorum ad rationem prædictam illi assignatorum, nullis omnino reductionibus, diminutionibus, aut mensium, seu mensatarum quarumcumque retentionibus,

nibus, & quibusvis aliis contrariis dispositionibus, etiam prætextu urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis, tam Sedis, & Cameræ Apostolicæ, quam ipsarum Communitatum, & Universitatum prædictarum, & pro ecclesiasticæ ditionis, & catholicæ fidei defensione, vel ex quavis alia cogitata, vel incogitata causa, etiam necessario exprimenda, subjecta, vel quomodolibet obnoxia fore, vel esse, sed firma, & valida semper persistere, & ab illis fore, & esse semper excepta, nec quemcumque ex ipsius Montis futuris creditoribus, illorumque hæredes, & successores quoscumque, seu causam, & jus ab eis quomodolibet habentes, & habituros super locis, & portionibus, ac illorum integris fructibus, & emolumentis prædictis quoquo modo contra præsentium formam turbari, vel impediri, nec eos ad pecunias in ipso Monte positas, & erogatas, aut illorum partem aliquam in solutionem, & extinctionem censuum, & debitorum prædictorum, aut aliam quamvis earumdem Communitatum, & Universitatum necessitatem, causam, vel utilitatem conversas fuisse, & esse, aut aliqua alia, etiam necessaria, & requisita in judicio, vel extra probanda, deducenda, seu quomodolibet verificanda ullo umquam tempore teneri, nec probationem contrariam in his obesse, ac pro præmissis omnibus, & singulis, ac quacumque evictione, & defensione generali, & particulari dicti Montis, & illius locorum, & portionum quorumcumque Communitates, & Universitates prædictas, & earum, & cujusque ipsarum bona mobilia, stabilia, & se moventia, introitus, effectus, & proventus, ac res, actiones, & jura quæcumque præsentia, & futura ubique locorum existentia generaliter, specialiter, & expresse, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, in ampliori ejusdem Cameræ Apostolicæ forma teneri, & obligata, & hypothecata fore, & esse, prout obligamus, & hypothecamus: præsentesque vim validi, ac solemniter, & legitime initi, & stipulati contractus, & utrinque jurati inter dictas Communitates, & Universitates ex una, & ejusdem Montis Emptores, & futuros Creditores, illorumque hæredes, & successores quoscumque habere, & obtinere pariter statuimus, decernimus, & ordinamus. Volumus etiam, quod dictus Mons ut supra a Nobis erectus, & institutus extingui non possit, nisi cæteris aliis earumdem Communitatum debitis extinguibilibus, tam hucusque contractis, quam contrahendis in futurum quibuscumque, pro quibus majus, vel æquale interesse dictorum scutorum quatuor, cum dimidio pro quolibet centenario, & anno persolvunt, ac etiam dicto Monte Communitatum Secundæ Erectionis per felicis recordationis Paulum Quintum, ut præmittitur, erecto, penitus extinctis, itaut Mons hic Tertiæ Erectionis post cætera debita hucusque contracta extingui possit, & non antea. In casu vero extinctionis Montis prædicti Communitates, & Universitates prædictæ non ultra scuta centum monetæ pro quolibet loco restituere, Creditores vero, & Montistæ ita recipere teneantur. Extinctio autem Montis, & locorum illius quando fieri contigerit, tunc pretium, seu pecuniæ ad hunc effectum destinatæ in Banco Depositarii Generalis Communitatum Status nostri Ecclesiastici deponantur, prout hactenus fieri consuevit.

Thesaurariū Gen. R.C.A. hujus Montis Protectorem deputat.

§.5. Et ut præmissa omnia, & singula facilius, & rectius gerantur, & exequantur, dilectum filium Magistrum Petrum Donatum Cæsium Thesaurarium nostrum Generalem, aliosque pro tempore existentes Thesaurarios Generales dicti Montis Protectores eligimus, & deputamus cum potestate Literas patentes sub eorum nominibus, & sigillis expediendi, & concedendi, necnon omnes, & quascumque causas super dicto Monte, illiusque causa, & occasione, & ab eo quomodolibet dependendas, & movendas privative quoad omnes alios judices cognoscendi, & terminandi, ac omnia alia, quæ ad ejusdem Montis utilitatem, providamque directionem pertinere cognoverint, peragendi, cum facultate etiam Secretarium, & Ratiocinatorem, seu Computistam dicti Montis, cum emolumentis per Secretarium, & Computistam Montis Communitatum Secundæ Erectionis exigi solitis, ad eorum vitam, & donec vixerint, & prout ijs melius placuerit, & videbitur, eligendi, & deputandi: Depositarium vero dicti Montis dilectum filium Joannem Franciscum Sacchettum, donec vixerit, ejus vita durante, qui tamen de solvendo Montistis dicti Montis debitis terminis, & temporibus fructus locorum, quæ obtinebit, exactis, vel non exactis assignationibus, & quocumque impedimento cessante, & non obstante, se obligare teneatur, & debeat, eligimus, & deputamus.

Clausulas præservativas superaddit.

§.6. Decernentes, præsentes Literas ad omnia, & singula necessaria, & requisita legitime sufficientes esse, tam in judicio, quam extra plene ad probandum, & verificandum, nec alterius probationis adminiculum requiri, easdemque præsentes Literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo, quod Communitates, & Universitates prædictæ, aut alii quicumque in præmissis jus, & interesse forsan habentes, seu habere prætendentes, vocati, seu auditi, aut quod ipsæ literæ in eadem Camera Apostolica admissæ, & in ejus libris registratæ minime fuerint, vel ex alia quavis causa quantumvis legitima, urgenti, & juridica, etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam intentari posse, vel debere, minusq; sub similium, vel dissimilium

milium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, reductionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo erant, statum restitutas, repositas, & plenarie, etiam sub quacumque posteriori data reintegratas, ac de novo concessas, ac semper majorem vim, robur, & efficaciam habere, & obtinere, ac si de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, & in nostro Consistorio secreto editæ, factæ, & emanatæ fuissent.

Sic judicari vult. §.7. Sicque, & non aliter per Camerarium, necnon Vice-Camerarium, ac ejusdem Cameræ Thesaurarium, & Clericos Præsidentes, & quoscumque Judices ordinarios; & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.8. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, nostra regula de non tollendo jure quæsito, necnon etiam super bono regimine redditum Communitatum, & Universitatum prædictarum, ac Pii IV. nostri Prædecessoris de registrandis, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam de bonis earumdem Communitatum, & Universitatum non alienandis, nec obligandis, aut quod in illorum alienationibus, & obligationibus, certæ solemnitates servandæ sint. Necnon earumdem Communitatum, & Universitatum statutis, ordinationibus, reformationibus, necnon instrumentis, seu scripturis quibuscumque inter prædictas Communitates, & Universitates ex una, & quosvis Mercatores, seu alias personas quascumque parte ex altera, super extintione debitorum dictarum Communitatum, seu Universitatum quomodolibet factis, initis, exequutioni demandari cœptis, etiam obligatione Camerali, seu Guarantigia, aut alia etiam strictiori forma vallatis, necnon juramento, & quavis alia cautela roboratis, atque firmatis, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, & facultatibus etiã pluries, aut etiam auctoritate apostolica concessis, factis, innovatis, confirmatis, & approbatis, necnon stylis, usibus, regulis, consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Quæ omnia, & singula, etiamsi de illis specialis, expressa, & individua mentio habenda esset, illorum tenores hic pro expressis, & sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, si obstent, tollimus, & abrogamus.

Cam. Apost. ab obligatione reservat. §.9. Volumus autem, & nostra auctoritate decernimus, & declaramus, quod præmissa omnia, & singula intelligantur, & sint facta, & concessa sine omnium, & quorumcumque jurium Cameræ nostræ Apostolicæ aliquo præjudicio, & citra aliquam ejusdem Cameræ, bonorumque suorum obligationem, itaut juribus Cameræ nequaquam præjudicetur, neque de suo in aliquo proprio ipsa Camera teneatur, vel obligetur.

§.10. Quodque præsentis nostri Motus Proprii cedulæ sola signatura sufficiat, absque eo quod declaretur, vel registretur, regula quacumque, & aliis contrariis non obstantibus. Signatura sufficit.

§.11. Quodque ejusdem cedulæ transumptis, etiam impressis, & per unum ex dictæ Cameræ Notariis subscriptis, & ejusdem Thesaurarii sigillo signatis stetur, & credatur, illaque plenam fidem faciant, tam in judicio, quam extra, ac si ipsa cedula foret exhibita, vel ostensa. Exemplis stari jubet.

Placet Motu proprio M.

DXVII.

Declaratio super facultatibus transferendi pensiones, seu illarum loco fructus, ac translationibus, novisque reservationibus pensionum, seu fructuum antea translatorum.

Pensiones transferendi facultates revocavit Pius V. Constit. XCVIII. Sacrosanctum. *Tom. IV. Par. III. fol.38. Reservationes autem pensionum perpetuarum super beneficiis ecclesiasticis, & indulta imponendi pensiones etiam temporales revocavit Urbanus VIII. Constit.CCXXXII.* Sanctissimus. *Tom.VI. Par.I. fol.67.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter gravissimas, multiplicesque apostolicæ servitutis curas, quibus jugiter premimur, illa etiam est, ne Ecclesiæ, & beneficia ecclesiastica indebite contra, aut præter mentem Romani Pontificis pergraventur.

Causæ hujus Constit. §.1. Cum igitur ex translatione pensionum onus illarum prorogetur, seu extendatur de persona ad personam, & sæpe de infirmo ad sanum, & de sene ad juvenem, in non modicum prejudicium Ecclesiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac illa pro tempore obtinentium, & propterea difficilius concedatur facultas transferendi illas pensiones, quæ alias translatæ fuerunt; idcirco Ecclesiarum, ac beneficiorum, & illa obtinentium prædictorum detrimentis, & incommodis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare volentes;

Declarat facultates transferendi pensiones &c. nõ potuisse, nec posse cuiquã suffragari. §.2. Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, omnes, & singulas per Romanos Pontifices Prædecessores,

cessores, & Successores nostros, ac etiam per Nos ex quacumque causa, etiam onerosa, etiam ratione quorumcumque officiorum, etiam motu, & scientia, potestatisque plenitudine similibus, ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, & cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis decretis concessas, & concedendas facultates transferendi quascumque pensiones, seu fructus ecclesiasticos eorum loco pro tempore reservatas, & reservatos, aut mediante earumdem pensionum antiquarum cassatione de novo illas reservandi, necnon pensionum, & fructuum hujusmodi translationes, seu novas reservationes, super quibuscumque Ecclesiis, etiam Cathedralibus, & Majoribus, ac Monasteriis, etiam Consistorialibus, cæterisque beneficiis, tam secularibus, quam quorumvis Ordinum regularibus, & Hospitalibus quomodolibet qualificatis, etiam cujuscumque jurispatronatus, etiam laicorum, etiam quorumcumque Regum, & Principum, illorumque fructibus etiam incertis, & distributionibus, etiam quotidianis nunc, & pro tempore factas, & concessas quibuscumque personis, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis fuerint etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant; etiamsi super facultatibus, translationibus, seu novis reservationibus hujusmodi lis, seu lites in quocumque gradu, instantia, vel Tribunali pendeant indecisæ, non potuisse, nec posse cuiquam suffragari, quoad pensiones, seu fructus alias translatos, nisi in eis consensus pensiones, aut fructus hujusmodi solvere debentium accesserit, aut quod alias pensiones, seu fructus hujusmodi translati, seu de novo reservati fuerint, expressum sit, seu exprimatur, vel clausula etiamsi pensiones, seu fructus hujusmodi forsan alias translatæ, seu translati, vel de novo reservatæ, vel reservati fuerint, apposita sit, vel apponatur. Non intendimus autem præsenti Constitutione comprehendere facultates, translationes, & novas reservationes hujusmodi, pro quarum validitate hactenus lata esset sententia, quæ in rem judicatam transivit, vel pro quarum exequutione mandatum relaxatum, & exequutioni demandatum fuerit.

Clausula sublata.

§.3. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos Præsidentes, necnon causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ generalem Auditorem, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri, ac interpretari debere; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus.

§.4. Non obstantibus indultis, privilegiis, & facultatibus, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam individuam mentionem requirentibus, cæterisque contrariis quibuscumque, illorum omnium, & singulorum tenores pro plene expressis, & insertis habentes.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die octava Martii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Dat. die 8. Martii 1636. An.XIII.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1636. die vero decimaquarta mensis Maii, supradicta Bulla, sive declaratio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per nos Paulum Bartoccium, & Franciscum de Paulis SS. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Bardus Mag. Curs.

DXVIII.

Committitur A.C., ut ad instantiam Commissarii Cameræ Apostolicæ contra Joannem Andream ab Auria, & alios invasores, & occupatores Burgi Vallis Tari ad Sanctam Romanam Ecclesiam pertinentis procedat.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. CUm, sicut accepimus, Princeps Joannes Andreas ab Auria, nescitur quo spiritu ductus, Terram, seu Oppidum Burgi Vallis Tari Placentini districtus ad S.R.E. ratione directi dominii spectans, illiusque Territorium, & membra, annexaque, & connexa, ac dependentia occupare ausus fuerit, sive occupata detinuerit, vel detineat;

Jo: Andreas ab Auria Oppidum Tari occupat.

§.2. Propterea Nos volentes, ut contra prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios invasores, occupatores, & detentores juris remediis opportunis, & præsertim declarationis incursus excommunicationis majoris, aliarumque censurarum, & pœnarum a Sacris Canonibus, & Conciliis universalibus, Constitutionibusque Apostolicis, etiam in Bulla Cœnæ Domini adversus talia perpetrantes inflictarum, & promulgatarum per A.C., qui quarumcumque Literarum Apostolicarum est generalis exequutor, procedatur; ne umquam de ejus jurisdictione, & facultate in præmissis quomodolibet necessaria, & opportuna dubitari contingat, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, salvo tamen, & reservato Nobis, & Sedi Apostolicæ jure agendi ad quæcumque alia nunc, & imposterum quomodolibet, & quandocumque com-

Urbanus A.C. committit, ut contra illum procedat.

competentia, & competitura, ac prævia, quatenus sit opus, avocatione à quibuscumque Judicibus, etiam per Romanos Pontifices Prædecessores nostros quomodolibet datis, tenore præsentium eidem A. C. nunc, & pro tempore existenti committimus, & mandamus, ut nedum vigore suarum generalium facultatum, sed etiam vigore præsentium ad instantiam Commissarii generalis Cameræ Apostolicæ pro tempore existentis, ad prædictam declarationem incursus excommunicationis, aliarumque censurarum, & pœnarum quarumcumque, etiam caducitatis, & devolutionis feudorum, & bonorum emphyteuticorum, si quæ prædictus Joannes Andreas ab Auria, omnesque alii, tam proprio, quam cujuscumque alterius nomine invadentes, & occupantes, sibique assistentes, auxiliumque, & favorem præstantes, & qui præstiterunt, ad invadendam, seu occupandam, vel detinendam prædictam Terram, ejusque Arcem, & Territorium, aliaque bona, jura, membra, annexa, & dependentia quæcumque ad prædictam Romanam Ecclesiam, Sedemque, & Cameram Apostolicam, & respective quamlibet aliam inferiorem Ecclesiam ratione directi dominii, & aliàs quomodolibet spectantia, obtinent, necnon amissionis, & privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum, & indultorum, si quæ ab ipsa Ecclesia Romana, aliaque Ecclesia inferiori quomodolibet habent, procedat, omniaque alia, & singula in præmissis necessaria, & quomodolibet opportuna gerat, faciat, & exequatur, etiam omni, & quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis penitus, & omnino remotis, cum facultate prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios in exequutione præsentium nominandos, & cognominandos, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, & dignitatis etiam ecclesiasticæ; etiam speciali nota, & expressione dignos, quicumque, & quotcumque sint, & fuerint, citandi etiam per edictum publicum, constito etiam summarie, & extrajudicialiter, & quantum sibi sufficere videbitur, de non tuto accessu.

Intimationi Romæ facta citationis vim addit. §.3. Volumus autem, ut facta per affixionem saltem semel intimatione monitorii desuper expediendi in valvis Ecclesiarum Bononien., & Ferrarien., ac in valvis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe, omnia acta deinde contra prædictum Joannem Andream ab Auria, omnesque alios, ut præfertur, nominandos facienda valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valida decernimus, & declaramus, perinde ac si ipsi, & quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti, & intimati fuissent, illisque, quoties, & quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis sibi benevisis, inhibendi, & præcipiendi, aliisque facultatibus necessariis, & opportunis.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & præsertim Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dietis, ac quacumque commissione aliis Judicibus, seu Tribunalibus Urbis etiam per Breve Apostolicum, vel per supplicationem, sive decretum, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestate similibus, ac aliàs quomodolibet etiam consistorialiter expeditum facta, partibusque intimata, & forsan causa instructa, cæterisque contrariis quibuscumque, statum litis, & litium quarumcumque, ac nomina, & cognomina Judicum, & litigantium, aliorumque contrariorum, & hic etiam de necessitate exprimendorum, & inserendorum tenores, & compendia pro plene expressis, & insertis habentes. Quibus omnibus, & singulis plenissime derogamus. Derogat obstantibus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima Augusti 1636. Pontificatus nostri anno Decimoquarto. Dat. die 11. Augusti 1636. An. XIV.

DXIX.

Literæ ad S. R. I. Electores de necessitate, ac forma eligendi Regem Romanorum. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

Ven. Fratri Archiepiscopo Moguntiæ. Sacri Romani Imperii Principi Electori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Cum ob præsentium temporum qualitatem inclyta Germaniæ Provincia in tantis tum hæreticorum, tum etiam infidelium periculis versetur, operæ pretium esse censuimus, ut modo ad electionem Regis Romanorum deveniatur. Speramus etenim ob bonitatem præcipue, virtutemque vestram, quod optatur, ea, qua potissimum convenit ratione, divina præcipue favente clementia, feliciter successurum. Ob Germaniæ calamitates Rom. Regem eligendum esse putat Pontifex.

§.2. Quamobrem, cum aperte videamus, in hujusmodi electione complures defectus necessario intercessuros, præsertim quia duo Electores hæretici ei intervenire debent, quodque ad electionem novi Regis Romanorum procedetur, Imperatore ipso adhuc non coronato, quod quidem expresse contra veteres leges est, & consuetudines antiquas; decrevimus, ut electio ipsa valida sit, atque firma, nec ei quicquam obiici, opponive possit, his nostris Literis, ac de Nobis attributæ potestatis plenitudine super ea a Nobis dictos Prævenit, suppletque defectus, quos intercessuros prævidet.

dictos defectus omnifariam supplere. Declarantes electionem hujusmodi, quæ rite a te, & aliis facta fuerit, eamdem vim, eumdemque vigorem habere, perinde ac si ab omnibus sex Electoribus una cum Rege Bohemiæ, & ipsis omnibus Catholicis, & in hujus Sanctæ Sedis unione existentibus facta celebrataque fuisset: pariterque huic novi Romanorum Regis creationi minime obstare volumus, quod charissimus in Christo filius noster Ferdinandus alter Rex Romanorum in Imperatorem electus nondum fuerit coronatus: nam attenta temporum necessitate, hac tantum vice id fieri posse permittimus. Cetera vero Nuncius iste noster vobis diffusius explicabit.

Dat. die 20. August. 1636 An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Augusti 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto (a).

DXX.

Ex Regest. in decret. Brev.

Committitur Congregationi Confinium, ut contra Marianum Alidosium, qui absque Sedis Apostolicæ licentia vendidit, & Jacobum Ducem Salviatum, qui emit Castrum del Rio in Provincia Romandiolæ procedat.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Paulus Alidosius contra Const. Apost. Castrum del Rio Jacobo Salviato vendit, non obtenta a S. Sede Apost. licentia.

§. 1. Quamvis tam de jure, quam ex Constitutionibus Apostolicis, præsertim fel. rec. Sixti Quinti, Clementis Octavi, & Pauli Quinti Prædecessorum nostrorum, ac nostris, Feudatarii, Vasfalli, seu Subditi, qui possident Jurisdictiones, & Castra præsertim Fortalitia in Statu temporali S. R. E. consistentia, non possint illa alienare in quamcumque personam, nisi prius licentia etiam in scriptis obtenta a Romano Pontifice pro tempore existente, & illa in actu contractus exhibita, aliàs in eventum contraventionis incidant in diversas pœnas in eis impositas; tamen, ut accepimus, Marianus Alidosius Imolen. temerario spiritu ductus, cum possideret Oppidum, seu Castrum del Rio nuncupatum, intra fines ditionis temporalis S. R. E. in Provincia Romandiolæ situm, ausus fuit, nulla a Nobis obtenta licentia, alienare, & vendere præfatum Castrum Jacobo Duci Salviato, qui etiam non attentis præfatis prohibitionibus temere illud emit, etiam simulato prætextu, quod Castrum hujusmodi non esset de directo, & supremo dominio Sanctæ Sedis Apostolicæ, itaut multo magis tam ex præmissis, quam ex aliis per Commissarium Cameræ Apostolicæ generalem nunc, & pro tempore existentem deducendis nedum prædictum Castrum sit eo ipso devolutum ad Sedem Apostolicam, sed etiam ipsi contrahentes in pœnas a jure, & a præfatis Constitutionibus, & aliàs quomodolibet contra non observantes præmissas, ac dominium directum, & supremum Sedis Apostolicæ negantes, & illud, ac possessionem ejusdem Sanctæ Sedis intervertere nitentes impositas inciderunt.

Pontif. Congreg. Confinium committit, ut contra illos procedat.

§. 2. Idcirco ne tam præfati excessus, & transgressiones, quam prædicta crimina, aliaque delicta super præmissis, & illorum occasione ab eis, & quibuscumque aliis cujuscumque status, gradus, conditionis, & dignitatis etiam ecclesiasticæ existentibus, etiam speciali expressione dignis, etiam auxilium, consilium, vel favorem eis quomodolibet præstantibus, in præjudicium Sedis Apostolicæ quomodolibet commissa, & patrata, impunita remaneant, illorum cognitionem, declarationem, & punitionem dilectis filiis nostro Bernardino tituli Sancti Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali Spadæ nuncupato, ac Prælatis nunc, & pro tempore existentibus Congregationis confinium aliàs per Nos erectæ committen. duximus.

Ad quem effectum peculiares quoque addit facultates.

§. 3. Quapropter Nos præfatorum tractatuum, conventionum, contractus, & aliorum ab ipsis contrahentibus, & aliis desuper quomodolibet gestorum, & inde sequutorum, sique sint, ac aliorum forsan hic exprimendorum, & inferendorum tenores pro plene insertis, & expressis habentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, causam, & causas declarationis incursus præfatarum, & quarumcumque aliarum pœnarum, etiam excommunicationis majoris, aliarumque censurarum, necnon rebellionis, ac criminis læsæ majestatis, confiscationisque bonorum, ac etiam devolutionis, & caducitatis præfati Castri, aliorumque Castrorum, & bonorum feudalium, seu emphyteuticorum ecclesiasticorum, si quæ præfatus Marianus, ac Jacobus, aliique præfati, & eorum quilibet habet, & obtinet a Sede Apostolica, vel ab alia Ecclesia inferiori, ac amissionis, & privationis illorum, ac quarumcumque dignitatum, titulorum, honorum, indultorum, & privilegiorum quorumcumque per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac etiam per Nos, & a quacumque Ecclesia inferiori eidem Mariano, & Jacobo, aliisque præfatis, sive eorum antecessoribus, vel auctoribus concessorum, necnon impositionis, & inflictionis prædictarum, & aliarum quarumcumque pœnarum in declarationibus per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros quoscumque, ac etiam per Nos quomodolibet desuper factis contentarum, necnon causam, & causas, quam, & quas idem Cameræ Commissarius habet, & movet, habereque, & movere vult, & intendit contra prædictos Marianum, & Jacobum, omnesque alios quotcumque, & quoscumque

(a) Ejusdem exempli Literæ datæ sunt ad Archiepiscopos Colonien., & Treveren., & ad Maximilianum Bavariæ Ducem S. R. I. Electores.

que, ac cujuscumque qualitatis, conditionis, gradus, status, & dignitatis, ut præfertur, sint, vel fuerint super præmissis, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latius deductis, & deducendis, cum suis, & illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexisque, & connexis, totoque negocio principali eidem Congregationi confinium nunc, & pro tempore existenti committimus, & mandamus, ut tam suarum facultatum generalium, quam præsentium vigore, illam, & illas cognoscat, terminet, & prout juris fuerit, decidat, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis cum facultate præfatos Marianum, & Jacobum, omnesque alios in exequutione præsentium nominandos, & cognominandos, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, & dignitatis etiam ecclesiasticæ, etiam speciali nota, & expressione dignos, ut præfertur, quicumque, & quotcumque sint, & fuerint, citandi, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie, & extrajudicialiter, & quantum sibi sufficere videbitur, de non tuto accessu.

Intimationi per publicationem Monitorii facienda citationis personalis vim addit.

§.4. Volumus autem, ut facta per affixionem saltem semel intimatione monitorii desuper expediendi in valvis Ecclesiarum Cathedralium Imolen., & Faventin., ac in valvis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe, omnia acta deinde contra præfatos Marianum, & Jacobum, omnesque alios, ut præfertur, nominandos facienda, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, prout ex nunc valida decernimus, & declaramus, perinde ac si ipsi, & quilibet illorum in quolibet actu personaliter citati, moniti, & intimati fuissent, illisque quoties, & quando opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis sibi benevisis inhibendi, & præcipiendi, aliisque facultatibus necessariis, & opportunis.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam in Conciliis generalibus editis, & præsertim Bonifacii Papæ Octavi de una, & Concilii generalis de duabus dietis, cæterisque contrariis quibuscumque, statum litis, & litium quarumcumque, ac nomina, & cognomina judicum, litigantium, aliorumque contrariorum, & hic etiam de necessitate exprimendorum, & inserendorum tenores, & compendia pro plene expressis, & insertis habentes, quibus omnibus, & singulis plenissime derogamus.

Dat. die 10. Septem. 1636. An.XIV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima Septembris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXI.

Ex Regest. in Secret. Brevi

Committitur Rotæ Decano absolutio quatuor Portionariorum, & duorum Beneficiatorum Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, a censuris, & pœnis incursis, eo quod recurrerint ad Judices laicos pro exequutione mandati Rotalis.

Dilecto filio Joanni Baptistæ Coccino Causarum Sacri Palatii Auditori Decano.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Facti series.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ludovicus Puejo, Hieronymus de Funes, Thomas de Zaumada, & Joannes Michael Crespo Portionarii, ac Hiacynthus Perez, & Joannes Mercado Beneficiati integræ distributionis Ecclesiæ Cæsaraugustan., quod in Bulla felicis recordationis Clementis Papæ Octavi Prædecessoris nostri, qua dicta Ecclesia Cæsaraugustan. e statu regulari redacta est ad secularem, fuerant præservatæ cuilibet Portionario, & Beneficiato hujusmodi quotidianæ distributiones solvendæ pro rata eorum servitii, quas deinde particulari statuto ejusdem Ecclesiæ, apostolica auctoritate confirmato, & ab illius Capitulo, & Canonicis, acceptato declaratum fuit, debere ascendere ad tria regalia monetæ illarum partium qualibet die pro horis canonicis diurnis, atque iisdem Portionariis tamquam existentibus in possessione percipiendi hujusmodi summam fuit aliàs resolutum in Sacro istius Rotæ Romanæ Auditorio, dandam esse manutentionem. Cum autem postea in expeditione mandati de manutenendo fuissent omissi prædicti exponentes, eo quia tunc deerat in Romana Curia eorum legitimus Procurator, propterea ipsi considerantes prædictam quantitatem æque sibi, ac cæteris deberi, illamque a prædictis Capitulo, & Canonicis in sui detrimentum retineri contra formam dictæ Bullæ, & Statuti, ac Resolutionis Rotalis, diversos actus fecisse dicuntur pro consequutione dictarum distributionum, & plenaria dictorum Bullæ, Statuti, & Resolutionis Rotalis hujusmodi exequutione, propter quos dum & ipsi nuper misso ad Almam Urbem nostram eorum legitimo Procuratore peterent in eadem Rota manutentionem, fuit ipsis ex parte dictorum Capituli, & Canonicorum oppositum, eos incidisse in pœnas, & censuras ecclesiasticas, eo quia aliquos ex dictis actibus fecerint coram Judicibus laicis, ad quos asseruntur habuisse recursus.

Petitio PP. facta.

§.2. Quamvis autem hujusmodi asserti recursus tendant non ad impediendam, sed ad obtinendam, & coadjuvandam exequutionem Literarum Apostolicarum, & Juridi-

risdictionis ecclesiasticæ, nihilominus ad tollendam omnem dubitandi materiam, prædicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in præmissis de absolutionis beneficio, & aliàs, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio, de qua in rubrica.

§.3. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, coram quo lis inter ipsos Exponentes, ut asserunt, & prædictos Capitulum, & Canonicos super præmissis adhuc indecisa pendet, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus constito tibi legitime de præmissis, prædictos Exponentes, & eorum quemlibet, si hoc a te humiliter petierint, & parito prius per eos, si quod sit, judicato, nec non renunciato attentatis coram quibuscumque Judicibus laicis factis, ac imposita dictis Exponentibus, & eorum cuilibet arbitrio tuo pœnitentia salutari, a quibusvis censuris, & pœnis ecclesiasticis per eos præmissorum occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostra absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas illis gratiose remittas, & condones, eosdemque in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituas, reponas, & reintegres.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Septem. 1636. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaquinta Septembris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXII.

Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum possunt erigere Crucem in publicis Processionibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constit.

Cum, sicut dilectus filius modernus Vicarius Generalis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Italiæ Nobis nuper exponi fecit, aliàs postquam ipse Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus sacris Ritibus prepositis exposuisset, prædictos Fratres Discalceatos incedere in Processionibus publicis sub Cruce Fratrum Eremitarum ejusdem S. Augustini, petiissetque Fratribus Discalceatis hujusmodi concedi licentiam erigendi propriam Crucem, & sub ea in Processionibus incedendi; iidem Venerabiles Fratres licentiam prædictam Fratribus Discalceatis hujusmodi sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito concesserint, dummodo digniorem locum omnibus aliis regularibus, qui hactenus Crucem erexerunt, concederent, prout in Decreto desuper emanato plenius dicitur contineri: cupiatque propterea dictus Vicarius Generalis præmissa omnia pro illorum validitate, & subsistentia firmioribus Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri.

Confirmatio, prout in rub.

§.1. Nos dictum Vicarium Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum, ac omnia, & singula in eo contenta, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes illa, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis hujusmodi in omnibus, & per omnia suffragari debere, ac irritum,, & inane, si quid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 1. Octobr. 1636. An. XIV.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 1. Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Regis Catholici zelus excitatur, ne permittat, a suis Ministris nonnulla Ecclesiarum bona in Portugalliæ Regno occupari.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Catholico.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium. PAstoralis officii nostri debitum, & honoris Domus Dei zelus, quo in tuendis, ac sarctis tectisque conservandis Ecclesiarum juribus assidue soliciti sumus, non patitur, ut ea conniventibus oculis prætereamus, quæ in Ecclesiarum ipsarum damnum, præjudiciumque temerariis ausibus committuntur.

Ministri Regis bonis nonnullis Ecclesias privare tentant. §.1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, nonnulli majestatis tuæ in Portugalliæ Regno Ministri indebito legis laicalis aliàs per fel.rec. Gregorium Papam Nonum Prædecessorem nostrum abrogatæ prætextu, conati sint, & conentur, Ecclesias, seu Cappellas, ac perpetua Beneficia Ecclesiastica, & alia loca pia suis bonis, etiam ab antiquissimo tempore possessis, & acquisitis etiam ex legatis, seu dispositionibus piorum Christifidelium pro suarum animarum refrigerio factis, & relictis privare, & spoliare, indeque oriri possit nedum injusta privatio, & spoliatio in earumdem Ecclesiarum, & Beneficiorum detrimentum, ac revocatio legatorum, fundationumque piarum, & subtractio suffragiorum animabus fundatorum perpetuo assignatorum, sed etiam extinctio titulorum Ecclesiarum, & Beneficiorum hujusmodi, etiam contra modernam, & antiquam Regni Portugalliæ observantiam; & licet annis præteritis eadem prætensio fuerit suscitata; tua tamen, ac Regnum Portugalliæ majorum tuorum pietate hactenus semper sopita fuerit in favorem Ecclesiarum, Beneficiorum, & locorum piorum hujusmodi.

Pontifex Regē hortatur, ne hujusmodi attentata permittat. §.2. Nos certe quamquam egregius, & a majoribus tuis acceptus majestatis tuæ religionis zelus Nobis abunde polliceantur, se circa præmissa eas rationes initurum, quibus Ecclesiarum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, locorumque piorum indemnitati, & animarum Christifidelium refrigerio opportunis rationibus consulatur; ob curam tamen universalis Ecclesię humilitati nostræ divinitus commissam, Pontificiæque nostræ in majestatem tuam charitatis viscera facere non possumus, quin eam paterne in Domino hortemur, ut avitæ virtutis ęmulator, Ecclesias, Beneficia, & loca pia hujusmodi suis immunitatibus, bonisque, ac juribus pacifice frui, & gaudere faciat; nec illa per ministros

prædictos desuper molestari, seu ullo modo inquietari permittat, Nobis ipsi persuadentes eamdem illam gloriam, quæ pietatis in Deum, & propensæ in res sacras voluntatis, aliisque laudabilibus meritis majestas tua hucusque adepta est, ad ampliorem parandam tibi stimulos addituram; alia enim adiicere consuevit Dominus Regnum suum primo quærentibus. Nobis profecto, quicquid ad Ecclesiarum, Beneficiorum, ac piorum locorum favorem in præmissis gesseris, & jusseris, tam gratum erit, quam quæ gratissima accidere possunt, & hac super re cum majestate tua fusius disseret Nuncius noster Episcopus Senogallien. Dum vero apostolicam benedictionem tibi iterum impertimur, fusis ad Deum precibus enixe postulamus, ut cœlestium gratiarum dona tibi jugiter impertiatur.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die decimaoctava Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno XIV. *Dat. die 18. Octobr. 1636. An.XIV.*

DXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Oppidum Mercatelli Urbaniæ Episcopatui, Lamolæ autem Oppidum Ecclesiæ Sancti Angeli quoad jurisdictionem ecclesiasticam addicuntur.

Erectum ab ipso hoc Pontifice Urbaniæ Episcopatum vide in præcedenti anno Numer. DI. fol. 49.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Erectio a se nuper Urbaniæ, & S. Angeli Episcopatus refert. §.1. CUm nuper Nos ad omnipotentis Dei laudem, & cultus divini augmentum Ecclesiam Cathedralem Urbaniam nuncupatam ex Ecclesia Sancti Christophori Abbatiæ nuncupatæ Castri Durantis, & Ecclesiam Cathedralem Sancti Angeli nuncupatam ex Ecclesia Archipresbyteratus nuncupati Oppidi Sancti Angeli in Vado in Provincia Massæ Trabariæ Provinciæ Urbinatensis erexerimus, & pro Diœcesi Episcopatus Urbaniæ districtum ecclesiasticum dictæ Abbatiæ nunc suppressæ Sancti Christophori assignaverimus, excepto territorio, seu districtu Sancti Angeli, quod pro Diœcesi ejusdem Episcopatus Sancti Angeli assignavimus, easdemque Ecclesias Cathedrales Urbaniæ, & Sancti Angeli ad invicem æque principaliter erectas univerimus pro uno Episcopo, qui verbo, & exemplo, disciplinaque ecclesiastica populos prædictarum Civitatum invicem unitarum pasceret, & instrueret, prout in Literis Apostolicis desuper expeditis latius continetur.

Nunc Oppidū Mercatelli Urbaniæ, §.2. Verum, quia, ut accepimus, prædictæ Diœceses non multum amplæ sunt, & prope illas extant Terræ, seu Oppida Mercatelli, & Lamolæ, quæ cum sint, ut prætenditur, nullius Diœcesis, melius in

in spiritualibus ab Episcopo, quam ab alio inferiori poterunt gubernari; Ideo Nos volentes Dioeceses prædictas ampliare, & subditis præfatarum Terrarum, seu Oppidorum Mercatelli, & Lamolæ, eorumque gubernio, & regimini quoad spiritualia consulere, tenoresque, & compendia indultorum, & privilegiorum etiam apostolicorum eisdem Terris, seu Oppidis tam per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, quam per quoscumque alios cujuscumque dignitatis, etiam ecclesiasticæ, status, gradus, conditionis, & qualitatis etiam speciali nota dignos quomodolibet, & quandocumque, causa quantumlibet rationabili, favorabili, publica, & pia, etiam in corpore juris clausa, etiam hic specialiter exprimenda, & inserenda concessorum, & emanatorum, ac etiam pluries approbatorum, & confirmatorum, ac usu etiam antiquissimo receptorum pro plene expressis, & insertis habentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eamdem Terram, seu Oppidum Mercatelli, ejusdemque districtum, quoad jurisdictionem ecclesiasticam per Archipresbyterum Ecclesiæ Collegiatæ dictæ Terræ hactenus exerceri solitam, eidem Dioecesi Ecclesiæ Urbaniæ perpetuo sine alicujus præjudicio annectimus, & incorporamus, eamdem jurisdictionem Ecclesiasticam super Ecclesiis, & personis quibuscumque ejusdem Terræ, seu Oppidi Mercatelli, ejusque districtus exerceri solitam, & alias quomodolibet prædicto Archipresbytero competentem, eidem Episcopatui Ecclesiæ Urbaniæ, & Episcopo præfatæ Ecclesiæ nunc, & pro tempore existenti etiam perpetuo damus, & concedimus, statumque, & essentiam nullius Dioecesis etiam perpetuo tollimus, extinguimus, & abrogamus, eamdemque Terram, seu Oppidum Mercatelli, quoad spiritualia, & alia ad forum ecclesiasticum spectantia eidem Episcopatui Urbaniæ pro suæ Dioecesis ampliatione subjicimus, exceptis tamen illis sex Ecclesiis Parochialibus, quæ sita sunt in temporali Territorio olim Terræ, seu Oppidi, nunc autem præfatæ Civitatis Sancti Angeli, quas Ecclesias, earumque Parochias, & Parochianos, necnon prædictam Terram, seu Oppidum Lamolæ, ejusdem districtum ecclesiasticum, ac jurisdictionem ecclesiasticam in illius, & illarum Ecclesias, & personas per Abbatem, seu Commendatarium exerceri solitum, eidemque Dioecesi Ecclesiæ Cathedralis Sancti Angeli, quoad spiritualia pro ipsius Dioecesis ampliatione, etiam perpetuo sine alicujus præjudicio annectimus, & incorporamus, statumque, & essentiam nullius Dioecesis, etiam perpetuo tollimus, & extinguimus, & abrogamus, eamque Terram, seu Oppidum Lamolæ quoad spiritualia, & alia ad forum ecclesiasticum spectantia, eidem Episcopatui Sancti Angeli subjicimus, & supponimus.

Et Terram Lamolæ Episcopatui S. Angeli quoad jurisdictionem ecclesiasticam addicit.

§. 3. Decernentes præsentes Literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad ea minime vocati, & auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint adductæ, verificatæ, seu justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, & nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, & aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra, sed illas semper validas, firmas, & efficaces extare, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super &c. attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra de non tollendo jure quæsito, et quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque &c., & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ appont.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dioecesis sub Annulo Piscatoris die vigesima Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Dat. die 20. Octobr. 1636. An. XIV.

DXXV.

Quod de cætero nullus Fratrum de Observantia in Guardianum, aut Magistrum Novitiorum in Conventibus Recollectorum Provinciæ Granatensis deputari possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit.

Ne jam indicata otiose repetam fas sit recensere Clement. VII. Const. XLIII. In suprema. *Tom. IV. Par. I. fol.* 100.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observant. Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis in Regnis Hispaniarum, dum a Provincialibus non recollectis,

Motiva hujus Const.

ctis, sed de Observantia dumtaxat gubernantur, diversa inconvenientia, sive incommoda experti sint, quoniam Provinciales prædicti Conventibus Recollectorum Guardianos præficiunt similiter de Observantia, qui rigorosæ, exactæque regularis disciplinæ observantiæ, sub cujus regulis ipsi Recollecti vivunt, minus assueti, modorumque, & cæremoniarum eorumdem Recollectorum nescii, multis relaxationibus, abusibusque ansam præbent, non sine regulæ, & normæ vivendi arctioris eorumdem Recollectorum præjudicio: præterea iidem Fratres de Observantia Ordinis sui professores ad eosdem Fratres Recollectos facile mittere consueverint, qui quidem Fratres de Observantia ad eosdem Recollectos, ut præfertur, missi, ad pristinum eorum vitæ institutum sæpe sæpius redire volunt, non sine scandalo, & eorumdem Recollectorum perturbatione:

Decretum, de quo in Rubrica.

§.1. Nos felici eorumdem Recollectorum regimini, & gubernio, eorumque quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, & ordinimus; Quod de cætero nullus in Guardianum, Definitorem, nec Magistrum Novitiorum in Conventibus eorumdem Fratrum Recollectorum deputari, eligi, seu alias assumi, aut constitui possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit, & inter eosdem Recollectos per sexennium ad minus vixerit, juxta eorumdem Recollectorum constitutiones, quas in hac parte ex certa scientia nostra, quo autem ad reliqua illarum capitula, dummodo sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, regularibusque eorumdem Recollectorum institutis non adversentur, approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio Statutorum FF. Recollectorum.

Transitus ad Recollectos.

§.2. Insuper, quod etiam de cætero Fratres de Observantia prædicti ad Recollectos hujusmodi transire non possint absque eorumdem Recollectorum consensu, seu majoris partis ejus Conventus, ad quem transire quilibet voluerit; quodque ii ex Observantibus prædictis, qui ultra tres vices transitum hujusmodi fecerint, inter eosdem Recollectos amplius admitti nullo modo valeant, apostolica auctoritate, earumdem tenore præsentium pariter statuimus, & ordinamus.

Pœnæ contra inobedientes.

§.3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub privationis officiorum, ac excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis ipso facto incurrendis, ne constitutiones, ordinationes, & statuta eorumdem Fratrum Recollectorum quovis prætextu alterare, mutare, seu abrogare audeant, vel præsumant, ac decernentes, præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 25. Octobr. 1636. An. XIV.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, sub Annulo Piscatoris die vigesimaquinta Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno XIV.

DXXVI.

Declarat Ministrum Generalem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Congr. Hispaniarum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum post sui electionem nulla indigere confirmatione.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ faciendæ declarationis.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jo: de Annunciatione Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Discalceatorum nuncu-

nuncupatorum, Congregationis Hispaniarum Procurator Generalis, quod aliàs postquam Nos per Nostras sub plumbo de anno 1631. expeditas literas, incipientes Salutaribus Apostoli monitis, Fratribus Discalceatis hujusmodi facultatem eligendi ex ipsis Fratribus Discalceatis in suo Generali Capitulo unum Ministrum Generalem, juxta formam in dictis literis præscriptam, a Superioritate Ministri Generalis Fratrum ejusdem Ordinis Calceatorum penitus, & omnino exemptum concessimus, ipse Minister Generalis Congregationis hujusmodi in dicto Capitulo noviter electus confirmationem suæ canonicæ electionis a Nobis, tanquam Prælati a Summo Pontifice immediate dependentis obtinuit. Sed ne imposterum dicta Congregatio in illius regimine interim, dum literæ confirmationis sui Ministri Generalis a Sede Apostolica impetrantur, detrimentum aliquod patiatur, Nobis propterea dictus Joannes Procurator Generalis hujusmodi humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratio de qua in Rubr. §. 2. Nos igitur prospero, felicique dictæ Congregationis regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Joannem Procuratorem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum Consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Capitulum Generale Fratrum Discalceatorum Ordinis, & Congregationis hujusmodi pro illius Ministri Generalis electione facienda legitime congregatum, electionem Ministri Generalis hujusmodi in dicto Capitulo Generali factam, juxta formam in dictis literis præscriptam confirmare libere, & licite possit, & valeat, ita quod Minister Generalis hujusmodi noviter electus, & a Capitulo Generali confirmatus, nulla alia confirmatione unquam indigeat, sed statim possit exercere officii Ministri Generalis totius Congregationis Fratrum Discalceatorum hujusmodi, cum ipsismet auctoritate, facultatibus, & præeminentiis aliis Superioribus Generalibus aliorum Ordinum ex privilegio Apostolico, vel aliàs quomodolibet competentibus, & concessis, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Clausula. §. 3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 3. Decembris 1636. Pont. Nostri Anno XIV. Dat. die 3. Decem. 1636. An. XIV.

DXXVII.

Licentia erigendi Romæ Ecclesiam, Hospitium, & Collegium pro Nationibus Provinciæ Marchiæ. Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§. 1. Exposuit Nobis nuper dilectus filius noster Joannes Baptista tituli Sancti Silvestri Presbyter Cardinalis Pallottus nuncupatus tam suo proprio, quam nomine cæterorum Nationalium Provinciæ Picenæ in Alma Urbe nostra commorantium, quod ipse Cardinalis, cæterique Nationales pro eximio, atque singulari, quem erga Beatissimam Virginem Mariam Lauretanam gerunt devotionis affectum, & ad promovendum per amplius ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ cultum, spiritualique eorumdem Nationalium, & aliorum Christifidelium ædificationi consulendum, unam in Alma Urbe nostra Ecclesiam, Oratorium, Hospitale, necnon Collegium Alumnorum pro Nationibus Provinciæ Marchiæ sub denominatione Almæ Domus Beatissimæ Virginis de Laureto Nationis Picenæ construere, & ædificare posse summopere desiderent, si nostra ad id eis licentia suffragetur, & facultas; Piceni Romæ Collegium, & Ecclesiam &c. erigendi petunt facultatem.

§. 2. Nos, qui negocium hujusmodi per te, & Congregationem Visitationis Apostolicæ mature examinan. considerandumque commisimus, habita de eo opportuna, & sufficienti relatione, piis dictorum Joannis Baptistæ Cardinalis, cæterorumque Urbanus assentitur.

rumque Nationalium votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi per præsentes injungimus, ut Joanni Baptistæ Cardinali, cæterisque Nationalibus prædictis, in Alma Urbe nostra, & loco ad id decenti, ac congruo, unam Ecclesiam, Oratorium, Hospitale, necnon Collegium Alumnorum pro Nationibus ejusdem Provinciæ Marchiæ sub denominatione Almæ Domus Beatissimæ Virginis de Laureto Nationis Picenæ, sine tamen alicujus præjudicio, ac servatis alias servandis, construendi, & ædificandi, seu construi, & ædificari faciendi, ita tamen, ut donationes, & legata nunc, & pro tempore facta, & facienda Ecclesiæ Beatissimæ Mariæ Lauretan. Urbis, spectare debeant ad Ecclesiam Beatissimæ Mariæ Lauretanæ Pistorum, nisi constet de voluntate donantium, vel legantium in favorem Ecclesiæ Nationis Picenæ, licentiam, & facultatem, auctoritate nostra concedas.

Obstantibus derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 31. Decem. 1636. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die ultima Decembris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXVIII.

Confirmatio decreti, videlicet, Præcedentiam in Processionibus in Civitate Oriolensi competere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos, & Discalceatos.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX incumbenti Nobis apostolici muneris debito ad ea mentis nostræ aciem assidue intendimus, per quæ Christifideles sub suavi religionis jugo Altissimo famulantes, sublatis obstaculis, in quietis, & pacis amœnitate vota sua Domino reddant, ac felicioribus in via mandatorum ejus proficiant incrementis.

Decr. S. Congreg. Rituum.

§.1. Nuper siquidem a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet: Orta controversia circa precedentiam in processionibus inter Regulares Recollectos Conventus Sanctæ Annæ, & Discalceatos S. Gregorii Ordinis S. Francisci de Observantia Civitatis Oriolensis ex una, & Regulares Conventus S. Augustini Ordinis Eremitarum S. Augustini ejusdem Civitatis, partibus ex altera: Sacra Rituum Congregatio, citatis sæpius, & auditis utriusque partis Procuratoribus, & utraque parte informante, censuit ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Verospii, Præcedentiam, & digniorem locum in processionibus, tam publicis, quam privatis competere, & deberi Augustinianis supra Franciscanos Recollectos, & Discalceatos, juxta dispositionem Bullæ Gregorii XIII., quæ incipit: *Exposcit*, sub die 15. Julii 1583. editam: Et hoc sive dicti Recollecti, & Discalceati in prædictis processionibus incedant conjunctim, sive divisim: Et ita imposterum inter dictas partes in Civitate Oriolensi servari mandavit: Quibus propterea in præmissis perpetuum silentium imposuit. Die 20. Decembris 1636.

Confirmatur ab Urbano.

§.2. Nos, quo decretum hujusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus observetur, illud cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud, necnon præsentes Literas semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Fratribus Augustinianis prædictis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, necnon ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari perpetuo; Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios ubique, & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Exequutorū deputatio.

§.3. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Oriolensi, seu dilecto filio Officiali Oriolensi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Augustinianorum hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque Fratribus Augustinianis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præmissa omnia, & singula ab iis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter

liter observari, eosdemque Fratres Augustinianos præmissorum commodo, & effectu quiete, & pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum, & Institutorum regulares, in præmissis quovis prætextu, causa, vel occasione, aut aliàs quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel impediri.

Contravenientium pœnæ.

§.4. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliàs in præmissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte quomodolibet præstantes, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat. contrar.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, illorumque Domorum, & Locorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis illis, eorumque superioribus, & personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque derogatoriarum derogatoriis, aliisque decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. Jan. 1637. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die decimasecunda Januarii 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXIX.

Quod in Provinciis Sancti Bernardini, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Gallia Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum, seu Recollectorum nullus omnino gaudeat privilegiis Patrum Provinciæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INter gravissimas, multiplicesque apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari solicitudine incumbimus, ut Religiosi viri, qui obliti populum suum, & domum patris sui, divini numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter in spiritu humilitatis, & sanctitate, & justitia coram ipso.

Mandat prout in Rubrica.

§.1. Hinc est, quod Nos felici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum, & Recollectorum nuncupatorum Provinciarum Sancti Bernardini, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Gallia, statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra harum serie, sub excommunicationis, ac privationis omnium actuum legitimorum pœnis, prohibemus, ne ullus omnino in præfatis Provinciis gaudeat privilegiis Patrum Provinciæ: Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ut absolute tales Patres Provinciæ sublati sint, non obstante quacumque constitutione, vel concessione Provinciali, aut alia quavis: exceptis tamen his, qui fuerunt, aut erunt in posterum Patres Ordinis, vel Definitores Generales.

Executorẽ deputat, & transgressores puniri mandat.

§.2. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Albiensi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum fuerit requisitus, solemniter publicans, & eisdem in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra eosdem Fratres præsentium Literarum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere: Non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes præsentes literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, & aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exqui-

quisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.3. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Februar. 1637 An. XIV.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 18. Februarii 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

DXXX.

e Regest. in secret. Brev.

Confirmantur Constitut. Collegii Naubertini Carmelitarum Parisiensium antiquæ Observantiæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IN supremo apostolatus solio meritis licet imparibus immensa Redemptoris nostri benignitate constituti, inter cæteras apostolicæ servitutis curas illa Nos jugiter solicitos habet, ut Religiosi viri sub Strictioris Observantiæ regulis altissimo famulantes felicioribus in dies viis Domini proficiant incrementis. Quamobrem si quæ propterea facta fuisse comperimus, illa, quo firmius subsistant, exactiusque observentur, apostolicæ nostræ confirmationis munimine roboramus, prout ad Dei gloriam, felicemque ipsorum Religiosorum statum, & directionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Prior Generalis Collegii Naubertini nonnullas edit Constit. pro ejusdem Collegii regimine Sequuntur Const. &c.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratius Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo antiquæ observantiæ regularis Prior Generalis, quod pro felici, prosperoque Domus Regularis Parisien., & Collegii Naubertini dicti Ordinis regimine, & gubernio nonnullæ Constitutiones editæ fuerunt tenoris subsequentis, videlicet:

Fr. Theodorus Stratius Magister, & humilis Prior Generalis Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo antiquæ observantiæ regularis.

Ea est humanarum rerum natura, & conditio, ut quæ aliquando justis suadentibus causis tanquam bono publico conducentia fuerunt approbata, postea expediens sit aliis non minus justis causis rerum, temporumque qualitatibus pensatis, illa alterare, & interdum etiam penitus immutare, & revocare. Hinc licet alias fel. rec. Leo X., & Hadrianus VI. Congregationem quamdam Albiensem nostri Ordinis in Regno Galliæ Domos Albien., Melodunen., Parisien., Tolosan., & Rothomagen. amplectentem confirmaverint, multisque privilegiis locupletaverint, nihilominus postea Gregorius XIII. pariter fe:re:certior factus, quod Fratres privilegiis dictæ Congregationis abutentes à pristinis institutis valde defecerant, & in preceps corruerant, ad instantiam Henrici Tertii Francorum Regis Christianissimi per Constitutionem editam anno 1582. Kalen. Maii dictam Congregationem extinxit, ejusque Domos, & Oratoria suis Provinciis, seu propinquioribus Ordinis retribuit; Domum autem, & Collegium Parisien. sub auctoritate Prioris Generalis reposuit, statuitque, ut in eo Collegio Classes Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Philosophiæ, & Theologiæ numquam deessent ibiq; regularis disciplina summe observaretur, & omnes studentes ibi professi, aut professuri modo in eo residerent, locum, & vocem activam, & passivam haberent, una cum Magistris, Graduatis gradu saltem Baccalaureatus formatis, Regentibus, & aliis ejusdem Domus Officialibus, & Provinciarum Galliæ in eo manentibus, quadriennio tamen professis, & in ordinibus sacris constitutis; Prior autem ipsius Domus juxta formam a Conc. Tridentino præscriptam ab habentibus auctoritatem eligeretur, & a Patre Generali ad instar Provincialium ad triennium confirmaretur; nec hujusmodi electio fieret nisi præsidente ibi Vicario, aut Commissario a Priore Generali deputato: Item quod Officiales dicti Collegii ex aptioribus, qui in quibusvis Domibus, & locis cujuscumque Provinciæ Galliæ nostri Ordinis reperirentur, licet electionis tempore in ipsis Domo, & Collegio non residerent, eligerentur, qui sic electi hujusmodi officia in virtute sanctæ obedientiæ susciperent, & si reluctassent, pœnam privationis, & inhabilitatis ad quæcumque alia officia, & gradus Ordinis concurrerent. Cæterum decursu temporis Fratres quoque in dicta Domo, & Collegio degentes privilegio immediatæ subjectionis Generali, & aliis similiter male utentes, ad vitam laxiorem se converterunt, & tanquam suæ propriæ professionis obliti, tam licentiosam vitam agere cœperunt, ut disciplinam regularem contemnere viderentur, essentque secularibus ipsis in scandalum. Et licet Nos ad eos reformandos non semel viros graves, & prudentes Commissarios alias destinaverimus, ab eis tamen ob dictorum Fratrum renitentiam, & contradictionem, nihil ad votum fieri potuit: & tandem adeo excrevit illorum vivendi libertas, ut ea offensus pientissimus, & Christianissimus Ludovicus Rex, qui modo feliciter regnat, præcipuo zelo restaurandæ observantiæ in præfata Domo, & Collegio acceptus, Superioribus Religionis significaverit, sibi pergratum fore, si illius reformatio ab eis efficaciter procuraretur. Cui tam pio voto Nos cupientes, ut ex debito officii nostri tenemur, satisfacere, instituimus Commissarium nostrum cum auctoritate reformandi

mandi dictam Domum, & Collegium Patrem Fratrem Antonium a Sancto Martino nostræ Provinciæ Turoniæ Professum Sacerdotem, qui consideratis omnibus considerandis, & prævia gravium Patrum Ordinis consultatione, tandem in hanc devenerit sententiam, quod nulla ratione Collegium præfatum reformari poterat, nisi in illud Reformatio Rhedonensis ejusdem Provinciæ Turoniæ introduceretur; & inde omnes Religiosi, qui talem observantiam amplecti recusarent amoverentur, & in alios Provinciarum Galliæ Conventus mitterentur, & statim præfatæ observantiæ introductioni fortiter, & feliciter divina cooperante gratia manum admovere cœpit. Cupientes modo Nos dictam inchoatam reformationem ad perfectum statum reducere, & constantius stabilire, duximus nonnulla statuere sub correctione S. Sedis Apostolicæ, & reservata ejus confirmatione.

Cum igitur evidentissime constet, pietatis, disciplinæ regularis, & Literarum studia in nostro Parisiensi Conventu, & Collegio Naubertino jam pridem labefactata esse, & post tentatam non semel a Nobis illius reformationem omnia in pejus abiisse: Cumque quisque probus ex Regularibus ejusdem Conventus, & Collegii, tum Conventualibus, tum Studentibus ejus reformationem petierit, & efflagitaverit, & ex eorum postulatione, certoque examine agnoverimus, radicem omnium malorum extitisse partim ipsos Conventuales in dicto Conventu, & Collegio commorantes, qui cum immediate subessent Generali numquam serie visitabantur, tum magnum numerum studentium in factiones, & discordias propter Provinciarum partes, sæpius abeuntium, & patuit insuper Nobis, quod ex septem Provinciis, quas noster Ordo habet in Gallia, tres tantum, aut quatuor ad summum in dictum Collegium, ob regularem observantiam in eo deperditam, & meram studiorum ruinam studentes mittebant, quæ mala si repararentur, pietatis, & doctrinæ fructus per totam fere Galliam cum maxima Ecclesiæ utilitate, & nostri Ordinis gloria diffunderentur: Nos, ut submoveamus, quæ pravus usus regiminis dicti Conventus, & Collegii Naubertini invexit;

I. Statuimus, & declaramus, Conventum nostrum Parisiensem Naubertinum solum fore, & esse Collegium studiorum, itaut in eo amplius non existant, nominenturque Conventuales, servata tamen ejus immediata subjectione Priori Generali Ordinis; ac ne ob talem immediationem defectu visitationis in eo iterum disciplinæ regularis aliquam patiatur jacturam, cum Pater Generalis semper longe absit, & in præsentiarum Provincia Turoniæ ex cæteris Galliæ Provinciis sit illa, in qua nunc magis viget perfecta, & solida observantia, volumus, ut ab ejus Provinciali tamquam Commissario Prioris generalis pro tempore (nisi ab eo alius Commissarius fuerit deputatus) cum suo socio ordinario singulis annis visitetur, cui tamen per ipsum Generalem quoties ei videbitur expedire, alius socius ex alia Provincia reformata in Gallia adjungi poterit. Et si quando Priori Generali placuerit, aliquem Commissarium ex aliis Provinciis Galliæ reformatis nominare, & assignare Visitatorem, semper erit Concommissarius, nisi aliter disposuerit ipse Generalis Pater Provincialis Turoniæ, saltem quousque aliæ in Gallia Provinciæ sint reformatæ juxta novas Constitutiones pro Provinciis reformatis, & reformandis compilatas, & a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Papa Octavo confirmatas, & eas esse reformatas declaraverit Pater Ordinis; Tunc enim ex illis omnibus eligi poterit ad libitum a Generali Commissarius, qui solus valeat dictum Collegium visitare: quod si ab eo nullus alius fuerit institutus, semper Commissarius, et Visitator sine alia institutione erit Pater Provincialis Turoniæ.

II. Ut dictum Collegium semper floreat in studiis, majusque incrementum in dies suscipiat, ordinamus, quod in eo numquam desint classes artium, logicæ, videlicet, Philosophiæ inclusa etiam metaphysica, theologiæ, ac diversarum linguarum.

III. Et quia solum debet esse Collegium studiorum, & pro studentibus, ut dictum est, decernimus, ne in illo deinceps admittantur aliqui ad habitum, vel ad professionem, & si qui superiores contra istud decretum facere præsumpserint, incurrent in sententiam excommunicationis, & in privationem suorum officiorum, necnon in perpetuam inhabilitationem ad similia, & alia officia religionis.

IV. Cum autem per dictum Patrem Antonium a Sancto Martino Commissarium nostrum Patribus Observantiæ Rhedonensis cura, & administratio dicti Collegii concredita fuerit, & ex illa pro ejus reformatione multi Religiosi subministrati fuerint, decernimus, & statuimus, ut etiam imposterum, donec aliter provisum fuerit per Patrem Ordinis, Patres Provinciæ Turonensis in dicta cura, & administratione perseverent, Domus regimen tam temporale, quam spirituale habeant, literarum studia dirigant, regularisque vitę disciplinam adstruant ad normam, & formam mox tradendam.

V. Exhibebit igitur dicta Provincia semper Collegio Naubertino quindecim Patres Consiliarios viros doctos, probos, & prudentes non tamen actu studentes per Provincialem, & Definitores Provinciæ assignandos, qui in regimine, & administratione Domus Priori assistant, duos pro concionibus habendis, quatuor pro confessionibus audiendis, & aliquot Fratres laicos pro necessariis ministeriis, quem tamen numerum, & augere, & minuere poterit Pater Ordinarius pro sua prudentia.

VI. Et quia ad hunc finem cura, & administratio Collegii Patribus Provinciæ

Turo-

Turoniæ demandata est, quo per eos perfecta observantia dictæ Provinciæ in illud introducatur, & introducta perpetuo conservetur; Mandamus, ut imposterum omnes Fratres pro tempore in Collegio commorantes, vivendi rationem, & formam ipsius Provinciæ Turoniæ jam longa experientia cum magno nostræ religionis splendore in multis Galliæ Conventibus, & presertim Lutetiæ in Conventu Sanctissimi Sacramenti comprobatam amplexentur sine ulla immutatione, additione, vel detractione.

VII. Cumque nunc in Collegio magnus sit professorum numerus, quorum plurimi dictam observantiam rennunt, & propterea inde sunt amovendi, in aliosque Provinciarum Galliæ Conventus distribuendi, præcipimus Patribus Provincialibus, ad quos dicti Fratres missi fuerint, ut eos tamquam Provinciæ alumnos cum voce, & loco in illa suscipiant, eisque sicut cæteris de victu, & vestitu imposterum provideant sub pœna rebellium; nec eos sub prætextu agendi negotia, vel ob aliam causam Lutetiam ad standum, & commorandum in dicto Collegio remittere, nec Superiores Collegii recipere præsument, sub eadem pœna. Si qui vero perpauci ætate, & virtute maturi in Collegio relinquentur, cum reverentia tracteotur, & cum charitate de bonis ipsiusCollegii alantur, & vestiantur, sed ipsi etiam omnia bona, quæ ad usum suum privatum habuerint, statim Superiori Collegii cum cæteris illius bonis incorporanda, & confundenda fideliter tradent sub proprietariorum pœna: & qui ob complexionis imbecillitatem severiori disciplinæ idonei non fuerint, nigro, & consueto habitu induti solum tenebuntur vivere juxta generalia Ordinis Statuta, & Ordinationes libri Visitationis, demptis nonnullis perfectæ disciplinę regulari non adeo congruentibus: Vivent autem semper sic honeste, & humiliter, ut ad regimen Domus non aspirent, & Collegii negociis nullo modo se ingerant. Quam vitæ rationem si amplecti noluerint, volumus, ut & ipsi sine mora in designandos, vel designatos sibi Conventus discedant, ne factionibus, & murmurationibus pacem religiosam, & debitam observantiam interturbent.

VIII. Imposterum, electio officialium Collegii, Prioris scilicet, Subprioris, Monitoris, seu Directoris pietatis, Discretorum, Procuratoris, Sacristæ, & Regentium spectabit solum ad supradictos quindecim Patres consiliarios de Provincia Turoniæ, necnon ad unum studentem de qualibet ex septem Provinciis Galliæ professione antiquiorem, & ad duos etiam inter Conventuales professione majores, quandiu aliqui ex eis supererint; nec quisquam aliorum præter dictos viginti quatuor, aut cum nulli ex Conventualibus extiterint, viginti duos dictis electionibus se immiscebit sub pœna rebellionis, & expulsionis a Conventu: & electio quidem Prioris fiet Præsidente Patre Provinciali Turoniæ, ut Commissario Patris Generalis, si de alio Commissario per Generalem non fuerit provisum: electio autem aliorum officialium fiet Præsidente Patre Priore Collegii.

IX. Ex dictis quindecim Consiliariis semper eligendus est Subprior, Monitor, duo Clavarii, Procurator, Sacrista, duo Regentes in Theologia, & unus in artibus; Prior autem eligi poterit ex quacumque Provincia Galliæ, quæ sit reformata juxta prædictas novas Constitutiones, licet electionis tempore in ipso Collegio non resideat. Similiter ex quacumque Provincia reformata eligi poterit Regens diversarum linguarum, secundum quod in ea aptior, & magis idoneus ad tale munus repertus fuerit: & qui fuerint electi ad dicta officia, in virtute sanctæ obedientiæ illa suscipient: quæ si recusaverint, pœnam privationis, & inabilitatis ad quæcumque alia officia incurrent.

X. Hæc autem forma servanda est in electione Prioris Collegii. Ubi celebratum fuerit, ut moris est, Capitulum culparum, & emissi, qui non habuerint locum, & vocem in electione; assumendi sunt tres Patres scrutatores de ipso gremio, quorum muous (præstito per illos prius juramento in manu Præsidentis de rite, & fideliter peragendo eorum officio) erit vota singulorum eligentium scripta, & complicata excipere in capsula, vel pixide, deinde illa extrahere, evolvere, inspicere, & publicare; quibus publicatis, & facta eorum collatione, illum, in quem omnes, vel major pars totius Collegii consenserit, Pater Præsidens nomine omnium eliget in hunc modum: Ego N. auctoritate mihi commissa meo, & horum omnium eligentium nomine eligo, & denuncio in Priorem hujus Collegii Naubertini Patrem N. Quod si in prima electione in nullum major pars consenserit, electio reiterabitur usque tertio: & si contigerit, nec in tertia electione majorem partem in unum consensisse; qui plura habuerit vota, quam aliqui alii; eligendus erit a Præsidente omine omnium modo quo supra; & statim coram gremio comburendæ sunt omnes votorum schedulæ, & advertendum, quod ante electionem prælegendæ sunt Constitutiones de requisitis eligendi in Priorem, Vocalesque curare debent, quod eligant probiorem, & meliorem secundum dictamen suæ conscientiæ, ita enim statuit Clemens VIII. fel. rec. in Decretis pro reformatione Regularium editis.

XI. Quod si evenerit, ut Provincialis Turoniæ ad prædicta officia electos ob justam causam a Collegio, vel ab officio amovendos esse judicet, id facere poterit etiam extra Visitationem tamquam Commissarius Generalis (alio Commissario non instituto a Generali): excipiendus tamen est Prior, cujus amotio solum pertinebit ad Patrem Generalem; tunc viginti quatuor supradicti in eorum locum eligent de eadem Provincia alios, qui fuerint per Pro-

Provincialem, & Definitores Provinciæ assignati, si capaces extiterint, alioquin supplebuntur de Provincia Turoniæ, reservata tamen facultate Generali aliter providendi. Licet autem Prior Collegii nequeat amoveri ab officio nisi a Patre Generali, vel ab aliquo de ejus speciali commissione; nihilominus si quis præsumpserit se indebite, & injuste ab illo aggravatum fuisse, poterit recurrere ad Provincialem Turoniæ, qui illi tamquam Commissarius Generalis justitiam ministrabit.

XII. Prior sic electus confirmandus est utique ad triennium a Patre Generali, quippe quia locum, & vocem habet ad instar Provincialium in Capitulo Generali: poterit tamen interim, dum confirmationem Generalis expectabit, Provincialium more plena auctoritate suas functiones exercere: & si Prior electus fuerit in aliqua Provincia, statim sine ulla excusatione mittetur a Provinciali, nisi in Provincialem alicujus Provinciæ fuisset electus; tunc enim alius Prior erit eligendus a Collegio.

XIII. Facienda est electio Prioris tempore tam competenti, & opportuno, quod sui officii confirmationem recipere valeat a Generali ante celebrationem Capituli Provincialis Turoniæ, & propterea eius electio non est differenda ultra mensem Octobris illius anni, qui celebrationem Capituli præfatæ Provinciæ præcedet: & ne Ordo dictæ Provinciæ interturbetur, electio officiorum, quæ jam facta est hoc anno 1636. finiet post Pascha, & tunc alia fiet de novo; at electio Prioris solum pro hac vice durabit per quinquennium usque ad annum 1641., & si evenerit, quod Pater Generalis ob aliquam justam causam Capitulum Provinciale Turoniæ distulerit ultra triennium, idem faciet si ei placebit de Priore Collegii, alii autem officiarii eligentur per Capitulum Provinciale, ubi tamen ab ipso Capitulo assignati fuerint Consiliarii, & Regentes in Collegio, uti fieri solet in aliis Conventibus.

XIV. Per hactenus statuta intentio nostra non est jus, quod habent omnes Provinciæ Galliæ mittendi studentes ad Collegium Naubertinum abrogare, & auferre. Nihilominus ne ob conservationem talis juris reformatio Collegii aliquo pacto unquam imminuatur, statuimus, ut deinceps nullus studendi causa in dictum Collegium mittatur, nisi a Provinciali, & Patribus Definitoribus Provinciæ, cujus fuerit alumnus, quique non compleverit novitiatum, & unum saltem annum in Conventu efficaciter reformato juxta novas Constitutiones a Sanctissimo approbatas, & quem reformatum esse declaraverit Pater Generalis pro tempore.

XV. Volumus etiam, ut ex illis Provinciis Reformatis, & talibus a Generali declaratis, unus eligatur ex tribus Lectoribus in Theologia, unus quoque in artibus, si qui inter eos fuerint capaces, duo Item Clavarii (numquam tamen duo ex eadem Provincia ad ea officia simul eligentur) & sic electus vices supplens antiquioris ex sua Provincia illam, ejusque jura in administratione Collegii repræsentabit: reliqui autem omnes officiarii Collegii erunt de Provincia Turoniæ, Generali aliter non disponente, ut supra jam dictum est, & Provincialis dictæ Provinciæ Turoniæ, dum Commissarius Generalis fuerit, non permittat juxta suæ Provinciæ usum aliquos in Collegio, sive laicos, sive Patres Consiliarios, aliosve præter studentes commorari ultra tres, vel ad summum sex annos, exceptis Lectoribus in artibus, & in Theologia secundo, & tertio, qui per plures annos, si illustriores fuerint in doctrina, poterunt in lectura continuare.

XVI. Et ne aliquid per ista nostra decreta sanctionibus, & usibus facultatis Parisiensis detrahatur, concedimus, ut ex omnibus Provinciis præsentari possint studentes ad gradus, & Doctoratum, ut moris est, dummodo graduati nullo fruantur privilegio in Provinciis, vel Conventibus reformatis, sed solum in ipsa Universitate: & ne exceptio personarum noceat, septem Provinciæ Galliæ, videlicet Narbonæ, Franciæ, Aquitaniæ, Provinciæ, Tolosæ, Vasconiæ, & Turoniæ juxta ordinem in statutis antiquis præscriptum, graduandos præsentabunt; nimirum in prima licentia per nominationem Provinciali, & Definitoribus Provinciæ Generali factam, & per promotionem ipsius Patris Generalis, præsentabuntur Priori Parisiensi, & Doctori primario duo è Provincia Narbonæ, & duo è Provincia Franciæ, in secunda duo è Provincia Aquitaniæ, & duo è Provincia Provinciæ, in tertia duo è Provincia Tolosæ, & duo è Provincia Vasconiæ, in quarta duo è Provincia Turoniæ, & duo è Provincia Narbonæ, & sic per vices, & ordinem, seu circulum, quod si aliqua Provincia ordine præscripto duos è suis minime præsentaverit, sequens supplebit, isque ordo in libro Conventus describetur.

XVII. Ut autem ambitiones honorum, immoderatæ cupiditates, excursiones, & similia monasticę vitæ repugnantia prorsus evitentur, districte prohibemus, ne ulli studentium in Collegio Naubertino locum, & præcedentiam, seu sedis prærogativam in licentiis ambiant, & captent pro se, alioquin eorum præsentatio nulla sit, & nullius valoris. In præsentatione graduandorum a Collegio facienda Universitati Sorbonæ, ut omnis ambiendi occasio tollatur inter studentes, nationes, & Provincias, è nominatis, ut supra præsentatio fiet per electionem canonicam a Priore, et viginti quatuor Consiliariis, præmisso juramento de digniore eligendo juxta dictamen propriæ conscientiæ.

XVIII. Baccalaurei, & Licentiati regulas omnes, & leges inclitæ Facultatis in ea observabunt: sed alibi puta in Ecclesia, Capitulo, Processionibus, & similibus tam extra, quam intra Conventum, nullo prorsus privilegio, prædecentia, voce, & loco, aut exemptione, eo præciso titulo gaudebunt,

bunt: cum ista privilegia ob eorum abusum omnium fere malorum radix hactenus extiterint: sed exceptis Consiliariis viginti quatuor, ut mox dicetur, omnes indiscriminatim locum præcedentiæ habebunt secundum antiquitatem temporis, quo in Collegio recepti fuerint, itaut prior locus sit is, cujus nomen prius in cathalogo studentium fuerit matriculatum. Si duo simul advenerint, antiquior in ordine describetur: in nominibus quoque, & appellationibus omnes sequentur Constitutiones reformationis, nec vocabuntur amplius Magistri, mea licentia, mea Provincia, meus Conventus, & similia, & nullus theses imprimere, vel dedicare, aut Præsidentem eligere poterit, absque expressa licentia Prioris, & Patrum, qui illi erunt a consilio.

XIX. Igitur in Choro, in Refectorio, in Capitulo, in Processionibus, & in aliis denique omnibus sequens ordo inviolabiliter servabitur, Prior, Subprior, Primarius Regens, Pater Monitor, & cæteri Patres de Consilio quisque secundum antiquitatem professionis in ordine; reliqui omnes, tam regulares, quam studentes ex quavis Provincia secundum admissionem, & receptionem in Collegio, servata sacrorum ordinum dignitate: debent enim Sacerdotio insigniti Diaconos præcedere, Diaconi Subdiaconos, & isti alios inferiores.

XX. Patres Turoniæ aliter non disponente Patre Generali habebunt semper a sua Provincia in Collegio saltem duas partes e tribus, demptis laicis, qui solum debent esse de Provincia Turoniæ, quamvis omnibus ex æquo inservient: v. g. si Collegium poterit tenere, & alere centum Religiosos esse poterunt e Provincia Turonensi sexaginta, videlicet quindecim Consiliarii a Provinciali, & Definitoribus assignandi, ex quibus officiarii eligantur circa quadraginta quinque studentes, quorum conditio pro regimine, & loci prærogativa non alia erit, quam reliquarum Provinciarum: & circa triginta studentes ex aliis sex Provinciis, & sic deinceps servata proportione, & circiter decem Fratres laici: ex qualibet vero aliarum sex Provinciarum poterunt mitti sex, aut septem studentes, sed pro illis supplendis e Provincia Franciæ quindecim, aut viginti, donec post aliquod tempus pro Collegii capacitate de consilio Patrum Consiliariorum mittendorum numerus augeatur.

XXI. Ut proprietatis vitium cæterorum origo, penitus eradicetur, omnes Missarum, Officiorum, Concionumque eleemosynæ, ac cæteræ fidelium oblationes cedent in bonum publicum Collegii, nec ex stationibus, & concionibus studentium, aliisve bonis, quidquam in bonum Provinciæ Turonensis, aut alterius convertatur ab Officiariis sub pœna furum, & proprietariorum: si quis tamen e quindecim Consiliariis, aut aliis non studentibus per Octavam Sanctissimi Sacramenti, per Adventum, & Quadragesimam concionatus fuerit, eleemosynæ ex illis provenientes cedent in bonum Provinciæ juxta illius Constitutiones, & laudabilem praxim, nisi eam immutandam aliquando rationabiliter judicaverit Pater Generalis. Si qui actu studentes ex aliqua ex septem Provinciis per Octavam SS. Sacramenti, per Adventum, & Quadragesimam concionati fuerint, mercedem, & eleemosynas quas acceperint, in bonum Collegii offerent; eo anno nullam pensionem solvant. Quod si eleemosynæ ex statione alicujus studentis pensionem Collegio solvendam excedent, reliquum servabitur ad theseon impressionem, aliasque impensas Doctoratus, quæ a Provinciis singulorum, qui ad gradus promovebuntur, vel ex singulorum conventibus solvendę essent. Si aliquando pensiones extinctæ fuerint, omnium studentium conciones erunt pro hujusmodi Sorbonæ impendiis, & bono Collegii. Si qui ex aliis Provinciis concionabuntur, posito quod non sint actu studentes, sed solum Consiliarii Collegii, & Officiarii, ut Licentiati, aut tamquam hospites in Collegio commorentur, eleemosynæ ex stationibus, & concionibus octavæ, Adventus, & Quadragesimæ provenientes cedent in bonum Provinciæ, cujus fuerint alumni deductis impensis pro itinere, victu, & aliis, si a Collegio subministratæ fuerint. Eleemosynæ, quæ a quolibet tam Officiariorum, quam studentium colligentur ex concionibus Dominicarum, & Festorum per annum tam intra Urbem, quam ruri in paræciis, sicut aliæ omnes quocumque titulo erogatæ, cedent in bonum publicum totius Collegii.

XXII. Quia æquum est, ut a Collegio summa cura, & charitate omnibus æqualiter tam Officiariis, seu Administratoribus, Consiliariis, Confessoribus, & Concionatoribus Collegii, quam studentibus sanis, & ægrotis pro victu, & etiamsi fieri poterit, pro vestitu, calefactione, chartis, calamis, libris &c. subministrentur; nullus imposterum in Collegio admittatur ad studia, pro quo Provincialis, & Prior, a quibus mittetur, non solvat per anticipationem mediam pensionem bis in anno, scilicet in festo Exaltationis Sanctæ Crucis, & in festo Paschatis Dominicæ Resurrectionis, pro Sacerdotibus quadraginta quinque libras cum singulis illorum missis, quas quotidie pro Collegio celebrare tenebuntur juxta Constitutiones Reformationis, pro non Sacerdotibus septuaginta quinque libras: tenebunturque singulæ sex Provinciæ cum ea pensione saltem quatuor studentes Lutetiam mittere studendi causa. Poterunt tamen Patres Consiliarii, si quando Collegio Deus opes abundantius impertierit, dictam pensionem imminuere: immo optamus Collegium ad tale statum quamprimum pervenire, ut nulla solvatur pensio saltem pro victu, sed certo numero studentes ex singulis Provinciis gratis proportionaliter recipiantur v. g. decem ex unaquaque Provincia, & triginta quamdiu

aliter non disposuerit Generalis ex Turonensi, cui Collegii cura, & administratio commissa est. Interim si dictus Prior, & Provincialis non solverit pensionem per mensem, e Collegio remittantur studentes, nec quisquam deinceps mittatur, qui non sit de omnibus necessariis provisus, honesteque, & religiose in omnibus vestitus, & semel decem aureos ingrediendo solvat pro suppellectili, quam Collegium postea tenebitur resarcire, & conservare in cellulis a Priore, Subpriore, & Clavariis juxta Regulam cuilibet assignandis. Item non mittantur imposterum ex Provinciis studentes, nisi in temporibus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, & Sancti Remigii, cum videlicet interruptus studiorum cursus ob conciones Adventus, & Quadragesimæ, & ob vacationes a decima die Septembris usque ad finem. iterum aperietur.

XXIII. Quia vero Provincia Turonensis, ut Superioribus obsequeretur, obedientiae, & Reformationem dicti Collegii juvaret, ingentes fecit expensas, & faciet imposterum, totumque onus administrationis, & præcipuas partes Regularitatis sustinet; volumus, ut ex illa Provincia solum pro decem studentibus taxata pensio solvatur, quandiu hujusmodi pensiones non extinguentur, & quod reliqui omnes ut necessarii pro Reformatione in Collegio gratis admittantur, videlicet viginti quatuor Consiliarii ex quacumque fuerint Provincia, Concionatores duo, atq; Confessarii quatuor, nisi aliter circa prædicta Pat. Generalis Ordinis pro tempore faciendum judicaverit. Pro Hospitibus ex septem Provinciis, si ultra tres dies in Collegio remanserint, per singulos dies pro eorum victu, & suppellectili solventur sexdecim asses, alioquin dimittantur, eisdemque de vestitu sumptibus Provinciæ providebitur; pecunias autem omnes, si quas apud se habuerint, in manu Procuratoris, & Clavariorum custodiendas deponent, omnesque Reformationis, & Collegii Constitutiones exacte observabunt, alioquin dimittentur.

XXIV. Provincialis Turoniæ in Collegio ordinarie non commorabitur, nisi durante visitatione, quam ultra quindecim dies non poterit protrahere, & si vocabitur, aut necessitas requiret jubente Generali, poterit nedum semel in anno, sed toties quoties Collegium visitare; quoties per modum Hospitii in Collegio erit, Prior & si omnes alios Provinciales in Collegio præcedat, illi tamen præcedentiam dabit. In sua visitatione annua nihil omnino præter victum moderatum sumet a Collegio, siquidem omnia habere poterit a sua Provincia, & a Conventu Sanctissimi Sacramenti; in quo poterit, si voluerit residere, si tamen ipse aliunde vocabitur ad visitationes extraordinarias, viaticum solvetur a Collegio vocante, ut moris est.

XXV. Prioris Officium erit totam Collegii Domum regere, & administrare cum plena auctoritate cum assistentia tamen, & consultatione PP. a consilio, de quibus supra. Officium Subprioris in absentia Prioris erit ejus vices gerere, in Choro autem, & regularitate etiam præsente Priore suum officium libere exercebit. Primarii Regentis in omnibus actibus studiorum, ut sunt lectiones, disputationes &c. post Priorem (si hic adesse voluerit) præsidere, disputationes moderari, theses approbare, & omnia alia agere, quæ nonnisi a Doctore fieri decreta sacræ facultatis imperant; nullam tamen licentiam studentibus eundi extra Conventum, vel redeundi, aut similem concedet. Monitoris officium erit omnes Fratres præsertim juniores dirigere, & invigilare, ut semper in eis pietatis studium, orationis, & scientiæ misticæ amor vigeat, ideoque visitabit omnes, exhortationes habebit, culpas audiet, nisi eas audierit Prior, vel Subprior, aliaque omnia aget juxta Regulas Monitoris a Constitutionibus traditas.

XXVI. Quicumque singulo anno examinatus a P. Provinciali Turoniæ, ut Commissarius Generalis, a Priore, Regentibus, & tribus, aut quatuor Consiliariis per duos annos studens non perfecerit, sine mora in suam Provinciam remittetur; Item qui post duos annos philosophiæ, & quatuor theologiæ completos promotionem a Generali non obtinuerit, qua etiam obtenta statim ac Baccalaureus receptus fuerit, remittetur ad suam Provinciam, donec tempus ingrediendi licentiam advenerit, ne longiori mora Collegium oneretur, & ut interim locus detur aliis studentibus, & ut etiam ipsi Baccalaurei tempus licentiæ expectantes suis Provinciis valeant inservire. Item quicumque duos annos licentiæ expleverit, nisi inter duos menses inaugurandus sit, redditurus tamen cum laurea doctoratus donandus erit, qua insignitus recedet statim in suam Provinciam, nisi ad aliquod Collegii officium eligatur modo, quo supra Prior, & Primarius Regens ultra triennium, Subprior, & cæteri Officiarii, Consiliarii, Concionatores, Confessores, & laici ultra sexennium nunquam protrahentur, diligenterque advertant illi, quibus Collegii cura commissa fuerit ultra regularitatis, & pietatis domestica exercitia, vix alia, quam doctrinæ studia, veluti in Collegio vigere debere: ideoque demptis quatuor Confessariis ordinariis, cum aliis Officiariis, qui diebus festis confessiones intra Ecclesiam Monasterii audire poterunt, & uno, aut altero Concionatore, rarissime, & nunquam, nisi ex extrema necessitate, mittentur ad ægros invisendos ad visitationes faciendas, & similia, quæ a non studentibus tantum debent exerceri.

XXVII. Prior Collegii de consilio Subprioris, Doctoris primarii, quatuor Clavariorum, & Lectoris, de cujus classe unusquisque erit, studentes discolos, & irregulares cujuscumque Provinciæ ter monitos, nisi resipiscant, & Constitutio-

nes

nes observent, statim sine mora, a Collegio expellat, & si quis se opposuerit, etiam ipse expellatur. Dimissus ob culpam, quæ graviorem pœnam mereatur, nunquam recipietur in Collegio sub pœna depositionis ab officio mittenti, & recipienti. Si quis a disciplina regulari ad fora secularia quocumque titulo, vel colore appellaverit, hoc ipso excommunicatus erit, ut habetur in Statutis, & in Sacris Canonibus.

XXVIII. Nemo ad sacros ordines, & ad Confessarii, aut Concionatoris munus destinabitur, nisi examinatus, & approbatus a Priore, Subpriore, Monitore, & duobus Professoribus Theologiæ, cum licentia P. Prioris in scriptis quoad confessiones, & conciones, & quoad ordines cum licentia Provincialis, de cujus Provincia erunt ordinandi.

XXIX. Ordo regularitatis intra Collegii is observetur, qui in Constitutionibus, & in praxi Provinciæ Turonensis præscribitur. Si quæ difficultates circa illum orientur, suffragiis Prioris, Subprioris, Doctoris, Monitoris, quatuor Discretorum, seu Clavariorum, duorum Lectorum in Theologia, & duorum in Philosophia decidentur.

XXX. Si hujusmodi difficultates circa regularitatem, studia, pensiones, officia, celebrationem missarum, & similia majoris momenti emerserint, decidentur a Patre Priore, & a toto consilio viginti quatuor, etiamsi opus fuerit, per suffragia secreta, & hæc omnia in libro Capituli fideliter describentur.

XXXI. Quia vero pleraque scandala ex secularium vicinitate, & commixtione cum illis in Choro oriuntur, diligentia Commissarii, & Prioris, Chorus separatus statim fabricetur, vel sedilia præsentis Chori sic claudantur, ut nec contactus, nec prospectus inter fratres, & seculares esse queat.

XXXII. Nullus deinceps ad studia, aut officia in Collegio admittatur, quin juret, atque in libro receptionis subscribat, se omnes tam Constitutiones supra nominatas, quam has leges, istave Decreta observaturum, idque etiam scripto testabuntur Provinciales in Literis, in quibus Regulares suos Lutetiam mittent, alioquin in Collegio non recipiantur: Alia multa, quæ necessaria, vel opportuna esse possunt pro bono regimine Collegii, præscripta sunt in novis Constitutionibus Reformationis, quæ nedum in dicto Collegio, sed etiam in omnibus aliis Conventibus reformatis, & reformandis vigere debent.

Fr. Theodorus Stratius Generalis Carmel. Antiquæ Obs. Reg.

Idem Prior dd. Constitut. apostolica auctoritate confirmari petit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Theodorus Prior Generalis plurimum cupiat, præinsertas Constitutiones hujusmodi pro firmiori earum subsistentia, & inviolabili observantia apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut ejus votis hujusmodi annuere, ac desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Urbanus.

§.3. Nos igitur Domus regularis, & Collegii præfatorum prosperam, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, dictumque Theodorum Priorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones præinsertas hujusmodi, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas necessarias apponit.

§.4. Decernentes, easdem Constitutiones ab omnibus, & singulis Domus regularis, & Collegii præfatorum Fratribus, & personis sub pœnis in eis contentis inviolabiliter observari, easque, ac præsentes Literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 25. Jan. 1637. An.XIV.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 25.Januar. 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

DXXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Erectio duodecim Alumnatuum in Collegio Urbano de Propaganda Fide pro Georgianis, Persis, Nestorianis, Jacobitis, Melchitis, & Cophtis.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Altitudo divinæ providentiæ, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea interdum fidelium animis suggerit, quæ ad christianæ religionis, & pietatis propagationem maxime profutura esse dignoscuntur: Unde Nos universi gregis dominici grave pondus nostris humeris impositum sustinentes, de animarum pretioso Salvatoris nostri Jesu Christi, qui post gloriosam ejus resurrectionem ad sempiterna regni cœlestis tabernacula ascensurus, Disci-

Discipulos suos per universum mundum evangelium omni creaturę prędicare jussit, cujusque vices in terris gerimus, sanguine redemptarum assidua meditatione soliciti ad ea, per quæ fidei orthodoxæ jam dudum per universas mundi regiones disseminatæ, ac antiqui serpentis calliditate in diversis mundi partibus diversimode violatæ, & conculcatæ splendori salubri remedio restituendo, & propagando consulitur, sincerique ejusdem religionis ministri ad solicitudinis nostræ partem animarum videlicet curam sustinendum, & vera fidei documenta prædicandum instruuntur, libenter intendimus; ac iis, quæ per Chstifideles quoslibet præsertim S.R.E. Cardinales, pro eximia eorum devotione, & provido, sinceroque mentis affectu, pro divini cultus incremento liberaliter determinata fuerunt, apostolici favoris ultro impertimur suffragium.

Anton, Card. Barberinus in Alumnatus in Collegio Urbano erigere, ac dotare cupit.

§.1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, dilectus filius noster Frater Antonius Barberinus tituli S. Honuphrii Presbyter Cardinalis ejusdem Sancti Honuphrii nuncupatus noster secundum carnem Frater germanus major Pœnitentiarius, & Bibliothecæ Apostolicæ Præfectus, ac unus ex ejusdem S. R. E. Cardinalibus super negotiis de fide catholica propaganda deputatis cupiens pro suis viribus Sanctissimum, & R. E. utilissimum opus dictæ Congregationis manutenere, illudque in dies ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, & animarum salutem augere, ex bonis sibi ab eodem omnipotente Deo collatis unum Collegium, seu Alumnatum duodecim pro nunc Alumnorum ex infrascriptis Nationibus nominandorum, qui sub jurisdictione ejusdem Congregationis, ac sub regimine, & disciplina pro tempore existentis Rectoris, & juxta Constitutiones Collegii de Propaganda Fide vivere, & educari debeant, cum dote, quæ numquam alienari, & cujus fructus in alium præterquam victus, & vestitus dictorum duodecim Alumnorum usum converti non debeant, aut possint, assignatione, & cum jurispatronatus ad favorem domus nostræ Barberinæ reservatione infrascripta fundare, & dotare decrevit. Nos tam pium opus, quantum in Nobis est, confovere, & ad optatum finem perducere sinceris desiderantes affectibus, ad illud totis viribus promovendum animum, & mentem nostram convertimus.

Pont. erigit, Nationes, ex quibus desumendi sunt Alumni, eorum qualitates, aliaq; his similia præscribit.

§.2. Quocirca motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, unum Collegium, seu Alumnatum pro duodecim pro nunc Alumnis bonæ complexionis, ac mente, & corpore sanis, sine ullo corporali defectu, non minoribus quindecim, nec majoribus viginti, seu viginti unius annorum, in latina, vel italica lingua aliquando introductis, ex infrascriptis Asiæ, & Africæ nationibus tantum eligendis, & nominandis videlicet Georgianorum, & Persarum; ac Nestorianorum, necnon Jacobitarum, & Melchitarum, necnon Cophtarum, duos videlicet pro qualibet Natione; quem tamen numerum idem Fr. Antonius Card. ad decem, & octo tres scilicet pro qualibet earumdem nationum, vita comite, & divina bonitate illius conatus prosperante quandocumq; arbitrio suo augere valeat, ita tamen, ut si aliquando contigerit aliqua vice non posse ex aliqua, vel aliquibus ex nationibus superius designatis infra annum, vel ad summum biennium haberi Alumnos, assumentur ex aliis nominatis, aut etiam Armenorum nationibus: quo casu fructus locorum vacantium anni, vel biennii hujusmodi ad ferendas Alumnorum necessitates reserventur, vel iis cessantibus, pro augendo Alumnorum numero investiantur; ipsique Alumni sub Rectoris disciplina, & regimine, necnon sub Regulis, & Constitutionibus dicti Collegii de Propaganda Fide vivere debeant eo modo, quo vivunt cæteri Alumni, qui de præsenti in ipso Collegio de Propaganda fide educantur, inter quos, & Alumnos Collegii, & Alumnatus sic noviter erecti nullam prorsus volumus adesse differentiam, nisi circa novorum Alumnorum in Collegio admissionem, ad nominationem pro tempore existentis patroni, ut infra disponetur, faciendam, teneantur etiam noviter erecti Collegii, seu Alumnatus hujusmodi Alumni aliud juramentum a Congregat. de Propaganda Fide Pontificiis Collegiis præscriptum præstare, excepta prohibitione, ut fiant sine speciali licentia regulares, quia noviter erecti Collegii, seu Alumnatus Alumnos Religionem Sancti Antonii, seu Sancti Basilii ingredi, & in earum qualibet professionem regularem emittere volumus, apostolica auctoritate, tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Dotem pro hujus Alumnatibus a Card. Barberino parandam assignat.

§.3. Eique sic erecto, & instituto pro ipsius Alumnorum sustentatione, & aliorum onerum supportatione redditus annuos per eundem Fratrem Antonium Cardinalem assignatos tot videlicet loca montium non vacabilium de Urbe, ex quibus quolibet anno ad minus octingenta quinquaginta scuta percipiantur, & assignandos perpetuo concedimus, & assignamus.

Jus nominandi Alumnos Familiæ Barberinæ reservat.

§.4. Jus vero nominandi Alumnos prædictos juxta modum, & formam suprascriptam, & cum conditionibus infrascriptis eidem Fratri Antonio Cardinali, donec vixerit, reservamus; sequuto vero obitu ejusdem Fratris Antonii Cardinalis dilectis filiis nostris Francisco Sancti Laurentii in Damaso Barberino nuncupato S.R.E. Vice-Cancellario, & Antonio Sanctæ Agathæ Diaconis Antonio respective nuncupatis ejusdem S. R. E. Cardinalibus nostris secundum carnem ex fratre germano nepotibus, qui per turnum alternis vicibus nominare debeant; ipsis vero deficientibus Cardinalem, si tunc, vel quandocumque aderit, de familia nostra Barberina ex linea dilecti filii Nobilis viri Thadei Barberini nostri

noſtri etiam ſecundum carnem ex Fratre nepotis Urbis Pręfecti,& Principis Præneſtin. deſcendentem, & in defectu Cardinalis, Prælatum, & non exiſtente tunc Prę-lato, perſonam eccleſiaſticam de eadem familia, & deſcendentia in jure, & facultate nominandi Alumnos hujuſmodi ſuccedere etiam volumus, ſtatuimus, & ordinamus: & ſi forte evenerit, quod eodem tempore extarent plures Cardinales de ejuſdem Thadei Præfecti, & Principis familia, & deſcendentia, omnes in jure, & facultate nominandi hujuſmodi æqualiter ſuccedere, & nominationem ipſam per turnum, & alternatim fieri debere, decernentes, inter plures vero Prælatos, & perſonas eccleſiaſticas ille ſolus ſuccedat, & jus habeat nominandi, qui majorem obtineat Prælaturam, & inter ęquales ætate major fuerit. Quoties vero defecerint Cardinales, Prælati, & reſpective perſonę eccleſiaſticæ de linea dicti Thadei Præfecti, & Principis, tunc facultatem, & jus nominandi hujuſmodi per ipſum Thadeum Præfectum, & Principem, eoque non eſiſtente, vel quandocumque deficiente per vocatos, & compræhenſos in jure ſuccedendi per Nos ordinato in perpetuum aſſumi, & reaſſumi, idque toties, quoties caſus deficientiæ Cardinalis, Prælati, & perſonæ eccleſiaſticæ, ac ejuſdem Thadei Præfecti, & Principis deſcendentia evenerit, fieri debere ſimiliter decernimus, ac hujuſmodi nominationem non poſſe fieri, niſi de Alumnis ex nationibus ſupra expreſſis, itaut ex qualibet ſuperius expreſſarum nationum adſint in Alumnatu ſaltem duo, qui habeant ſupradicta requiſita, & aliter factam nominationem nullam eſſe, nullumque jus nominato tribuere declaramus.

Nominationẽ Alumnorum a S. Congr. de Propag. Fide confirmari jubet.

§.5. Et inſuper nominationes Alumnorum per patronos prædictos pro tempore nominatorum confirmationem per S.R.E. Cardinales Congregat. de Propaganda Fide pro tempore deputatos, qui antequam ad hujuſmodi confirmationem deveniant, quod in nominatis qualitates ſuperius requiſitæ concurrant, certi eſſe debeant, & ante confirmationem prædictam nominatos nullo modo in Alumnatum recipi, aut admitti mandamus.

Hujuſmodi Alumnis cæterorum privilegia concedit.

§.6. Demum eiſdem, aliiſque dicti Alumnatus perſonis, ut omnibus, & quibuſcumque privilegiis, eſemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis quibus omnes, & ſinguli dictæ Congregationis de Propaganda Fide Alumni, & aliæ perſonæ quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia concedimus, & indulgemus, illaque eiſdem communicamus.

Clauſulæ.

§.7. Decernentes, præmiſſa omnia, & ſingula, ac præſentes literas nullo unquam tempore ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in jus, vel controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci poſſe; ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes Clericos, & ejuſdem S. R. E. Camerarios, & alios Cardinales, ac Vice-Camerarios, nec non cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutorũ deputatio.

§.8. Quocirca dilectis filiis, & pro tempore exiſtentibus Urbis Gubernatori, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & noſtro in eadem Urbe ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & pro parte nunc, & pro tempore intereſſe habentium fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit firmiter, & inviolabiliter obſervari, ac nunc, & pro tempore intereſſe habentes illos pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari; Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas, ſervata forma Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Obſtantium derogatio.

§.9. Non obſtantibus noſtra de gratiis ad inſtar non concedendis, necnon quibuſvis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis prædictæ Congregationi, & quibuſvis Univerſitatibus, Collegiis, eorumque Superioribus, Deputatis, Rectoribus, Alumnis, & aliis perſonis etiam ſub quibuſcumque verborum ten., & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac aliàs quomodolibet in contrarium conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, &

indivi-

individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, & inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse motu pari derogamus contrariis quibuscumque. Aut si quibusvis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§.10. Volumus autem, quod præsentium Literarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis, aut alicujus curiæ ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausulæ penales.

§.11. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, assignationis, reservationis, decreti, declarationis, concessionis, indulti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 23. Martii 1637. An.XIV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimosexto, decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXXII.

Ne Fratres Discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniæ, post emissam Professionem possint transire ad Ordinem Fratrum Minimor. S. Francisci de Paula.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs hic Pontifex edidit Const. præcedentem.

§.1. Aliàs a Nobis emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Commissi Nobis per abondantiam divinæ gratiæ pastoralis debitum postulat &c. *Omittitur residuum, quia habes Const.CCCL. Tom.VI. Par.I. fol.*243.

Nunc ad tollendam hæsitationem, an liceat his Fratribus transire ad Ordinem Min. S. Francisci de Paula

§.2. Sed ne aliquis dubitare possit, an Fratribus prædictis, per præinsertas nostras Literas hujusmodi, in illis verbis, Etiam emissionis quarti voti, vel strictioris regulæ prætextu, transitus ad Ordinem Minimorum Sancti Francisci de Paula nuncupatorum prohibitus sit.

Procurator Generalis pro declaratione supplicat Pon.

§.3. Ideo pro majori quiete, & conservatione regularis observantiæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Sanctissimę Trinitatis hujusmodi, dilectus filius Joannes de Annunciatione ejusdem Congregationis Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium providere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui declarat quod prohibitio præinserta includat etiã transitum ad Ordinem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula

§.4. Nos igitur eumdem Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, tenore præsentium declaramus, prohibitionem in præinsertis nostris literis contentam, & expressam, quod nimirum, non liceat Fratribus Discalceatis Congregationis hujusmodi post emissam in ea professionem ad alium ordinem, seu Religionem, præterquam Fratrum Carthusianorum, ut præfertur, transire, comprehendere etiam Ordinem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula.

Prohibetque ne de cætero transeant ad d.Ordinem.

§.5. Ac proinde omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis ejusdem Congregationis Sanctissimę Trinitatis, tam laicis, quam cæteris choro deputatis, explicite, nominatim, & expresse prohibemus, ne de cætero, sub prædictis, & aliis quibusvis prætextibus, & aliàs, quam ut præfertur, ad secundo dictum Ordinem Fratrum Minimorum hujusmodi transire quoquo modo audeant, seu præsumant.

Ac irritat professionẽ emissam contra istam, vel præcedentẽ Constitut.

§.6. Decernentes, si aliquis Religiosus ex prædictis Discalceatis jam professus novam professionem in prædicto eorundem Minimorum S. Francisci de Paula, vel in alio quolibet Ordine quomodocumque nuncupato emiserit, ultra pœnas in prædictis nostris literis appositas, professionem hujusmodi ipso facto nullam, irritam, & inanem, nulliusque valoris, & effectus: Eodemque prorsus modo, professionem per eosdem primo dictos Fratres in OrdineCarthusianorum hujusmodi emissam absque licentia prius petita, & obtenta a Superioribus prædictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Sanctissimę Trinitatis hujusmodi, etiam ipso facto nullam, irritam, & inanem, nulliusque valoris, & effectus existere, & fore, ac irritum, & inane, si secus super his a

quo-

quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatque contrariis.

§. 7. Non obſtante, quod de jure communi conceſſum eſt *in cap. liceat*, de Regularibus, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictorum Ordinum, & Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis Congregationi, & Ordinibus hujuſmodi, illorumque quibuſvis perſonis, & fratribus, ſub quibus verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Hujus Conſt. tranſumptis ſidem adhiberi mandat.

§. 8. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & Miniſtri Generalis, ſeu Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ eorumdem Fratrum Diſcalceatorum, ſeu alicujus Prælati, vel perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, & Notarii publici manu ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 4. Aprilis 1637. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 4. Apr. 1637. Pontificatus noſtri Anno Decimoquarto.

DXXXIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

De Conſtitutionibus Clericorum Regularium Minorum emendatis a Congregatione Epiſcoporum, & Regularium impoſterum obſervandis non obſtantibus Decretis Clementis VIII.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Clem. VIII. prohibuit, quominus regulares ad habitū, & profeſſioné admitteré ut in Domibus a ſe non approbatis.

Aliàs poſtquam fel. record. Clemens Papa Octavus Prædeceſſor noſter ſuo Decreto, ſeu Decretis deſuper editis diſtricte præceperat, & mandaverat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuſcumque, cæteriſque Superioribus Conventuum, Monaſteriorum, Domorum, & aliorum Locorum regularium quorumcumque Ordinum, nonnullis tunc exceptis, & in Decretis hujuſmodi expreſſis, ne ſub cujuſvis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per Literas in forma Brevis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad habitum regularem ſuſcipiendum, nec etiam Converſos, niſi in Conventibus, Monaſteriis, & Domibus, auctoritate ejuſdem Clementis Prædeceſſoris in unaquaque Provincia deſignandis recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere ullo modo auderent ſub certis tunc ſimiliter expreſſis pœnis per contrafacientes eo ipſo incurrendis: receptiones vero, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujuſmodi Decretum, ſeu Decreta admiſſi fuiſſent, nullas, & irritas eſſe ad quemcumque effectum, ex tunc decreverat, & declaraverat idem Clemens Prædeceſſor: qui excipiendo in eiſdem Decretis nonnullas alias Religiones ordinaſſe cenſebatur, ut dilecti filii Præpoſitus Generalis, & alii Superiores Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum, & illius Inſtituti Religioſi tamquam non excepti, ſub Decreto, ſeu Decretis hujuſmodi comprehenderentur.

Poſtmodum vero ab hac lege Clericos regulares Minores excepit.

§. 2. Comperto poſtmodum, eoſdem Præpoſitum, Superiores, ac Religioſos laudabiliter progredi in via mandatorum Domini, ac religioſæ vitæ exemplo, religioſiſque exercitationibus aliis ad ſalutem prodeſſe, ſupplicationibus eorumdem Præpoſiti, aliorumque Superiorum hujuſmodi ſibi humiliter porrectis inclinatus, per ejus Literas in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris die 10. Martii 1600. expeditas, eiſdem Præpoſito Generali, ac aliis Superioribus Clericorum Regularium Minorum hujuſmodi, ut Novitios recipere, eiſque habitum per eos geſtari ſolitum exhibere, illoſque poſtquam Novitiatus annum explevisſent, ad profeſſionem per eos emitti conſuetam admittere, ſervata tamen Decretorum dicti Clementis Prædeceſſoris deſuper editorum, ac aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum forma libere, & licite poſſent, & valerent, licentiam, & facultatem conceſſit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictis ſuis Decretis, & aliis quibuſcumque in contrarium facientibus, & prout latius in eiſdem Literis, quarum tenores haberi volumus pro expreſsis, continetur.

Dubitantibus tamen nonnullis de ſuæ profeſſionis validitate ob non ſervatam primam Decreti Clementini partem;

§. 3. Cum autem, ſicut dilecti filii modernus Præpoſitus Generalis, & Aſſiſtentes generales Congregationis Clericorum Minorum hujuſmodi Nobis nuper exponi fecerunt, licet ipſi in vim prædictarum Clementis Prædeceſſoris Literarum in forma Brevis, ut præfertur, expeditarum Novitios ad habitum abſque Domorum, ſeu Locorum Regularium deſignatione hujuſmodi, prout Decreta prædicta requirunt, admiſerint; nihilominus nonnulli dictæ Congregationis profeſſores, ſive obſervantiæ, vitæque regularis minus amantes, ſive nimio ſcrupulo ducti voluerint, & velint dubitare de validitate ſuarum profeſſionum per eos a tempore dictorum Decretorum emiſſarum, & actuum inde hucuſque ſequutorum, aut ſaltem uſque ad tempus, quo

quo Constitutiones dictæ Congregationis per rec. mem. Paulum Papam Quintum etiam Prædecessorem nostrum in forma specifica, & prævia diligenti earumdem Constitutionum per Venerabiles Fratres nostros, tunc suos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositos revisione emendatæ, approbatæ, & confirmatæ fuerint, & ab eo tempore, quo supradicta Clementis Prædecessoris præfati Decreta per Nos etiam approbata, & innovata fuerunt, hujusmodi dubium, seu hæsitationem suam deduxerint, & deducant ex vano prætextu, quod in dicto Brevi Clementis Prædecessoris apposita sit hæc clausula: *servata videlicet præfatorum Decretorum forma*, quæ quidem clausula licet intelligi debeat quoad alia in præfatis decretis ordinata, non quo ad ea, quæ sunt in eisdem Decretis Clementis Prædecessoris excepta, ne aliàs ipsius Clementis Prædecessoris Breve frustratorium fuisse detegatur, attamen illi de professionum suarum validitate dubitare volentes non modo non acquiescant, sed doctrinas, & opiniones in contrarium disseminent in gravissimum divini cultus, ac observantiæ, disciplinæque regularis præjudicium, Nobis propterea Præpositus Generalis, & Assistentes generales præfati, ut his incommodis, imaginariisque dubitandi prætextibus tam hactenus ortis, quam qui de cætero oriri possunt, mature obvietur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Urbanus declarat ab ea lege exceptos fuisse Clericos Reg. Min.

§.4. Nos igitur omnem dubitandi circa præmissa materiam præcidere, dictæque Congregationis quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, eosdemque Præpositum Generalem, aliosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, ac de nostræ apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus, quod Congregatio Clericorum Regularium Minorum præfata post concessam ei a dicto Clemente prædecessore per suas in forma Brevis Literas hujusmodi licentiam, & facultatem supra expressam ex tunc de cætero in præfatis ipsius Clementis Prædecessoris Decretis comprehensa non fuit, quin potius excepta, & propterea a die datæ Literarum præfatarum obligata non fuit habere loca regularia particularia pro Novitiatibus faciendis: ideoque professiones postea in quibusvis Domibus, & locis regularibus ejusdem Congregationis emissas a quibuslibet ipsius Congregationis Religiosis fuisse, & esse validas, ac omnes, & singulos, qui post datam præfati Brevis ejusdem Clementis Prædecessoris professionem emiserint, vel imposterum emittent, ad quemcumque effectum, etiam in foro conscientiæ remansisse, & remanere obligatos, eidemque religioni adstrictos.

Ab eisque servandas esse Const. editas tempore Pauli Papæ V.

§.5. Insuperque mandamus Constitutiones præfatas, ut præfertur, prævia emendatione, & approbatione Congregationis Regularium per eumdem Paulum Prædecessorem confirmatas imposterum esse inviolabiliter observandas.

Contraria tollit.

§.6. Non obstantibus præfatis ejusdem Clementis Prædecessoris Decretis, etiam per Nos approbatis, & innovatis. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis, quæ dictus Clemens Prædecessor in suis Literis præfatis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Aprilis 1637. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimaprima Aprilis 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

DXXXIV.

Quod Capitulum Generale Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis de sexennio in sexennium dumtaxat celebretur.

Hanc Congregationem approbavit Sixtus V. in Constit. XXXV. Ex omnibus. Tom. IV. Par. IV. fol. 161. Et quod Capitulum celebretur quolibet sexennio aliàs statuit Clemens VIII. in Constitut. CCXXXVIII. Superna. Tom. V. Par. II. fol. 325.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Const.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Matthæus Mortuellus Præpositus Generalis, & Consultores Generales, & Arbiter Consultæ Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quod licet juxta Congregationis Constitutiones apostolica auctoritate confirmatas statutum sit, ut Capitulum Generale ejusdem Congregationis quolibet sexennio celebretur; nihilominus a nonnullis asseritur, celebrationem Capituli Generalis hujusmodi ad triennium, apostolica

ſtolica auctoritate redactam eſſe: quare cum de tali reductione non cnitet, ut cuicumque difficultati, quæ inde oriri poſſet, occurratur, & graviſſimi ſumptus, quibus domus regulares, & præſertim Romanæ Congregationis hujuſmodi (maximo ſuo cum detrimento gravarentur, ſi dictum Capitulum Generale tam ſæpe celebrandum foret, evitentur: Nobis Exponentes prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Declarat ſervari prout in Rubr.

§. 1. Nos igitur Congregationis, & Domorum prædictarũ indemnitati, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, dictoſque Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, attento quod non conſtat de Capituli hujuſmodi reductione prædicta, Capitulum Generale prædictum de ſexennio in ſexennium dumtaxat juxta dictaa Congregationis hujuſmodi Conſtitutiones celebrandum eſſe, & celebrari, electionemque moderni Generalis, & aliorum Officialium in Capitulo Generali Congregationis hujuſmodi noviſſime celebrato aliàs canonice factam, juxta formam Conſtitutionum prædictarum per integrum ſexennium durare debere, ac Generalem, & alios Superiores in Capitulis Generalibus, ſeu in Conſulta Generali eligi ſolitos, ſcilicet Procuratorem Generalem, Provinciales, & Secretarium Conſultæ prædictæ officia eorum per totum ſexennium hujuſmodi, ſervata tamen dictarum Conſtitutionum diſpoſitione, libere, & licite exercere poſſe, & valere, ita tamen ut Literæ noſtræ ſuper modo, & forma eligendi Generalem, Conſultores, & Arbitrum dictæ Congregationis, ſub die 29. Aprilis 1628. emanatæ omnino obſerventur.

Decretum irritans.

§. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium decernimus, & declaramus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus, quatenus extet, reductione prædicta, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæque Congregationis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiia quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimaquarta Aprilis 1637. Pontificatus noſtri Anno XIV.

Dat. die 24. Aprilis 1637. An. XIV.

DXXXV.

Confirmantur quædam Statuta, & Decreta pro bono regimine Congregationis Galliæ Ordinis Fratrum Diſcalceatorum S. Auguſtini.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Pontif. Card. Rupiſulcadiũ in Præſidem Capituli Gen. hujuſce Congreg. deputaverat;

§. 1. Aliàs ſupplicationibus dilecti filii Romualdi a Sancta Magdalena tunc Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Diſcalceatorum Congregationis Galliæ in Romana Curia Procuratoris Generalis tam ſuo, quam tunc exiſtentium Vicarii Generalis, Definitorum, & aliorum Superiorum dictæ Congregationis nominibus Nobis humiliter porrectis inclinati, Vicario Generali prædicto Capitulum generale dictæ Congregationis anticipandi licentiam conceſſimus, ac dilectum filium noſtrum Franciſcum tituli Sancti Calixti Presbyterum Cardinalem de la Rochefoucault nuncupatum in Præſidentem dicti Capituli, illiuſque cauſarum Commiſſarium, apoſtolica auctoritate, deputavimus cum facultate per ſe, vel alium dicto Capitulo præſidendi, ac præſertim faciendi, & terminandi quæcumque neceſſaria judicaret circa Conſtitutiones, & Cœremonias eſſentiales ejuſdem Congregationis, diviſionem, & reſtrictionem Provinciarum, aliiſque facultatibus, prout in diverſis noſtris deſuper in ſimili forma Brevis ſub dat. 15. Septembris 1635., & 15. Januarii 1636. expeditis Literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

Facultatemque tribuerat novas pro bono ejuſdem regimine Conſtitutiones condendi.

In eo Capitulo ſequentes Conſtit. fuerunt efformatæ.

§. 2. Cum autem, ſicut dilectus filius Archangelus a Sancta Maria Ægiptiaca ejuſdem Congregationis in Romana Curia Procuratore Generali Nobis nuper exponi fecit, prædictus Franciſcus Cardinalis Literis hujuſmodi inhærens Ven. Fratres Leonorium Carnotenſem, & Dominicum Antiſſiodoren. Epiſcopos in Præſidentes dicti Capituli, illiuſque cauſarum Commiſſarios, apoſtolica auctoritate ſibi in hac parte commiſſa, cum omnimoda auctoritate, facultate, & poteſtate ſibi in dictis

dictis Literis attributa substituerit; illique sic substituti auditis omnibus, & singulis Religiosis Fratribus ex tribus Provinciis ad Capitulum convocatis, & cunctis eorum rationibus, & sententiis mature discussis, & ponderatis pro Dei gloria, & felici dictæ Congregationis statu, & prospero ejus regimine, quæ sequuntur in Domino statuere, ordinare, & publicare, antequam ad electiones procederetur, utile, & necessarium duxerint, & judicaverint, videlicet:

Die 2. Junii.

Tres Provinciæ in duas redactæ.

I. Tres Provincias in Bulla Pontificia nominatas Provinciæ scilicet, Provinciæ Franciæ, & Delphinatus in duas restrinximus ob Superiorum sufficientium, & espacium præsentem necessitatem, itaut Provinciæ Franciæ, & Delphinatus uni tantum subjaceant Superiori Provinciali usque ad annum 1642. quo tempore capacium, & idoneorum Superiorum sufficiens erit copia, ut prædictæ Provinciæ scilicet Franciæ, & Delphinatus per se separatim sub proprio Provinciali, & Definitorio subsistant.

De Capitulis Provincialibus.

II. Imposterum quælibet Provincia Capitulum Provinciale singulis bienniis, & in medio biennii Capitulum intermedium celebrabit.

De Assistentibus.

III. Tres erunt Assistentes Vicarii Provincialis scilicet unus ex Provincia Provinciæ, & alii duo ex Provincia Franciæ, & Delphinatus Visitatoribus Generalibus extinctis utpote statui Congregationis superfluis.

Electione Superiorum Maiorum.

IV. Pro hac vice tantum electiones Vicarii Generalis, duorum Procuratorum Romanæ scilicet Curiæ, & Franciæ, trium Assistentium, duorum Provincialium, & Definitorum utriusque Provinciæ, Prioris Conventus Parisien., & Secretarii Congregationis fient in hoc Capitulo Generali ab omnibus Fratribus Congregationis vocem secundum statuta habentibus.

Definitorio Generali.

V. Præsens Definitorium Generale, ultra duos Præsidentes Apostolicos, constabit Vicario Generali electo, deinde absoluto, tum duobus Procuratoribus Generalibus, & tribus Assistentibus, & si eorum aliqui absentes fuerint, eligentur, & substituentur canonice aliqui ex præsentibus Fratribus ad supplendam eorum absentiam.

Electionibus præsentis Capituli.

V. Ad requisitionem, & instantiam omnium Patrum Capitularium R. P. Archangelum a Sancta Maria Ægiptiaca dispensavimus super sex circiter menses de triennii post professionem complemento ad sui Procuratoris officii electionem.

Ultimo, quod attenta multitudine supradictorum Fratrum in hoc Conventu degentium, & ut quamcitius unusquisque ad suos possit redire Conventus electiones Superiorum, & aliorum officiorum localium fiant ante quascumque Definitiones a Patribus Definitorii Generalis, ut supra a Nobis ordinati.

Aliæ Constitutiones.

Die vero 23. Junii præsidentibus supradictis Episcopis in Definitorio generali canonice electi sint in Superiores Generales, & Provinciales videlicet in Vicarium Generalem dictæ Congregationis, dilecti etiam filii Hilarion a Sancta Ursula, & in Procuratorem Generalem Curiæ Romanæ dictus Archangelus a Sancta Maria Ægiptiaca, prævia dispensatione super triennio a professione, Procurator Generalis Franciæ, tres Assistentes Provinciæ scilicet Provinciæ Franciæ, & Delphinatus, duo Provinciales, & cæteri ejusdem Congregationis Superiores, & Officiales, & præsertim Antonius a Sancta Magdalena in Vicarium Hospitii, seu Conventus Tauliauensis, necnon sequentibus diebus, & præsentibus Episcopis prædictis in Definitorio Generali necessaria ad observantiam Regularem, & alia pro ejusdem Congregationis regimine statuta, & definita sint, ut plenius in ipsis Definitionibus, & Ordinationibus, in quatuor partes divisis plenius dicitur contineri: & præsertim, quod Vicarius Generalis, & Provinciales, absoluto eorum officio, ineligibiles ad quodcumque officium habens votum remaneant usque ad proximum Capitulum sive generale, sive provinciale, quod etiam voluerunt habere locum in his, qui per duo Capitula immediate subsequentia, & completa ad aliquod officium habens votum promoti forent. Ad officium tamen Vicarii Generalis possit eligi quicumque ex supradictis, excepto Vicario Generali absoluto. Non poterit Vicarius Generalis sine consensu, & consilio Procuratorum Generalium quando præsentes erunt, & ejus Assistentium, quod non poterat sine Definitoribus. Nulli recipientur alterius Religionis, vel Congregationis professi, neque illegitimi, vel alia infamia notati sub pœna nullitatis professionis; In Capitulis Provincialibus conclusiones, definitiones, & decisiones fieri non possint, fient tamen propositiones ad Capitulum Generale mittendæ. Præsidens Capituli Provincialis a Vicario Generali deputandus erit alterius Provinciæ: in Provincialem poterunt eligi Patres alterius Provinciæ. Quod si contigerit unum, & eumdem simul a duabus Provinciis eligi, Vicarius Generalis cum Assistentibus de Provinciali alterius Provinciæ providebit. Constitutiones, necnon Cæremoniale ad meliorem formam reducantur, & ad hoc nominati, & deputati sint dictus Pater Hilarion a Sancta Ursula Vicarius Generalis, Pater Gelazius a nomine Jesu Procurator Generalis Franciæ, Pater Dionisius a Sancta Monicha, Pater Raphael a Virgine Maria, Pater Alipius etiam a Virgine Maria Assistentes Generales, & approbari procurent. Die vero 4. Julii visis, & mature consideratis a supradictis Præsidentibus electionibus Superiorum, & Defi-

Desuitoribus in Capitulo conclusis ea, quæ sequuntur pro majori firmitate, & robore decidenda, & declaranda judicaverunt.

I. Provinciam Provinciæ primum locum inter Provincias obtinere juxta Breve Apostolicum.

II. Electionem Prioris Parisien. fieri debere in Capitulo Provinciali, & in eo suffragari, non autem in Capitnlo Gen.

III. Quod non obstante restrictione duarum Provinciarum Franciæ scilicet, & Delphinatus, ac Provincię, Prov. Francię, & Delphinatus suos distinctos Officiales Generales habebit per Breve Apostolicum concessos. quasi essent sub distinctis Provincialibus gubernatæ.

IV. Quod Definitio, qua prohibetur divisionem Provinciarum imposterum fieri posse, nisi ad minus sint octo Conventus, sit sine præjudicio harum duarum Provinciarum, quas anno 1642. manere distinctas per præsentes declaramus, licet pro tunc in qualibet ipsarum fuerint tantum quinque Conventus.

Has leges Procur. Gen. petit confirmari.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissa ab eisdem Præsidentibus, & Desuitorio Generali, ut præfertur, ordinata, facta, & decreta subinde per eumdem Franciscum Cardinalem sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito sub die 11. mensis Julii anni 1636. confirmata, & approbata fuerint; firmiora vero sint ea, quæ nostro, & Sedis Apostolicæ munimine, & patrocinio roborantur; proptereaque dictus Archangelus plurimum cupiat illa per Nos, & Sedem Apostolicam approbari, & confirmari, aliaque infrascripta fieri, atque ordinari; Nobis propterea dictus Archangelus tam suo, quam dicti Hilarionis a Saucta Ursula moderni Vicarii Generalis, ac Assistentium, aliorumque dictę Congregationis Superiorum nomine humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Ratas habet Urbanus.

§.4. Nos igitur dicti Archangeli votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribos, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censeotes, hujusmodi supplicationibus inclinati præinserta decreta, necnon electiones, etiam per viam concordiæ, ut præfertur, factæ, & ordinationes hujusmodi apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque, & singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatum, & alios quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus. Decreta vero, & ordinationes dicti Capituli Generalis præsentibus Literis non expressa, dummodo illa licita sint, & honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, Regularibusque dictæ Congregationis institutis non adversentur, auctoritate, & tenore prædictis, etiam approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus:

Præscribit methodū tenendam, si quod Dubium super præsentibus declarationibus oboriatur.

§.5. Præterea supervenientibus quibuslibet difficultatibus pro expositione, vel declaratione Definitionum, aut Statutorum, statuimus, & ordinamus, quod de cætero dispositio, & declaratio hujusmodi ad Vicarium Generalem una cum Procuratoribus Generalibus, si adsint, & tribus ejusdem Vicarii Assistentibus tantum cum inhibitione expressa omnibus, & singulis aliis Fratribus ejusdem Congregationis cujuscumque conditionis, ne illis se immisceant, sicut & omnium eorum, quæ pro tempore extra etiam Capitulum Generale ordinanda fuerint, spectare, & pertinere debeant:

Alias quoque dat leges.

§.6. Et insuper, quod duo, vel plures in primo, vel secundo gradu consanguinei, vel affines nullatenus simul conveniant, & votare possint, & multo minus Definitorium simul ingredi, & concurrere, etiam ad tertium usque gradum eodem biennio, vel triennio valeant, uti plenius continetur in Constitutione felicis recordationis Clementis Papę Octavi Prędecessoris nostri, dat. Romæ die 28. Februarii anni 1596. Quod Vicarius Generalis una cum Patribus Procuratoribus, si sint præsentes, ac tribus Assistentibus, Patrem aliquem senem, aut Infirmum, & alias Superiorem, licet non quinquagenarium, qui in regimine vitæ innocentia se laudabiliter gesserit, ad quascumque commissiones generales Provinciales, Conventuales, & particulares eligere, & promovere, necnon si opus sit, in necessariis com illo ad ea, quæ illi pro tempore committeutur exequenda dispensare valeant. Quod dilectus etiam filius Ambrosius a Sancta Monica ejusdem Congregationis professor in Provincia, & Conventu sibi a Superioribus assignata remaneat, non obstante mansione sibi per dictas Literas assignata, attento, quod hujusmodi gratię ipse renunciavit: Quod divisio Provinciarum Franciæ, & Delphinatus in unam tantum restrictarum non intelligatur dilata usque ad annum 1642. si proximum Capitulum Generale celebrandum Avenione anno 1639. feria sexta ante Festum Sancti Michaelis Archangeli dictas Provincias Franciæ, & Delphinatus separatim subsistere posse, & pro bono dictæ Congregationis expedire judicaverit: quo casu in dicto Capitulo anno 1529. Provinciales, & quatuor Desuitores eligantur, & a Desinitorio Generali cæteri Superiores Provinciæ Franciæ. Præterea, quod non possit Provincialis quemlibet omni-

omnino Fratrem extra suam Provinciam mittere, nisi prævia obedientia Vicarii Generalis ab eo in scriptis obtenta, sub pœna suspensionis, ac privationis officii ipso facto statuimus, & ordinamus. Insuper nunc, & pro tempore existenti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali dictæ Congregationis Protectori prædictas Constitutiones, & Cœremoniale postquam, ut præfertur, condita fuerint, Apostolica auctoritate, approbandi facultatem, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur, ita tamen, ut Fratres dictæ Congregationis illis non utantur, nisi postquam approbatæ fuerint. Postremo quasdam Literas Apostolicas in simili forma Brevis sub Dat. 13.Jun.1636. super declaratione mentis nostræ quoad divisionem Provinciarum hujusmodi editas, dictoque Francisco Cardinali directas exequutioni nondum demandatas cum omnibus in eis contentis auctoritate, & tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, & irritamus, ac pro revocatis, cassatis, annullatis, & irritis haberi, & censeri debere volumus. Demum, ut imposterum omnes dictæ Congregationis Fratres cum pace, & quiete omni in Domino vivere possint, omnibus, & singulis Superioribus, cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, cæterisque dictæ Congregationis Religiosis sub excommunicationis, aliisque pœnis præcipimus, & mandamus, ut omnes processus, informationes, literas communes, aut particulares, accusationes, & similia hujusmodi tam in Visitationibus generalibus, quam in provincialibus, & particularibus receptas, & factas a principio dictæ Congregationis usque ad dictum Capitulum Generale dilacerent, & comburant, injungimus, præcipimus, atque mandamus, perpetuumque eis super hoc silentium, ita ut imposterum nullus superior, aut inferior prædictis accusationibus, processibus, & similibus sub quovis prætextu, aut quæsito colore uti possit, imponimus:

Clausulas appouit. §.7. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contraria tollit. §.8. Non obstantibus singulis Literis nostris prædictis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in eisdem voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Jus Prioris Gen. Ordinis tuetur. §.9. Volumus autem, quod in præmissis auctoritati Prioris Generalis Ordinis Sancti Augustini in aliquo non censeatur præjudicatum, sed quod remaneat salva in omnibus, & per omnia juxta concordiam alias inter dictum Priorem Generalem, & eosdem Fratres Discalceatos Congregationis Galliæ initam, & a Nobis per nostras Literas in forma Brevis expeditas sub dat. die 21. Julii 1728. quæ incipit: *Ex injuncti Nobis &c.* confirmatam, & approbatam.

Dat. die 17. Aprilis 1637. An.XIV. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimaseptima Aprilis 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

DXXXVI.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, necnon reducendi annuos census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva petitionis. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, prædictæ Congregationis, illiusque regiminis nomine, quod ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta, atque incommoda per eandem Congregationem accepta ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis ejusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bona ex parte ejusdem Congregationis prædia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quæ pro summa quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum Sedis Apostolicæ, Monasteria dictæ Congregationis ob defectum suorum redituum ad præsens sunt adeo oppressa, ut illorum nonnulla jam ruinis eversa, & se sublevare impotentia reddita sint, aliis vero eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per Nos provideatur, prout alias per Romanos Pontifices prædecessores nostros Monasteriis hujusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, & præsertim per Pium V. qui similes, & forsan minus urgentes ob causas per quasdam suas, sub die 19. Martii 1570. duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum, & triginta tria millia dictæ Congregationi Cassinensi pro sua rata obtigerunt; & postmodum, quia summa hujusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili forma Brevis respective expeditas literas, eidem Congr. Cassinensi bona stabilia pro alia summa quinquaginta millium scutorum aureorum vendendi facul-

facultatem respective concessit, eoque modo damnis, & periculis Monasteriis dictæ Congregationis tunc temporis imminentibus opportune occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientia compertum est.

Concedit, prout in rub.

§.2. Nobis propterea dictus Procurator quo supra nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & aliàs ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum dicti Pii V. prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & aliis majoribus necessitatibus ad præsens gravata reperiuntur, ut cum approbatione tamen dilecti Filii nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E. Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentia regiminis dictæ Congregationis ea prædictæ Congregationis bona stabilia, quæ pro liberanda ab ære alieno Congregatione prædicta, restaurationibusque necessariis, & utilibus in ejus bonis faciendis magis opportuna fuerint judicata, usque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis, & formis in prædictis Pii V. prædecessoris nostri literis contentis, & juxta illarum tenores, & continentias, vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicæ impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario, & anno sive minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori instrumento appositis redimere; ita tamen ut præsentes aliis ejusdem Congregationis Monasteriis minime suffragentur, quam iis dumtaxat, quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integre concurrerunt, & concurrunt, libere, & licite possint, & valeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Derogatio contrariorum

§.2. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ II. etiam prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, & Ordinis, & Monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius V. prædecessor noster in prædictis suis literis voluit non obstare, ac aliis contrariis quibuscumque.

Dat. die 19. Junii 1637. An XIV.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1637. Pontificatus nostri anno Decimoquarto.

DXXXVII.

Contra eos, qui mentito nomine, vel cognomine, adhuc Prima uxore vivente, ad secundas nuptias transeunt.

Anathematis pœnam dicentibus, quod Christianis plures habere uxores liceat, imposuit Concil. Trident. de Sacros. Matrim. sess. 24. can. 2. Idemque probibitum asserit Innoc. III. cap. Gaudemus, §. Nec ulli, de divortiis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium:

MAgnum in Christo, & in Ecclesia Matrimonii Sacramentum, ut vitæ est legitima inter Virum, & Fœminam indissolubilis societas, in qua ex pari consensu semetipsum alter alteri debet: ita gravibus, debitisque pœnis corripiendi sunt ii, qui mandatorum Domini immemores, & posthabita propriæ salutis ratione, sacrosanctas hujusmodi Sacramenti leges violare non verentur.

Nonnulli mentito nomine, seu cognomine ad secundas nuptias transeunt, vivente prima uxore.

§.1. Cum itaque, sicut non sine magna animi nostri molestia accepimus, ii iniquitatis filii reperiantur, qui sub mentito nomine, seu cognomine, adhuc prima uxore vivente ad secundas Nuptias transire audent.

Ad quod scandalum magis arcendũ Pontif. ultra solitas pœnas, etiam ad triremes, fustigationẽ, & alias pœnas damnari hujusmodi nefarios homines decernit.

§.2. Nos nefariam improborum hominum hujusmodi temeritatem juxta creditum Nobis desuper apostolicæ servitutis officium, quantum cum Domino possumus, reprimere volentes, habita prius super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in universa republica christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus ab hac Sancta Sede deputatis, deliberatione matura, hac nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut hujusmodi sic delinquentes, ultra pœnas, quibus ipsi ordinarie puniri solent, damnentur ad Triremes in perpetuum: quod si inhabiles reperti fuerint, publice fustigentur, & damnentur ad carceres in perpetuum. Si

vero

vero pro qualitate, enormitate delicti graviores pœnas meruerint, etiam curiæ seculari arbitrio eorumdem præfatæ Congregationis Cardinalium puniendi tradantur.

Clausulas præservativas addit.

§.3. Decernentes præsentes literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minusque causę propter quas eędem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invalidatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitię remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Ita judicari præcipit, ac contrariis derogat.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus quibuscumque.

Mandat hanc Const. publicari in Urbe, & publicatam omnes ligare.

§. 5. Ut autem præsentes, & in eis contenta quęcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, ac cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Ac ejus transumptis fidem dari.

§.6. Quodque illarum transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. die 10. Junii 1637. An.XIV.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 10. Junii 1637. Pont. Nostri Anno XIV.

Anno à nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, die vero 20 mensis Junii, supradictæ Constitutiones affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Florę, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est per me Anton. Bardum Apost. Curs.

Julius Marzitellini Mag. Curs.

DXXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Breve

Fratres Discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Barchinonen., absolvuntur a censuris, in quas incurrerant ob petitam Regii Consilii opem.

Dilecto filio Magistro Joanni Jacobo Panzirolo Cappellano Nostro, & Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Pontifex his Fratribus facultatem concesserat Conventum Barchinonæ erigendi, quamvis aliorum Conventuum non accederet consensus.

§.1. Aliàs Nos per nostras in simili forma Brevis Literas sub die 29. Decembris 1630. expeditas dilectis filiis Fratribus Discalceatis Santissimę Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum unum Conventum in Civitate Barchinonen. etiamsi consensus aliorum Conventuum ejusdem Civitatis ad hoc minime accederet, & aliàs sub certis modo, & forma tunc expressis erigendi facultatem concessimus, prout in dictis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Suborta tamen lite Fratres assistentiam Consilii petierunt.

§.2. Cum autem subinde præfatis Literis per dilectum filium Honuphrium a Sancto Thoma Ministrum Conventus Cæsaraugustan. dicti Ordinis coram Vicario Capitulari Ecclesiæ Barchinonen. illius Sede Episcopali tunc vacante legitime deputato præsentatis, & ab eodem Vicario ex voto Capituli Barchinonen. præcedente etiam Communitatis, & hominum dictæ Civitatis consensu mediante publico Consilio obtenta licentia, Conventus hujusmodi cum Ecclesia constructus fuerit; post illius autem erectionem, rector, & operarii Ecclesiæ Parochialis Beatæ Mariæ de

Pino

Pinu nuncupatæ, intra cujus Parochiæ limites Conventus hujusmodi constructus fuit, a Vicario Generali, dicta Sede Episcopali vacante, obtinuissent de facto ab Ecclesia dicti Conventus Sanctissimum Sacramentum amoveri, & ad dictam Parochialem Ecclesiam asportari, & altare demoliri, dictusque Honuphrius ad nostrum, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum commorantem Nuncium habito recursu, probataque dictorum Fratrum pacifica possessione, mandatum de manutenendo desuper obtinuisset: licetque dictus Honuphrius potuisset de facto possessionem hujusmodi continuare, & in ea in vim dicti mandati se se defendere, nihilominus ad majorem cauthelam, ac pro semovendis rumoribus, & scandalis exinde forsitan orituris a Regio consilio assistentiam sibi concedi petiit; cumque ad illam impediendam præfati Rector, & Operarii, aliique Procuratores aliorum Conventuum, ac etiam dictæ Civitatis Syndicus se se opposuissent, proptereaque ad plures actus coram Judice a dicto Regio Consilio deputato deventum fuisset, tandem dicto Honuphrio petita assistentia concessa fuit.

Liteque ad Rom. Rotam deducta pars adversa opposuit Fratribus, quod in censuras incurrerint ob præfatam petitam assistentiam.

§.3. Cum autem a præfato Decreto manutentionis ab eodem nostro, dictæque Sedis Nuncio, ut præfertur, emanato fuerit pro parte eorumdem Rectoris, & Operariorum appellatum causaque appellationis hujusmodi ad Rotam devoluta, tibique commissa, dicti Adversarii pro impedienda causæ hujusmodi expeditione opposuerint dilectum filium Joannem de Annunciatione Fratrum præfatorum Procuratorem Generalem, & pro eis comparentem nomine dictæ Religionis minime audiendum esse, ex quo dictus Honuphrius petendo dictam assistentiam in excommunicationis pœnas per Sacros Canones recurrentibus ad Judices laicos inflictas inciderit, & licet existimetur, per petitam assistentiam hujusmodi dici non posse petitum recursum ad Judicem laicum, cum illa sit quasi imploratio brachii secularis a Sacris Canonibus permissa, proptereaque excommunicationis pœnas nullatenus incursum fuisse, nihilominus ad omnem dubitandi materiam e medio removendam, ac pro majori conscientiæ quiete Nobis humiliter supplicari fecit dictus Joannes Procurator Generalis, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex eos absolvi ab A. C. committit.

§.4. Nos igitur dictum Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi per præsentes committimus, & mandamus quatenus constito tibi legitime de præmissis, præfatum Honuphrium, & alios quoscumque, si qui forsan ob petitam assistentiam, & alios actus in dicto Regio Consilio factos in excommunicationem incurrerint, renunciato prius per eos attentatis coram quibuscumque Judicibus laicis factis, ac injuncta eis, & eorum cuilibet arbitrio tuo pœnitentia salutari, ad cautelam licet absentes a quibusvis censuris, & pœnis ecclesiasticis per eos, & eorum quemlibet quomodolibet incursis, auctoritate nostra apostolica absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas eis gratiose remittas, & condones, ac omnia, & singula gratias, favores, & privilegia dictis Fratribus in favorem erectionis præfati Conventus Barchinonen. concessa, ipsasque erectionem jam factam, & possessionem, ut præfertur, captam confirmes, & approbes, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, suppleas.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Jun. 1637. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Junii 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Quod de cœtero non liceat pro licentiis laborandi diebus festivis ab Episcopo Carthaginen. concedendis pro præparatione, & manutentione artis sericæ a mense Martio usque ad ejus integram confectionem, quidquam exigere.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Communitatis Murciæ preces.

Cum, sicut dilecti filii Communitas, & Homines Oppidi Murciæ Carthaginen. Diœcesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsis, qui, ut asserunt, quotannis a mense Martii per totum mensem Junii, atque etiam sub principium Julii sese in præparatione, confectioneque setæ exercent, necesse sit, præparationem, & confectionem hujusmodi etiam in diebus festivis interim occurrentibus exercere; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt,

runt, ut sibi super licentiis propterea concedendis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum, de quo in Rubr.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis Episcoporum præpositorum consilio tenore præsentium, nullatenus licere pro licentiis diebus festivis ab Episcopo concedendis pro præparatione, & manutentione artis sericæ a mense Martii usque ad totalem illius confectionem de mense Julii, nihil prorsus, vel minimum exigi debere, immo licentias hujusmodi gratis omnino concedendas, atque ita de cætero inviolabiliter tenendum, observandumque fore, & esse, apostolica auctoritate decernimus, & declaramus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. die 30. Jun. 1637. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Junii 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXL.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Restitutio, seu Erectio Cathedræ praxis Medicinæ in Romano Gymnasio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Necessitatem utilitatemque hujus Cathedræ refert.

§. 1. Cum, sicut accepimus, publicum Almæ Urbis nostræ Gymnasium praxis artis Medicinæ Cathedra dudum in eo constituta multis annis Superiorum incuria caruerit; Nos considerantes, Altissimum de terra procreasse ad solamen generis humani medicamenta; artem vero curandi homines media ex Philosophiæ principiis, & fontes suos petere, qui deinde particularibus medicinæ præceptis illustrantur, & confirmantur; opere pretium Nos facturos existimavimus, si praxis artis Medicinæ Cathedra hujusmodi solicitudinis nostræ ministerio in eodem Gymnasio restituatur, & quatenus opus sit, de novo erigatur, eique sic restitutæ, aut de novo erectæ de tali persona provideatur, cujus insignis doctrina, atque eruditio, necnon spectata longa annorum serie experientia nedum in hac Alma Urbe nostra, sed multis aliis in Civitatibus, & Locis, conspicuam, celebremque reddiderunt;

Eamque restituit cum privilegiis, & annua pensione.

§. 2. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine unam in prædicto Almæ Urbis nostræ Gymnasio praxis artis Medicinæ Cathedram pro uno ipsius artis Medicinæ Lectore, & Professore cum omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, etiam speciali nota, & expressione dignis, quibus aliarum scientiarum, sive disciplinarum in dicto Gymnasio Cathedratici, Lectores, & Professores de jure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione apostolica, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, necnon provisione annua quadringentorum, & quinquaginta scutorum monetę e pecuniis, quæ Lectoribus dicti Gymnasii assignatæ sunt, & e Gabella Studii dictæ Urbis exiguntur, nec ad præsens alteri applicatæ existunt desumenda, & persolvenda tenore præsentium restituimus, & quatenus opus sit, de novo erigimus, & instituimus.

Ei Thadæum Colliculam præficit.

§. 3. Præterea dilecti filii Thadei Colliculæ Canonici Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Medici Secreti, ac familiaris continui commensalis nostri præclaræ in arte prædicta eruditionis, experientiæ, & doctrinæ, necnon obsequiorum, quæ Nobis summa cum diligentia, & probata fide nullis parcendo laboribus multos annos præstitit, & adhuc etiam ingravescente, & valetudinaria ætate sua hujusmodi assidue Nobis præstat, condignam rationem habentes, eumdem Thadeum in Lectorem primarium praxis artis Medicinæ hujusmodi in eodem Gymnasio cum honoribus, privilegiis, gratiis, & indultis, necnon provisione annua quadringentorum, & quinquaginta scutorum monetæ hujusmodi, quoad vixerit, apostolica auctoritate, earumdem tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, illeque artem medicinæ prædictam in dicto Gymnasio unquam nisi ejus arbitrio, & ad suæ voluntatis liberum beneplacitum legere teneatur, nec a quoquam quavis auctoritate fungente ad legendum adstringi possit, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, aliisque arbitrii nostri pœnis, ut eumdem Thadeum ad Cathedram praxis artis medicinæ hujusmodi juxta tenorem præsentium recipiant, & admittant, eique de provisione annua quadringentorum, & quinquaginta scutor. hujusmodi suis congruis temporibus respondeant, & responderi curent, & faciant realiter, & cum effectu.

Obstantibus derogat.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac Gymnasii, & Urbis præfatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Julii 1637. An. XIV.

Dat. Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscat. die 15. Julii 1737. Anno XIV.

Facul-

DXLI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Nuncio Sedis Apostolicæ Neapoli concordandi cum eadem Civitate, & Populo nomine Cleri super modo exigendi ab eodem Clero augmentum cujusdam vectigalis.

Dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Communitas Neapolitana facultatem petit augendi quoddam vectigal ab ecclesiastic. quoque solvendū ita ut rata postmodum eis restituatur

1.§. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas, & homines Civitatis Neapolitan., quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, qui etiam Rex Neapolis existit, in variis ejus urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinæ frumenti, & germani ad tredecim grana in diversis vicibus, & temporibus auxerunt, quod quidem augmentum tredecim granorum pro quolibet tumulo hujusmodi in eadem Civitate Neapolitan. ejusque suburbiis, districtu, & casalibus accedente nostra, & Sedis Apostolicę licentia etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis, suburbiorum, ac districtus, & casalium præfatorum ad evitandas fraudes exigere, eidemque Clero, & personis ecclesiasticis certam ratam restituere intendunt. Unde cum eosdem Communitatem, & Homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis præfatis devenire necesse sit, Nobis propterea Communitas, & homines præfati humiliter supplicari fecerunt, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Pont. facultatem Nuncio concedit cum eadem Communitate transigendi.

§.2. Nos igitur Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi indemnitati pro nostro pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac de tuis singulari fide, prudentia, integritate, & religionis zelo plurimum in Domino confisi Tibi, ut super augmento tredecim granorum pro tumulo hujusmodi, ut præfertur, facto, illiusque exactione in vim licentiæ per te illis concedendæ facienda cum eisdem Communitate, & hominibus ratione ratæ dictum Clerum, & personas ecclesiasticas tangentis nomine Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere libere, & licite possis, & valeas, apostolica auctoritate, tenore præsentium, facultatem concedimus, & impertimur.

Et obstantia tollit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. August. 1637 An. XV.

Dat. Romæ apud S. M.M. sub Annulo Piscatoris die 7. Aug. 1637. Anno XV.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

DXLII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Prædictas pecunias Clero Neapolitano restituendas addicit Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert, quæ præscripsit in præc. Constit.

§.1. HOdie pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Neapolitan. Nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, qui etiam Rex Neapolis existit, in variis ejus urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinæ frumenti, & germani, & tredecim grana in diversis vicibus, & temporibus auxerant, & augmentum tredecim granorum pro tumulo hujusmodi in eadem Civitate Neapolitan., ejusque suburbiis, districtu, & casalibus, accedente nostra, & apostolicæ Sedis licentia, etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis suburbiorum, ac districtus, & casalium præfatorum ad evitandas fraudes exigere, eisdemque Clero, & personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebaut; & propterea eosdem Communitatem, & homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis devenire necesse erat; dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolis commoranti Nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, ut super augmento 13. granorum pro quolibet tumulo hujusmodi, ut præfertur, facto, illiusque exactione, in vim licentiæ a dicto Nuncio illis concedendæ facienda, cum eisdem communitate, & hominibus ratione ratæ dictum Clerum, & personas ecclesiasticas tangentis nomine Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere, libere, & licite possint, & valeant, apostolica auctoritate facultatem concessimus, & impertiti sumus, & alias prout in prædictis aliis nostris in eadem forma Brevis expeditis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Nunc summā Clero restituendam applicat Fabricæ Basilicæ Vat.

§.2. Nos Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe jam diu cæptæ extructionem, quæ multis subsidiis ob ingentes sumptus indiget, aliquando consumari cupientes, Prædecessorum nostrorum, qui ratas gabellarum, quæ ab eisdem Clero, & personis exiguntur, & iisdem redduntur, variis Apostolicæ Sedis sublevandis necessitatibus attribuerant, vestigiis inhærentes, motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascumque pecuniarum summas, quæ ex

O 2 rata

rata augmenti gabellæ trium carolenorum pro tumulo farinæ, frumenti, & germani ad tredecim grana ab ecclesiasticis personis secularibus, & cujusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim Literarum nostrarum hujusmodi exigentur, & eis reddentur, seu exigi, & reddi debebunt, quarum quantitatem, quantacumque sit, præsentibus etiam pro sufficienter expressa haberi volumus, præfatæ Fabricæ tenore præsentium applicamus, ac pecuniarum summas hujusmodi ad usum dictæ Fabricæ exigi, & in eum converti volumus.

Eique committit easdem pecunias tradere personis ad id deputandis.

§.3. Quocirca eidem Nuncio tantum per præsentes committimus, & mandamus, ut prædictas pecuniarum summas ex rata augmenti gabellæ trium carolenorum pro tumulo farinæ, frumenti, & germani ad tredecim grana exigat, & summas hujusmodi personis a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus eidem Fabricæ Præfectis declarandis pro dictæ Fabricæ sumptibus consignet. Nos enim illi præmissa faciendi, & quasvis personas ad easdem summas illi persolvendas omnibus juris, & facti remediis, ac censuris, & pœnis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi, & compellendi, auxilium brachii secularis, quatenus opus foret, invocandi plenam, & liberam facultatem earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Derogat contrariis.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de jure quæsito non tollendo, necnon omnibus illis, quæ in Literis præfatis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. August. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DXLIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Sequitur Concessio facultatum Nuncio Apostolico ea peragendi, quæ in præcedentibus Constitutionibus statuta leguntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert datam a se facultatẽ Nuncio Apostolico transigendi cum Populo super restitutione Clero, facienda augmenti vectigalis.

§.1. Hodie pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Neapolitan. Nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico qui etiam Rex Neapolis existit, in variis ejus urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinæ frumenti, & germani ad tredecim grana in diversis vicibus, & temporibus auxerant, & augmentum tredecim granorum pro tumulo hujusmodi in eadem Civitate Neapolitan., ejusque suburbiis, ac districtu, & casalibus, accedente nostra, & Apostolicæ Sedis licentia, etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis, suburbiorum, & districtus, ac casalium prædictorum ad evitandas fraudes exigere, ac eisdem Clero, & personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, & propterea eosdem Communitatem, & homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis præfatis devenire necesse erat, dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis commoranti Nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, ut super augmento tredecim granorum pro quolibet tumulo hujusmodi, ut præfertur, facto, illiusque exactione in vim licentiæ a dicto Nuncio illis concedendæ facienda cum eisdem Communitate, & hominibus ratione ratæ per eos dictis Clero, & personis ecclesiasticis ad evitandas fraudes, ut præfertur, restituendæ nomine Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere libere, & licite possit, & valeat, apostolica auctoritate facultatem concessimus, & impertiti sumus.

Summamque Clero restituendam Fabricæ Basil. Vaticanæ applicat.

§.2. Et per alias nostras in eadem forma Brevis Literas, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & quascumque pecuniarum summas, quæ ex rata augmenti gabellæ trium carolenorum ad tredecim grana hujusmodi ab ecclesiasticis personis secularibus, & cujusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim Literarum nostrarum hujusmodi, exigerentur, & eis redderentur, seu exigi, & reddi deberent, quarum quantitatem, quantacumque esset, pro sufficienter expressa haberi voluimus, Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe applicavimus, ac pecuniarum summas hujusmodi ad usum dictæ Fabricæ exigi, & in eum converti voluimus, & alias, prout in dictis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Nunc eidem Nuncio dat facultatem Communitatem a censuris absolvendi, quatenus ante obtentam licentiam, dictũ vectigal exegerit ab Ecclesiasticis.

§.3. Quocirca applicationem summarum pecuniarum hujusmodi ex rata augmenti gabellæ per Nos, ut supra, factam approbantes, & confirmantes eidem nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, ut eisdem Communitati, & hominibus gabellam hujusmodi, ut præfertur, augendi, sive auctam approbandi, illamque a quibusvis personis ecclesiasticis etiam regularibus quantumvis exemptis exigendi, & habendi licentiam concedat: propterea si, & postquam Communitas, & homines prædicti ratam ex augmento gabellæ hujusmodi per eos ab ecclesiasticis absque nostra, & hujus Sanctæ Sedis licentia exactam eidem Fabricæ, ejus ministris, & deputatis totaliter, & cum effectu persolverint, & consignaverint,

rint, eosdem Communitatem, & homines a quibusvis excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, per eos præmissorum occasione quomodolibet incursis, impositis eis, & eorum cuilibet arbitrio suo pœnitentia salutari, auctoritate nostra absolvat.

Pecuniasque Fabricæ Vaticanæ tradendi.

§.4. Insuper eidem Nuncio nostro per præsentes similiter committimus, & mandamus, ut præfatas pecuniarum summas per Nos eidem Fabricæ, ut præfertur, applicatas ex rata augmenti gabellæ hujusmodi integre exigat, & summas hujusmodi personis a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus eidem Fabricæ Præfectis declarandis pro dictæ Fabricæ sumptibus consignet.

Opportunasque ad id facultates elargitur.

§.5. Nos enim præmissa faciendi, & quasvis personas ad easdem summas eidem persolvendas omnibus juris, & facti remediis, ac censuris, & pœnis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi, & compellendi, auxiliumque brachii secularis, si etiam opus fuerit, invocandi plenam, & liberam facultatem, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & impertimur.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. Augusti 1637. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die septima Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DXLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Committit A. C. ut Episcopum Calaguritanum absolvat a censuris, si quas incurrit ob recursum per Promotorem Fiscalem suæ Curiæ factum ad Judices Laicos.

Dilecto filio Joanni Panzirolo Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Episc. Calaguritan. petit provideri, ne recursus per Promotorem Fiscalem suæ Curiæ ad Tribunal laicum factus in quadam Causa sibi noceat, quatenus in Sacr. Rotæ aliis in Causis audiatur.

§.1. Nuper pro parte Ven. Fratris Gundisalvi Episcopi Calaguritan. Nobis expositum fuit, quod a multis annis lis, & causa in Sacro Rotæ Romanæ Auditorio pendet indecisa de, & super jurisdictione Ecclesiarum Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis Oppidi Civitatis nuncupati de Nagera contra Abbatem, & Monasterium Sanctæ Mariæ Ordinis Sancti Benedicti ejusdem Oppidi, in eaque sæpe sæpius resolutum fuit, approbationem confessariorum in Ecclesiis hujusmodi ad dictum Episcopum spectare. Cum autem de novo disputandum esset dictum dubium coram te, præfatusque Abbas opposuisset, quod tempore Petri Castelli Episcopi Calaguritan. dicti Exponentis prædecessoris, mediante quodam suo Procuratore Fiscali recursum fuisset ad Judices laicos ad effectum impediendi, ne quidam Thomas a Guevara Presbyter dictæ Diœcesis e carceribus emanciparetur in vim cujusdam mandati a Metropolita Burgen. relaxati, quodque recursus hujusmodi dicto exponenti noceret, licet ipse eo nunquam usus fuerit, nec uti intendat, illique expresse in actis renunciaverit, minimeque probetur, dictum Petrum Episcopum ejus Prædecessorem recursu præfato usum fuisse, ab eoque datum fuisse, mandatum aliquod speciale ad recurrendum, cum id, ut præsupponitur, nomine Promotoris Fiscalis emanaverit; nihilominus pro potiori cautela, & ad effectum nedum in præfata, sed in aliis, quas in eodem Sacro Rotæ Tribunali sustinet, causis ad ulteriora procedendi, dictus exponens Nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune, ut infra providere de benignitate apostolica dignaremur;

PP. committit A. C. ut eum absolvat a censuris, si quas incurrit.

§.2. Nos igitur illum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus constito tibi legitime de præmissis, ac per eumdem Exponentem renunciato prius per eum atteutatis coram quibusvis Judicibus laicis per quoscumque præmissorum occasione factis, dictum Exponentem nedum a præfato prætenso, sed a quibusvis aliis per dictos ejus Prædecessores Episcopos forsan habitis ad Judices laicos recursibus, ac quibusvis censuris, & pœnis ecclesiasticis, si quas eorumdem præmissorum occasione quomodolibet incurrit, auctoritate nostra apostolica absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas ei gratiose remittas, & condones.

Derogat obstantibus.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 11. Augusti 1637. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Com-

DLXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Committitur Archiepiscopo Mediolanensi, ut Deputatis Collegii Helvetici Mediolanen., easdem exemptiones, & privilegia concedat, quibus gaudent Deputati Seminarii, & Conservatorum Collegii Ambrosiani ejusdem Civitatis.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Mediolanen.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Deputatorum petitio.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Deputatorum Collegii Helvetici Mediolanensis Nobis expositum fuit, quod præfatum Collegium iisdemmet, quibus ipsum Seminarium Helveticum regulis regitur, illiusque regimini præsunt Præpositus Oblatorum pro tempore, necnon quinque Canonici Ecclesiæ Mediolanen., a pro tempore existente Archiepiscopo Mediolanen. eligi soliti, coram quo, & ipsius in spiritualibus Vicario Generali Congregationes ad prosperum dicti Collegii gubernium pertinentes fieri solent, ipsisque Præposito, & Canonicis, quorum introitus in Mediolanen., Papien., Terdonen., & Alexandrin. Diœcesibus consistunt, ut plurimum ab eodem Archiepiscopo pro rei exigentia mandatur, ut dicti Collegii bona visitare debeant; Nobis propterea dicti deputati humiliter supplicari fecerunt, ut sibi circa residentiam in eadem Ecclesia faciendam, ad quam de jure tenentur, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio Archiep. Mediolanen. de qua in Rubr.

§.2. Nos igitur illos specialibus favoribus prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut veris existentibus narratis, eisdem exponentibus, dum pro servitio dicti Collegii a Choro dictæ Ecclesiæ de licentia tua aberunt, quod ipsi omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, gratiis, & indultis, quibus ipsi deputati Seminarii præfati, & Conservatorum Collegii Ambrosiani Civitatis Mediolanen. fruuntur, & gaudent, frui, & gaudere, libere, & licite possint, & valeant, licentiam auctoritate nostra apostolica arbitrio tuo concedas, & indulgeas.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ, & Collegii præfatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Provisio, ne Canonicatus debitis fraudentur officiis

§.4. Volumus autem, quod præfatorum Deputatorum Canonicatus, & Præbendæ debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed illorum congrue supportentur onera consueta.

Dat. die 30. August. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DXLVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirm. Synodi Provincialis anno 1574. per Cyprianum Pallavicinum Archiepiscopum Januen. super rebus Ecclesiæ non alienandis, nec pignorandis habitæ, & a Congregatione Sacri Concilii Tridentini approbatæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Abbas S. Mariæ in Via Lata Januen. refert Const. in Synodo latas.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Fliscus Abbas Sanctæ Mariæ in Via-Lata Januen., & Decanus secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Hadriani loci Trigaudii Januen. Diœcesis, quod alias de anno 1574., a bonæ memoriæ Cypriano Pallavicino Ecclesiæ Januen. tunc Præsule in Synodo per eum de, & super rebus Ecclesiæ tuendis, iisdemque non alienandis, nec pignorandis celebrata, & subinde a Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini interpretibus approbata nonnullæ declarationes, seu decreta edita fuerint tenoris subsequentis videlicet.

De rebus Ecclesiæ tuendis, deque iisdem non alienandis, nec pignorandis.

Tenor hujusmodi Constitutionum.

QUoniam præsens Provinciale Concil. temporis excluditur angustiis, quo minus possit ad normam Concilii Tridentini cap. 11. sess. 25. ex omnibus locationibus ad annos triginta, in longum tempus, seu (ut fit nonnullis in locis) in viginti novem, vel bis vigintinovem annos factis, declarare, quæ nam earum in Ecclesiæ damnum, contrave canonicas sanctiones sint facta; propterea præmittendum non existimavit, quin ad ejusdem decreti præscriptum, & ex facultate sibi ex eodem decreto concessa, hujusmodi munus aliis subdelegaret. Itaque, quod attinet ad bona, quæ sunt in unoquoque Episcopatu, Vicariis Generalibus in sua cuique Diœcesi præsentis Provinciæ, & primam in eadem Cathedrali Ecclesia dignitatem obtinenti cuique, necnon Collegiatæ secularis Ecclesiæ antiquissimo in Urbe ipsa commoranti Præposito, omni meliori modo, subdelegat, & committit; adeo ut duo ex ipsis omnia possint exequi, & con-

& conficere, tertio non adhibito; ita tamen si neutrius illorum id intersit, nec enim debet Episcopi Vicarius de locationibus ab Episcopali mensa factis, nec de Capituli locatione dignitas capitularis, nec antiquissimus Præpositus de factis, vel a se, vel ab antecessore suo locationibus cognoscere. Quod si qua forte esset justa suspicionis causa (ut puta, si quem illorum, quos diximus, in ejusmodi alienatione, locationeve Præfectum, aut Judicem fuisse contigisset) tunc ad acta per eos rescindenda, & irrita reddenda, detur actio per eosdem de consilio Jurisconsulti partibus non suspecti; idque sumptibus suspicionem proponentis. Mandat autem præsens Provinciale Concilium Episcopis omnibus, ut hujusmodi locationes pervestigandas curent, prædictisque judicibus tradant cognoscendas; aut, agente fisci procuratore, ad illarum (si ita jus erit) cognitionem, & disceptationem ipsimet deveniant; idque illorum, qui ejusmodi locationes fecerint, sive hæredum sumptibus; quibus tamen librorum sit liti, si velint, interesse, sumptusque suppeditare. Si qui fuerint in tali re negligentes, seu Episcopi, seu Judices, seu Fisci Procuratores, in proximo Provinciali Concilio rationem reddent. In reliquis Tridentini Concilii decreta serventur omnino: Pontificiæque Bullæ, de bonis male alienatis, deque decimis debitis solvendis, Tridentinique Concilii decreta cap. 11. sess. 22. & cap. 12. sess. 25. de suggestu populo sæpissime denuncientur; ut aliquando moniti resipiscant, seque a censuris vindicent, tum bona ad Ecclesiam ejusque loca spectantia restituendo, tum debitas quoque decimas solvendo. Caveant autem omnes Beneficiati, ne illis, qui jus habent patronatus, præsentationis, vel nominationis, locent Ecclesiæ bona; nec illis, qui iisdem beneficiis cesserunt, eorumque in primo, vel in secundo gradu propinquis; neve illos ad fructus, vel pensiones exigendas, absque Episcopi licentia, procuratores constituant. Præterea animadvertant omnes Prælati, seu ecclesiastica aliqua dignitate præditi, ne, cum sibi facultas ab Apostolica Sede permittitur hujusmodi alienationes, si in evidentem utilitatem cedant, exequendi, negligenter eo fungantur munere, vicariam in ea re scribarum operam substituentes: verum per se ipsi scrutentur omnia diligenter, & inquirant, in rem (si res postulet) præsentem venientes: ne ipsi quoque dilapidatorum ad Ecclesiam, piave loca spectantium bonorum culpam sustineant. Bonorum ecclesiasticorum alienatio ea lege (ut debet) facta, ne valeat, nisi superioris auctoritas intercesserit, adjecta clausula, ut alioquin irrita censeatur, factaque, ante interpositam hujusmodi auctoritatem traditio, irrita sit; nisi in alienatione reservetur beneplacitum Sedis Apostolicæ, & servatis servandis: ac tum is, qui possidet, amittat possessionem: qui vero aliter alienat, ex Canonum sanctione puniatur: neque enim est dubitandum, quin pœnis in Ecclesiæ bona, sine Superiorum consensu, alienantes constitutis sit obnoxius. Quę vero etiam in longum tempus locari bona consuevere, quocumque jure ad Ecclesiam redierint, etiamsi in Ecclesiæ bonorum corpus nondum sint redacta, in reliquum tempus ne locentur amplius, nisi id cedat in Ecclesiæ utilitatem, vel aliqua urgeat necessitas. Scribæ, qui posthac conscribent testamenta, codicillos, aliasve obligationes, seu syngraphas, quibus aliquid Ecclesiæ, piisve operibus relictum, donatum, concessumve sit, vel quovis jure, aut causa ad eam, vel ad ea spectare declaratum; intra tres menses, ex quo de morte legantis, donantis, & concedentis cognoverint, Episcopum Ecclesiæ, piive loci Præfectum, cujus id interest, faciant certiorem; atque obligationum illarum exemplum, accepto operæ suæ pretio, deferant. Idem faciant in hujusmodi aliis syngraphis, vel a se alias confectis, vel ab alio scriba, cujus tabulæ, seu protocolla quovis modo ad ipsos devenerint; idque intra alios tres menses, ex quo, vel ipsi in memoriam redierint, vel alia ratione compererint, earum rerum aliquid in tabulis, seu protocollis, quæ penes ipsos sint, contineri, sub excommunicationis pœna. Huicque decreto, & pœnæ subiicit præsens Synodus alios omnes, tametsi scribæ non essent, qui penes se scripta hujusmodi, & instrumenta detinent, nec ea proferunt, etiam si contra ipsos facerent: quandoquidem syngraphas omnes ad piarum causarum utilitatem spectantes, contra se etiam facientes, proferre quisque de jure tenetur. Eidem pœnæ subjecti sint, qui ab aliis hujusmodi supprimi scientes clam habent. Ac ne spectantium ad Ecclesias, Oratoria, Sacella, & alia quovis nomine appellata pia loca bonorum tam facilis sit in reliquum tempus occupatio, quam fuit adhuc; mandat præsens Synodus, ut ii, ad quos ejusmodi Ecclesiarum, & locorum sigillatim cura pertinet, illorum bona omnia, sive emphyteutica, sive livellaria, sive alio quovis jure mancipata, redigant in tabulas publicas, facta cujusque loci nominatim (si opus fuerit) mentione, & terminorum fines dirimentium: qui si nulli erunt, interponantur; tum possessoribus, tum etiam vicinis, si absint, vocatis. Iidem in unum volumen referant eorum omnium nomina, qui Ecclesiæ, piisve locis, & operibus perpetuo sunt obligati; facta, & prædiorum, & oneris prædio cuique impositi mentione: cujus quidem voluminis exemplum unum ad Episcopale archivium, alterum ad eum, cujus curæ ejusmodi, vel Ecclesia, vel pius locus sit commissus, deferatur. Hoc autem prius saltem confici optat præsens Concilium, quam novi Concilii tempus advenet, quod ad tres annos erit convocandum. At ii, quibus aliquid Ecclesiæ, bonorumve ejus, aut pii operis penditur nomine, cum ali-

quid

quid exigent, ſcribam adhibeant, diſerte facta in accepti, & expenſi tabulis mentione, quo illa ſit pecunia nomine ſoluta, harumque tabularum rite confectarum, & conſignatarum exemplum deferant ad Epiſcopum, vel curent perferendum. Quia ſatis compertum eſt, inter cæteras cauſſas, quibus factum eſt, ut hujus provinciæ beneficia, tam curata, quam ſimplicia, ad tantam redacta ſint paupertatem, ut pauciſſima ſint, quæ rectorem alere poſſint, hanc vel præcipuam fuiſſe, quod rectores ipſi emphyteutis, & aliis conductoribus recuſantibus penſionem, ſeu canonem illis debitum ſolvere, ad id agendum eos compellere non curarunt, nolentes longas lites ſuſcipere, & magnos ſumptus facere, ut poſtea exiguas penſiones conſequantur. Et quia clare patet, ob eamdem cauſſam quotidie aliquos, ex his, qui minimi, & pauciſſimi Eccleſiis ſuperſunt, reditus amitti; præſens Provinciale Concilium volens huic incommodo occurrere, decernit, & conſtituit, ut ejuſmodi penſionum, canonum, & redditum eccleſiaſticorum cauſſæ Judicibus videantur, abſque ullo Judicii ſtrepitu, ſola facti veritate inſpecta, etiam ſine actorum ſcriptura, ſi ita Judicibus videbitur expedire; præſertim ſi reditus, de quibus agetur, quinque aureorum ſummam non excedent: & ita terminentur, ac judicentur: qui Judices debeant, ſine aliqua mora, omnibus juris, & facti remediis ſententiam ita, ut præfertur, latam exequi; quam nullo modo poſſit quæcumque interpoſita, & admiſſa appellatio retardare; adeo, ut, quamvis ſimpliciter fuerit admiſſa, intelligatur tamen tacite illi ineſſe conditio, ut admiſſio non differat executionem. Iiſdem etiam, & aliis urgentibus rationibus motum idem Concilium ſtatuit, ut cauſſæ devolutionum rerum emphyteuticarum, & alio quovis modo conductarum; quomodocumque proponantur devolutæ, & ad Eccleſias, & Beneficia, vel Monaſteria, & alia loca eccleſiaſtica, ſive aliter pia reverſæ, ſummarie cognoſcantur, & decidantur: & Judices teneantur omnino ſententiam exequi, quacumque appellatione interpoſita non obſtante: quæ licet fuerit admiſſa, executionem non ſuſpendat, nec differat miſſionem in poſſeſſionem ejuſdem ſententiæ diſpoſitione faciendam: & ſemper intelligatur ea conditione admiſſa fuiſſe, ut Judex, qui tulit ſententiam, poſſit, & debeat Eccleſiam, ſive pium locum, ſive beneficiorum Rectores, & Monaſteria, quæ ſententiam pro ſe reportaverint, in poſſeſſionem inducere, & in omnibus executionem, ac licentiam concedere, juxta ejuſdem ſententiæ diſpoſitionem. Et ſupradicta omnia, & ſingula locum habeant, non ſolum cum clerici, & piorum locorum procuratores agunt, ſed etiam cum conveniuntur.

Dictus Abbas has leges Synodales petit confirmari.

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus exponens præmiſſa omnia pro illorum firmiori ſubſiſtentia, & validitate apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſideret.

Confirmat Urbanus.

§.3. Nos dictum exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium conſilio celebrationem dictæ Synodi, ac in ea edita declarationes, & decreta, ut præfertur, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Clauſulas irritantes apponit.

§.4. Decernentes illa omnia, necnon præſentes Literas valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, in futurum inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, quibuſvis perſonis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 17. Septem. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Septembris 1637. Pontificatus noſtri Anno Decimoquinto.

Quod

DXLVII.

Quod in Provincia Granatensi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nullus Frater . aut consanguineus in primo , & secundo gradu Ministri actualis pro tempore, possit succedere immediate ad Provincialatum d. Provinciæ &c.

Vide , quæ de his Fratribus indicavi tibi ad Constit. XCV. Pastoralis officii. *Gregorii XV. Tom.V. Par.V. fol.90. & ad Constit.CCCXVIII.*Sacrosanctum.*hujus Pontificis . Tom.VI. Par. I. fol.*194.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam .

Motivæ hujus Constit.

CUm, sicut dilecti Filii Fratres Ordinis Min.S.Francisci de Observantia nuncupati Provinciæ Granatensis Nobis nuper exponi fecerunt, quod aliàs contigerit, ut Ministri Provinciales animadvertentes, sese ad idem Provincialatus officium in vim literarum apostolicarum religi minime posse , dederint operam , ut eorum frater , aut nepos ad officium hujusmodi eligeretur , & sic multorum annorum spatio dictum officium inter ipsos hæreditarium per continuatam sibi sanguine conjunctorum in officio hujusmodi successionem effectum fuerit; propterea que dicti exponentes cupientes opportunum aliquod in præmissis remedium adhiberi , ac aliàs ne dictæ Provinciæ Fratres hujusmodi graves , & benemeriti ab officiis excludantur , illaque juvenibus inexpertis in maximum dedecus,& boni regiminis d.Religionis detrimentum conferantur , desuper provideri .

§.1. Nos prædictos exponentes specialibus favoribus , & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis , suspensionis , & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententijs, censuris , & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione , vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatæ existunt , ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes , & absolutas fore censentes supplicationibus illorum nomine Nobis super similiter porrectis inclinati; Volumus , & apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus , & ordinamus ;

Observari mandat prout in Rubrica.

§.2. Quod de cætero nullus Frater , aut consanguineus , in primo , & secundo gradu Ministri Provincialis d. Provinciæ Provincialatus officium hujusmodi dimittentis immediate post ipsum in Ministrum Provincialem dictæ Provinciæ eligi quoquo modo possit, & valeat : Mandantes propterea omnibus , & singulis dictæ Provinciæ , & Ordinis hujusmodi Superioribus , Fratribus , & personis , ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit , ne quicquam contra nostram præsentium literarum continentiam ,, & tenorem facere , vel attentare audeant , seu præsumant , ac decernentes præsentes literas validas , firmas , & efficaces existere , & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri , & obtinere debere , irritumque , & inane, si quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari .

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis , ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis statutis , & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis , & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis , confirmatis , & innovatis . Quibus omnibus , & singulis , etiamsi de illis , eorumque totis tenoribus specialis , specifica , expressa , & individua , ac de verbo ad verbum , non autem per clausulas generales idem importantes mentio. seu quævis alia expressio habenda , aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret , illorum tenores hujusmodi , ac si de verbo ad verbum , nihil penitus ommisso , ac forma in illis tradita observata exprimeretur,& insereretur, præsentibus pro expressis,& insertis habentes , hac vice duntaxat specialiter , & expresse derogamus , cæterisque contrariis quibuscumque .

Dat. die 1. Octobr.1637. An.XV.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem , sub Annulo Piscatoris , die 1. Octobris 1637. Pontificatus Nostri XV.

DXLVIII.

Prohibitio extrahendi libros e Bibliothecis , & Paramenta ab Ecclesiis Conventuum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis .

Plures Summi Pontifices prohibuerunt extractionem librorum e Bibliothecis Regularium .

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam .

Motiva.

§.1. COnservationi , & manutentioni Bibliothecarum singularum Domorum , necnon paramentorum , & ornamentorum illarum Ecclesiarum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis. quantum cum Domino possumus, benigne consulere , ipsarumque Domorum Guardianos , & Fratres specialibus favoribus , & gratiis prosequi volentes , & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis , suspensionis , & interdicti , aliisque ecclesiasticis sententiis , censuris , & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione , vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatæ existunt , ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolven-

tes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati;

Prohibet pro- ut in Rubr. §.2. Ne de cætero quiquam quavis auctoritate fungentes libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta Bibliothecis, aut paramenta, ornamenta quæcumque Ecclesiis hujusmodi per quoscumque christifideles hactenus quomodolibet donata, & assignata, seu imposterum forsan donanda, & assignanda ex Bibliothecis, & Ecclesiis hujusmodi respective extrahere, seu quibusvis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Locis Piis, aut personis commodare, sive ut extrahantur, seu commodentur permittere, quovis prætextu, aut quæsito colore, causa, ingenio, ratione, vel occasione audeant, seu præsumant, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis, apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis der gat. §.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in valvis singularum Bibliothecarum, & Ecclesiarum hujusmodi respective, aut aliquibus aliis perspicuis locis, unde ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat.

Transumptis credi jubet. §.4. Quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 13. Octob. 1637. An.XV. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Octobris 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DXLIX.

Quod Minister Fratrum de Observantia Provinciæ Granatensis teneatur recipere Religiosos missos ex Recollectis ejusdem Provinciæ, qui a perfecta suæ Regulæ observantia declinarunt.

De transitu Fratrum a Reformatione ad Observantes dat modum Paul.V. in sua Constitut. LXII. Postulat. Tom. V. Par. III. fol.246.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. §.1. Cum, sicut dilecti filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis Nobis nuper exponi fecerunt, temporis progressu compertum sit, quod quando Religiosus aliquis Ordinis, & Provinciæ hujusmodi a perfecta suæ Regulæ observantia declinavit, exinde aliis Fratribus perturbationes non sine maximo eorumdem præjudicio perveniant, cupiantque propterea pro majori divini cultus incremento inconvenientibus hujusmodi opportunum aliquod remedium adhiberi;

§.2. Nos dictorum Exponentium votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, annuere, ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati;

§.3. Volumus, & apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut tunc, & eo casu possint Definitor, & quatuor Guardiani dictorum Fratrum Recollectorum sese congregare, sique apud Ministrum Provincialem Fratrum Minorum eorumdem institerint pro amotione alicujus ex Recollectis Religiosi, & transmissione ad Fratres de Observantia nuncupatos, dictus Minister Provincialis teneatur, eumdem Fratrem ex Recollectis removere, illumque inter dictos Fratres de Observantia recipi facere libere, & absolute, & absque ulla prorsus mora, & tergiversatione. Mandat observari prout in Rubric.

§.4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§.6. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhi- Transumptis credi mandat.

adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16. Octobr. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 16. Octobris 1637. Pontificatus nostri anno decimoquinto.

DL.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Congregationi Oratorii Neapolitani communicantur omnia Privilegia Congregationi Romanæ concessa.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§.1. Gregis Dominici animarum saluti, divinique cultus incremento juxta creditum Nobis desuper apostolicæ servitutis officium jugiter invigilantes, privilegia, & indulta, quæ propterea piis Christifidelium Congregationibus in militanti Ecclesia ad divini nominis laudem, & gloriam, sanctæq; fidei catholicæ exaltationem salubriter institutis a Sede Apost. concessa sunt, non solum confirmamus, verum etiam pastoralis officii nostri partes libenter intendimus, ut Congregationes ipsæ novis ab eadem Sede gratiis, atque indultis decorentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refert Literas Sixti V. quibus nonnulla Privilegia Congreg. Oratorii Romæ erectæ concessit.

§.2. Alias siquidem a fel. rec. Sixto Papa V. Prædecessore nostro emanarunt literæ ad favorem Congregationis Presbyterorum Oratorii per Sanctum Philippum Nerium institutæ, & ab eadem Sede confirmatæ tenoris sequentis videlicet; Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem, cujus fidei cura, & Salus Dominici gregis divinitus est commissa, Prædecessorum suorum vestigiis inhærendo ea benigne concedere, quæ ad ejusdem gregis conscientiæ purificationem, & peccatorum remissionem, animarumque salutem, ac spiritualem consolationem noscuntur pertinere. Alias siquidem fel. rec. Gregorio Papæ XIV. Prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Philippi Nerii Præpositi, & Presbyterorum Congregationis Oratorii in Parochiali Ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe per ipsum Prædecessorem antea instituti exposito, quod de mense Augusti anni Domini 1563. piæ mem. Pius Papa IV. etiam Prædecessor noster Philippo, & Presbyteris prædictis tunc Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ Nationis Florentinorum etiam de Urbe in divinis servientibus nonnullas gratias, & privilegia ad decennium duratura apostolica auctoritate concesserat, & decennium hujusmodi jam tunc expiraverat, dictus Gregorius Prædecessor volens eosdem Philippum, & præsbyteros non minoribus, quam dictus Pius Prædecessor prosequutus fuerat gratiis, & privilegiis prosequi, & ut ipsi facilius, & libentius altissimo famulari, & animabus Christifidelium in audiendis eorum confessionibus, amplius prodesse possent, providere, Philippo, & Presbyteris Congregationis hujusmodi, ut quorumcumque Christifidelium ad ipsos undecumque accedentium, illosque infirmitatis, vel quocumque alio tempore, & occasione Domum, sive ad quemcumque alium locum ad se vocantium, & requirentium confessiones libere audire, & illis diligenter auditis ipsos Christifideles, & eorum singulos ab excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac quibusvis aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris quavis occasione, vel causa quomodolibet latis, & per eos incursis, ac etiam ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, & excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis contentis in literis in Cœna Domini legi consuetis absolvere, & pro commissis pœnitentiam salutarem eis injungere, ac vota quæcumque, ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Urbe, Sancti Jacobi in Compostella, & B. Mariæ Lauretanæ, ac castitatis, & religionis votis dumtaxat exceptis in alia pœnitentiæ, vel pietatis opera commutare, nec non per dimidium horæ spatium ante auroram, & post meridiem eis eveniente casu missas celebrare libere, & licite valeant dicta auctoritate indulsit, & facultatem concessit, prout in ipsius Gregorii Prædecessoris literis desuper in forma Brevis sub die 14. Martii Pontificatus sui anno quarto expeditis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte Philippi, & Presbyterorum prædictorum petitio continebat, a pluribus credatur, literas facultatis hujusmodi, licet illæ ad certum aliquod tempus specifice, & expresse non fuerint limitatæ, nihilominus decennio jam de mense Martii proxime præteriti elapso, tamen durasse, & propterea ipsi, ut omne dubium tollatur, ac in Dei, & animarum servitio in dies magis, & magis proficere valeant, libentiusque in hanc curam incumbant, dictas facultates ipsis in perpetuum concedi, ac in quibusdam extendi, & ampliari desiderent, pro parte eorundem Philippi, & Presbyterorum, qui, ut asserunt, in primodicta Ecclesia ad confessiones audiendas de nostri in dicta Urbe, & illius districtu Vicarii in spiritualibus generalis licentia deputati existunt, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis; Philippum, & Presbyteros prædictos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa

latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentiū dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censeotes, necnon literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, Philippo, ac nunc, & pro tempore existentibus Congregationis hujusmodi ubicumque locorum diffusæ Presbyteris in Urbe a d. Vicario, seu extra eam ab Ordinariis locorum ad confessiones audiendas quomodolibet approbatis, eorumque singulis, quod ipsi perpetuis futuris temporibus omnium, & singulorum Christifidelium confessiones audire, illisque auditis eos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis quavis occasione, vel causa quomodolibet latis, & per eos ioeursis, necnon ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, & excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam a casibus dictæ Sedi reservatis, vel imposterum reservandis (exceptis tamen contentis in literis die Cœuæ Domini legi consuetis) absolvere, ac pro commissis pœnitentiam salutarem eis injungere, necnon vota quæcumque, ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Urbe, & Sancti Jacobi in Compostella, castitatisque, & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pœnitentiæ, vel pietatis opera commutare. Præterea per dimidium horæ spatium ante auroram, & post meridiem Missas celebrare, ac etiam, qui ex eis prævio examine ad confessiones audiendas in ipsa Urbe a dicto Vicario approbati fuerint, & extra eamdem Urbem absque alio examine de licentia tamen Ordinariorum locorum, indulto, & facultatibus hujusmodi uti, ac potiri libere, & licite valeant, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore revocari, suspendi, vel limitari, neque eis derogari posse, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum suum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse, & censeri, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoraoter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Philippus, & Presbyteri prædicti hujusmodi indulto celebrandi ante diem parce utantur, quia cum in Altaris ministerio immoletur Dominus Noster Jesus Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce; Quodque præsentium transumptis, etiam impressis Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis; eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, & voluntatis infrigere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1586. nonis Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.

Et eadem indulta Congr. Neapolitanæ confirmat.

§.2. Nos ad uberes fructus, quos dilecti filii Presbyteri Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii in Civitate Neapolitan. canonice institutæ, verbi Dei prædicationibus, Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, moltorumque aliorum hujusmodi piorum operum exercitiis hactenus attulerunt, & in dies afferunt paternæ dirigentes considerationis intuitum, ut in tam sancto, & laudabili Instituto ardentius de cætero perseverent, eos præcipuo paternæ charitatis affectu complectendos duximus. Hinc est, quod nos prædictos Presbyteros dicti Neapolitani Oratorii specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus dilectæ in Christo Filiæ nobilis Mulieris Annæ Columnæ Barberinæ dilecti filii Nobilis Viri Thadæi Barberini Almæ Urbis nostræ Præfecti, & Principis Prænestin. nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis conjugis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula in præinsertis dicti Sixti Prædecessoris literis contenta, & expressa, ac etiam omnia, & singula alia privilegia, indulta, gratias, favores, concessiones, facultates, libertates, & exemptiones tam spirituales, quam temporales in genere, vel in specie eisdem, vel Congregatiooi prædictæ de Urbe concessa, vel concessas per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, vel per Nos, aut alio canonico titulo acquisita, & acquisitas præsertim circa exemptionem a Processiooibus tam publicis, quam privatis; ita tamen ut prædictæ Congr. Oratorii Neapolitan. Presbyteri præsentes, & futuri, tam præinsertarum Sixti V. Prædec., quam præseotium Literarum vigore absolvere nullo modo valeant a casibus in Literis die Cœnæ Domini legi solitis, & in Constitutione nostra super electione Romani Pontificis emanata contentis, neque profitentes, seu exercentes quomodolibet astrologiam judiciariam, & alia prohibita in Constitutione

ne etiam nostra desuper edita, violatores immunitatis ecclesiasticæ etiam contra Constitutionem rec. mem. Gregorii Papæ Decimiquarti etiam Prædecessoris nostri, violatores clausuræ Monialium ad malum finem procurantes, ac pugnantes in duello, ac incidentes in pœnas canonis, si quis suadente diabolo, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac quateuus opus sit, de novo concedimus. Ita tamen, ut vigore præsentium Literarum in Domibus particularium personarum confessiones audire non possint.

Clausulas apponit.

§.3. Decernentes, præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes vocati, & auditi non fuerint, aut præmissis non consenserint, seu causæ, propter quas præsentes emanarint adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, aperitionem oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu eo impetrato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac prædictis Presbyteris Oratorii Neapolitan. plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis tam per similis mem. Clementem Octavum, quam Paulum V. Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Nos contra regulares, & forsan alios editis, aliisque quibusvis dictæ Congregationis Oratorii, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die ultima Octobris 1637., Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Dat. die 31. Octobr 1637. An. XV.

DLI.

Confirmatio, extensio, & declaratio Constitutionum Apostolicarum, prohibentium Civitates, Castra, & alia tam Jurisdictionalia, quam non jurisdictionalia, stabilia tamen bona, in Statu Ecclesiastico consistentia, alienari in Forenses absque Sedis Apostolicæ licentia: & revocatio quarumcumque licentiarum, & facultatum adversus prædictas Constitutiones concessarum.

Alienationem bonorum Status Ecclesiastici in non subditos, & forenses prohibuit Sixtus Quintus sua Const. VII. Solicitudo. *To. IV. Par. IV. fol. 134. Quam postea approbavit Clemens VIII. in sua Const. CCL.* Romanum. *Tom. V. Par. II. fol. 371. Et ampliavit Paul. V. Const. CCLXXXI.* Pastorale. *Tom. V. Par. IV. fol. 246.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motu Proprio &c.

Olim felicis recordationis Sixtus V. Prædecessor noster, ut tunc suorum, & Sedis Apostolicæ subditorum conservationi prospiceret, Civitates, Castra, Oppida, Jurisdictiones, Feuda, & bona quæcumque stabilia, seu immobilia, in dicto Statu Ecclesiastico consistentia, per quemcumque, cujusvis status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis existeret, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis auctoritate, ac dignitate, etiam ecclesiastica, quæ specialem, & individuam mentionem requireret, præditus esset, vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi in sua, & Sedis Apostolicæ licentia in aliquam Communitatem, Universitatem, Collegium, vel personam extraneam, seu forensem, etiam ut præmittitur, quomodolibet qualificatam, quæ dictæ Sedi in temporalibus subdita, & supposita non esset, vel quæ in dicto Statu domicilium legitime non contraxisset, prædictas vero Civitates, Castra, Oppida, Fortalitia, & alia quæcumque Jurisdictionalia, præsertim Feudalia tam

Refert ea, quæ præscripserat Sixtus V.

in

in forenses, quam in subditos quoscumque quomodolibet qualificatos vendi, permutari, ac donari, nisi præcedente præfata licentia apostolica prohibuit sub pœna nullitatis contractuum, aliorumque gestorum: In præfata tamen prohibitione neque census, neque officia, neque portiones, seu montium loca, nec mulierum dotes, nec Almam Urbem, uti communem Patriam, cum ejus circuitu ad decem millia passuum voluit comprehendi; filios tamen,& hæredes prædictarum mulierum, soluto matrimonio, si exteri forent, adstrictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem Statu, vel bona prædicta in alium, seu alios habitatores, ac subditos transferre statuit.

Clemens VIII.

§.2. Deinde rec. mem. Clemens Papa Octavus etiam Prædecessor noster, eamdem Sixti prohibitionem, ac statutum, nedum confirmavit, sed etiam ad Principes extraneos, Universitates, Communitates, & Collegia, non tamen ecclesiastica, respectu quorumcumque bonorum stabilium tam in confinibus ejusdem Status Ecclesiastici, quam in quacumque alia ipsius Status parte, & in ipsa Urbe consistentium, ac etiam censuum aliorumque honorum, & jurium, quæ pro stabilibus habentur, non tamen officiorum Romanæ Curiæ, nec portionum, seu locorum montium comprehendere declaravit, ac etiam ad quæcumque genera contractuum, præterquam, ut præfertur, ex causa dotis, & ad quascumque dispositiones inter vivos, & causa mortis, ac ultimas voluntates extendit.

Et Paulus V.

§.3. Et successive piæ memoriæ Paulus Quintus etiam Prædecessor noster, prædictas Sixti, & Clementis Constitutiones declaravit, ac extendit, statuens quoque licentiam apostolicam prædictam esse in scriptis obtinendam, & in actu celebrationis instrumentorum exhibendam sub diversis pœnis, etiam quoad Notarios ipso jure incurrendis. Ac denique Nos prioribus nostris Literis easdem Constitutiones confirmavimus, ac in eis bona in confinibus Territorii Baronalis existentia, & Castra diruta, ac Tenutas jurisdictionales, censusque super eisdem bonis impositos comprehendi declaravimus. Et successive per alias nostras literas terminum illis, qui præmissis contravenerant, ut contractus, & gesta quæcumque, ut præfertur, prohibita retractarent, præfiximus, & aliàs, prout latius,& plenius in prædictis Sixti,Clementis, & Pauli Prædecessorum nostrorum, ac nostris Literis continetur.

Causæ prædictas Constit. declarandi, & extendendi.

§.4. Cum autem postmodum longiori experientia compertum sit, etiam ex dotibus, seu ex contractibus, ac dispositionibus causa dotium, posse Sedi Apost., suisque subditis non modicum fieri præjudicium, & sæpe ex occultis assignationibus etiam per scripturas privatas fieri solitis ipsas dotes, ac bona, & jura dotalia in venditiones ab eisdem Constitutionibus prohibitas, clam transire posse, si Civitates, Castra, Oppida, Fortalitia, Arces, aliaque jura, & bona jurisdictionalia, ac bona stabilia, seu immobilia quæcumque, præsertim in confinibus ejusdem Status Ecclesiastici, etiam pro aliqua parte contigui, existentia, certo pretio æstimanda per quoscumque sive forenses, sive subditos, quomodolibet qualificatos, etiam Imperiali, Regali, Ducali, & quavis alia authoritate, ac dignitate, etiam ecclesiastica, & aliàs individuam mentionem requirente præditos, in puellarum, seu mulierum etiam subditarum dotibus, & accunciis, sive causa, vel prætextu dotium, donationumque propter nuptias, vel pro arrhis, ac aliàs quomodolibet in dotes, seu pro dotium solutione, vel assecuratione constituerentur, & assignarentur, vel aliàs, etiam absque æstimatione, & qualibet alia palliatione darentur, seu traderentur quibuslibet forensibus quomodolibet, ut præmittitur, qualificatis, etiam principibus majoris potentiæ quibuscumque, eorumque patribus, matribus, avis, & aviis, tam paternis, quam maternis, ac fratribus, filiisque, nepotibus, etiam ex fratre, vel sorore nunc natis, & quandocumque nascituris;

Urbanus dictas Const. confirmat, & extendit, pænasque innovat.

§.5. Ideo Nos volentes, prout ex debito nostro pastorali tenemur, omnibus præjudiciis prædictis, & aliis quibuscumque obviam ire, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetua Constitutione easdem Sixti, Clementis, & Pauli, ac nostras Literas omniaque, & singula in eis, & earum qualibet expressa, & prohibita, pœnasque tam nullitatis contractuum, ac dispositionum, quam alias quascumque ab eis, & singulis earum etiam contra Notarios, & alios quoscumque inflictas approbamus, confirmamus, & innovamus. Necnon illas ampliando, ac declarando, easdem Constitutiones, ac omnia, & singula in eis, & earum qualibet contenta, ad quoscumque contractus causa, vel prætextu dotium quomodolibet imposterum ineundos, ac ad quascumque dotes cujuscumque qualitatis, quantitatis, ac valoris, & quantumlibet privilegiatas, & favorabiles, etiam ratione educationis infantium, pupillorum, & personarum quarumcumque, & cujuslibet alterius necessitatis, & aliàs quomodolibet per quoscumque sive subditos, sive forenses, utriusque sexus, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam Imperialis, Regalis, Ducalis, nunc, & pro tempore existentes, & quacumque auctoritate, ac dignitate, etiam ecclesiastica, & individuam expressionem requirente præditos, de quibuscumque bonis, & juribus, sive Jurisdictionalibus, sive non Jurisdictionalibus, stabilibus tamen, seu immobilibus, aliisve bonis, & juribus, quæ pro stabilibus habentur, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico, præsertim in confinibus ejusdem Status, pro aliqua ejus parte contigui, sitis, tam conjunctim, quam divisim absque nostra, & Romani Pontificis,

pro tempore existentis, expressa licentia prædicta imposterum, etiam absque aliqua palliatione assignandas, & quomodolibet dandas cuicumque puellæ, seu mulieri, etiam viduæ, etiam subditæ, & quovis modo, ut præmittitur, qualificatæ, in favorem tamen cujuslibet forensis, quantumlibet, ut præmittitur, qualificati, etiam Principis majoris potentiæ, vel ejus patris, matris, avi, aviæ, sive paterni, sive materni, aut fratris, vel filii, aut nepotis, etiam ex ejus fratre, vel sorore nunc nati, & quandocumque nascituri, extendimus, & ampliamus, perinde ac si dotes, & contractus ex causa dotium hujusmodi non fuissent in prædictis Constitutionibus exceptæ, nec excepti.

Et aliter superaddit.

§.5: Quinimo ultra pœnas in prædictis Constitutionibus inflictas addimus pœnam privationis, & confiscationis ipsorum bonorum, & jurium quorumcumque eo ipso, absque alia declaratione incurrendam in favorem Cameræ Apostolicæ, sive Ecclesiarum inferiorum, a quibus contrahentes, vel disponentes illa recognoverunt, vel recognoscunt.

Declaratio confirmationis, & extensionis.

§.6. Quam quidem confirmationem, & extensionem, ita declaramus, ut quoad jurisdictionalia, respectu dotium, & contractuum, ac dispositionum præfatarum, de cætero ineundorum assignandarum, & faciendarum sine licentia apostolica prædicta, tam Principes majoris potentiæ, & sui præfati, quam quicumque alii quomodolibet qualificati subjaceant eisdem pœnis, etiam privationis, & confiscationis, etiam si ipsi ita contrahentes, ac disponentes Nobis, & Sedi Apostolicæ ratione feudi essent subditi, ac etiam si Castra, vel alia jurisdictionalia quæcumque, aut stabilia, aut palatia, vel domos apertas haberent in eodem Statu, vel etiam in Urbe, in quibus ipsi continuè cum eorum familiis, & laribus vere, & personaliter habitare non consueverint. Quo vero ad non jurisdictionalia, stabilia tamen, seu immobilia, ac census, & alia, quæ pro stabilibus habentur, non tamen Romanæ Curiæ officia, nec portiones, seu montium luca, iidem Principes majoris potentiæ, & sui prædicti eisdem pœnis subjaceant. Reliqui vero forenses pariter easdem pœnas, etiam privationis, & confiscationis præfatorum stabilium, & aliorum, quæ pro stabilibus habentur, ubilibet in præfato Statu Ecclesiastico, non tamen in Urbe, nec in ejus circuitu prædicto, nec etiam in ejus districtu consistentium, a mari tamen ultra duo milliaria distantium, nec Romanæ Curiæ officiorum, nec portionum, seu locorum montium incurrant, nisi ultimo dicti forenses infra annum, a die constitutæ dotis, vel a die initi contractus, vel factæ dispositionis incipiendum, veniant cum eorum familiis, & laribus vere, & personaliter ad habitandum in Statu Ecclesiastico, inde non recessuri, vel infra eumdem annum eadem stabilia, & quæ pro stabilibus habentur, realiter, & cum effectu in alium, vel alios, Sedi Apostolicæ in temporalibus subditos, & in eodem Statu habitantes, transferant: & idem pariter observari volumus quoad dotes, hactenus promissas, assignatas, datas, seu traditas, ubi non fuerit hactenus celebratum, & consummatum matrimonium, nisi respectu Principum majoris potentiæ, & cujuslibet suorum præfatorum, sponsus, per annum immediate præcedentem ante celebratum matrimonium venisset ad habitandum personaliter in Statu Ecclesiastico, se, ejusque familiam, & lares transferendo, inde non recessurus. Quibus nullitatibus, & pœnis locum esse volumus non obstante, quod sponsa, vel uxor, aut quicumque promittentes, dantes, vel relinquentes dotem, eorumque hæredes in eorum possessione continuaverint, ac non obstante quocumque fideicommisso, primogenitura, majoricatu, alienandi prohibitione, & quolibet alio vinculo, investitura, nominatione, vocatione, & quavis alia concessione, ac dispositione, etiam feudali, ac emphyteutica, a Sede Apostolica, & a quocumque alio, etiam in favorem, & pro conservatione cujuscumque familiæ quantumlibet nobilis, & aliis quomodolibet privilegiatæ, factis, ac semel, & pluries per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per Nos approbatis, ac effectum sortitis. Quibus omnibus, & singulis plenissime derogamus quoad ipsos contrahentes, vel disponentes adversus præmissa, & eorum singula, ac eisdem contractibus, & dispositionibus consentientes, eorum tamen vita durante tantum.

Licentias emendi, acquirendi &c. revocat.

§.7. Insuperque omnia, & singula indulta, & licentias emendi, & acquirendi, ac non veniendi ad habitandum in Statu Ecclesiastico, & bona quæcumque in subditos, non transferendi, & aliis quomodolibet contra prædictas Constitutiones, etiam præsentibus per Nos extensas, ac declaratas, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac etiam a Nobis, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestate paribus, & ex quibuscumque causis quantumlibet favorabilibus, & onerosis, quibuscumque personis, etiam Principibus majoris potentiæ, suisque prædictis, & eorum cuilibet, ac familiis quantumlibet, ut præmittitur, qualificatis, ac aliàs quomodolibet concessa, & concessas, etiam effectum sortita, & sortitas, non tamen in eo, in quo usque huc realiter exequuta sunt, revocamus, respectu Jurisdictionalium quorumcumque prædictorum, & illis annexorum dumtaxat, ac pro revocatis haberi volumus, & esse revocata declaramus, itaut imposterum nemini suffragentur, nisi cum infrascripto onere veniendi ad habitandum in dicto Statu Ecclesiastico, exceptis tamen illis, qui desuper cum Sede Apostolica transactiones, & pactiones hinc inde obligatorias habent, quoad ea tamen, quæ sunt specialiter expressa in ipsis transactionibus, & pactionibus respective,

ctive, quibus præjudicare non intendimus, ac etiam exceptis, quoad prædictum onus habitandi in Statu Ecclesiastico, eisdem Principibus majoris potentiæ, suisque prædictis, ac aliis Principibus, qui forsan prætendentes esse Principes majoris potentiæ propter insignes jurisdictiones, quas habuerunt, & habent vel imposterum habebunt, in suis ditionibus, extra prædictum Statum Ecclesiasticum consistentibus, non tamen eidem Statui Ecclesiastico contiguis, seu conterminis, residentiam continuam sibi constituerunt, vel in futurum constituent, ac etiam exceptis illis, qui, seu quorum majores prius in exteris ditionibus, quam in Statu Ecclesiastico habuerunt, & habent, vel habebunt possessionem actualem Jurisdictionalium.

§. 8. Ulterius volumus, quod, exceptis prædictis, reliqui omnes, & singuli, etiam indulta, & licentias hujusmodi habentes, & jurisdictionalia prædicta Sedis Apostolicæ, seu Ecclesiarum inferiorum, in eodem Statu Ecclesiastico sita, nunc, & pro tempore possidentes, vel alia, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico consistentia, præcedente tamen licentia apost. ementes, etiam sub hasta, aut aliàs quavis titulo, etiam dotis acquirentes, eorumque hæredes, & successores teneantur venire ad habitandum vere, & personaliter cum eorum familiis, & laribus in eodem Statu Ecclesiastico infra annum proximum, a die datę præsentium, & respective a die acquisitionis, seu adeptæ possessionis ipsorum jurisdictionalium, decurrendum, inde non recessuri, vel infra eumdem annum eadem jurisdictionalia pręcedente præfata licentia apostolica in alium, vel alios subditos, & habitatores transferre, aliàs in eventum contraventionis, seu inobedientiæ, in easdem pœnas, etiam privationis, & confiscationis eorumdem jurisdictionalium eo ipso pariter ad favorem Cameræ Apostolicæ, & respective Ecclesiarum inferiorum præfatarum, incidant. Forenses vero, sive Exteros ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictarum, illos imposterum non esse, nec fore declaramus, qui Nobis, ac dictæ Sedi ratione temporalis jurisdictionis Status nostri Ecclesiastici subditi, & suppositi sint, vel qui domicilium in eo legitime contraxerint, quod domicilium requiratur etiam quoad possidentes in eodem Statu Ecclesiastico aliquam jurisdictionem, vel qui in prædicto Statu Ecclesiastico, etiam Avenionensi, Bononien., & Beneventano, & intra ejus limites non tamen in locis eorumdem Principum majoris potentiæ, vel suorum prædictorum, nati sint. Qui autem nunc, & pro tempore sint vel fuerint Principes majoris potentiæ, etiamsi ipsi a ritualibus, & diariis Sedis Apostolicę indicentur, declarationem tamen illorum ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictarum Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris reservamus, prout etiam reservamus, declarationem jurisdictionum insignium, quibus fuerit hactenus constituta, vel imposterum constituetur per Principes habitatio prædicta.

§.9. Præsentes quoque Literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea minime vocati, & auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, justificatæ fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari posse, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari. Clausulas præservativas addit.

§.10. Sicque, & non aliter in præmissis, omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Clericos Cameræ Apostolicæ Præsidentes, Cardinalem Camerarium, & quoscumque alios, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Nuncios, & alios quavis potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Clausula sublata.

§.11. Non obstantibus præmissis, necnon prædictis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; ac etiam Cancellariæ nostræ Regulis, etiam illa de non tollendo jure quæsito, ac etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis sub quibuscumque tenoribus, ac formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, ac etiam illis, quæ iidem Prædecessores nostri voluerunt, ac Nos, etiam volumus in prædictis Constitutionibus non obstare, illorum omnium, & singulorum tenores, etiam ampliores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§.12. Et ut ad omnium notitiam præsentes, & in eis contenta quæcumque deveniant, volumus, quod eædem per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranen. & San- Formà publicationis.

& Sancti Petri, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, quæ sic affixæ, & publicatæ omnes & singulos afficiant, & arctent, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Dat. die 3. Nov. 1637. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Novembris 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1637. Inditione quinta, Pontificatus autem Sanctissimi D. N. D. Urbani Divina Providentia Papæ Octavi Anno ejus XV. die vero prima Decembris, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, atque in acie Campi Floræ per nos Josephum Masseum, & Antonium Bardum Apostolicos Curs.

Dominicus Varesius Mag. Curs.

DLII.

Quod Moniales Conversæ Ordinis S. Claræ Monasterii Sancti Marcelli Parisiensis debeant manuteneri in possessione eligendi Abbatissam.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Monialium instantia.

§. 1. Cum sicut dilectæ in Christo filiæ Moniales Conversæ Monasterii Monialium S. Claræ Ordinis S. Francisci siti in Suburbio S. Marcelli Parisien. sub gubernio Fratrum Minorum ejusdem Ordinis existentium Nobis nuper exponi fecerunt, aliàs dilecta in Christo filia Magdalena Rebours d. Monasterii Abbatissa triennalis absque participatione Ministri Provincialis, & cujusvis alterius dicti Monasterii Superioris prædictas Moniales Conversas voce activa, qua conjunctim cum Choristis dicti Monasterii a trecentis circiter annis gavisæ fuerunt, ratione electionis Abbatissæ Monasterii hujusmodi privare voluerit, & ad hunc effectum suffragia majoris partis dictarum Choristarum mendicaverit, & una cum ipsis desuper quoddam capitulare Decretum ediderit, aliæ vero Choristæ una cum præfatis omnibus Monialibus Conversis decreto hujusmodi uti invalido, & contra Constitutiones earum Regulæ expresse disponentes nihil omnino alterari posse absque expresso totius d. Monasterii consensu, sese formaliter apposuerint; Nobis propterea dictæ exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut infra providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum, de quo in Rubrica.

§. 2. Nos igitur easdem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis regularium præpositorum consilio, volumus, & apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, præfatas Moniales conversas Monasterii hujusmodi fore, & esse manutenendas in possessione, vel quasi eligendi Abbatissam una cum aliis Monialibus Choristis juxta præscriptam, & immemorabilem consuetudinem, in qua, ut præfertur, sese fuisse, & esse contendunt.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque exponentibus in omnibus, & per omnia suffragari, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii, & Ordinis præfatorum, etiamsi &c. consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Nov 1637. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Nov. 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLIII.

Consulit Juribus S. R. E. in Electione, & Confirmatione Imperatoris Romanorum.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Declarat mentem suam non fuisse per quoscumque actus ac titulos Ferdinandi III. in Regem Romanorum, ac fortasse etiam Imperatorem electionem confirmare.

§. 1. Acceptis nuper a charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungariæ, & Bohemiæ Rege illustri binis literis, quibus Nobis significabat se in Conventu Electorali Ratisbonæ habito in Regem Romanorum futurum Imperatorem electum esse, piæ vero mem. Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum ejus genitorem brevi postmodum obiisse: Idcirco in duabus Cappellis Pontificiis in nostra, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præsentia, Sacrosancto Missæ Sacrificio solemniter celebrato, in illarum prima respectu electionis gratiæ Deo Omnipotenti actæ, & in secunda pro ipsius Genitoris defuncti animæ refrigerio preces oblatæ fuerunt. Præterea, sicut nonnullæ aliæ functiones præmissorum occasione fieri solitæ jussu etiam nostro factæ extiterunt; ita etiam reliqua per Romanos Pontifices Prædecessores nostros peragi consueta, benedicente Domino peragere, prædictisque, & aliis ejusdem Ferdinandi electi literis ad Nos datis, & dandis respondimus, ac respective respondere intendimus, etiam illum Regem Romanorum in Imperatorem electum appellando. Verum ne ex prædictis, & quibuscumque aliis actibus, & functionibus tam nostris, quam quorumcumque nostrorum, & Sedis Apostolicæ Officialium,

ac Miniſtrorum, etiam ſpeciali nota dignorum, etiam Nunciorum Apoſtolicorum, ac quorumcumque S. R. E. Cardinalium, etiam de latere legatorum tam publicis, quam privatis quandocumque, & ubicumque, ac quomodocumque factis, & faciendis, ac inde ſequutis, & ſequendis quibuſcumque poſſit umquam prætendi, Nos electionem prædictam approbaſſe, & confirmaſſe, etiamſi talis prætenſio minime ſubſiſtat, cum apoſtolica confirmatio hujuſmodi tam de jure, quam de more, nonniſi prius coram Nobis exhibitis electionis, & aliorum ad id requiſitorum instrumentis, & prævia matura cauſæ cognitione in noſtro Conſiſtorio ſecreto, & ſub Bulla Conſiſtoriali concedi, & expediri conſueverit; Nihilominus omnem in præmiſſis ambigendi materiam præcidere, mentemque, & intentionem noſtram palam facere volentes, omniumque, & ſingulorum præmiſſorum, ac quorumcumque aliorum actuum, & functionum hactenus, & deinceps quandocumque, ubicumque, & quomodocumque a Nobis, & aliis quibuſcumque, cujuſcumque qualitatis, dignitatis, etiam eccleſiaſticæ, ſtatus, gradus, & conditionis, etiamſi individua expreſſione dignæ extiterint, & pro tempore exiſtant, etiam de mandato noſtro, & alias quovis modo, tam cum eodem Ferdinando electo, quam cum ejuſdem Ferdinandi electi oratore, & oratoribus, ac miniſtris, etiam in Romana Curia factorum, & faciendorum, & inde ſequutorum, & ſequendorum, aliorumque hic forſan exprimendorum, & inſerendorum, etiam particulari mentione dignorum, tenores, circumſtantias, & quaslibet ſingularitates, etiam majores, & veriores præſentibus pro plene expreſſis, & inſertis habentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præſentium ſerie atteſtamur, declaramus, & decernimus, noſtræ mentis, intentionis, & voluntatis incommutabilis ſemper fuiſſe, & eſſe, ac deinceps fore, per omnes, & ſingulos actus, functiones, receptiones, recognitiones, & tractatus quoſcumque verbo, ſcriptis, etiam per literas apoſtolicas ſub plumbo, ac in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris, & miſſivas, ac facto a Nobis, & reſpective a dilecto filio noſtro Franciſco S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Barberino nuncupato S. R. E. Vice-Cancellario noſtro ſecundum carnem ex fratre germano nepote, totiuſque Status noſtri Eccleſiaſtici, ac quorumcumque noſtrorum, & Sedis Apoſtolicæ negotiorum generali ſuperintendente, & a quocumque alio S. R. E. Cardinali, etiam de latere legato, ac etiam a Nunciis Apoſtolicis, etiam apud eumdem Ferdinandum electum nunc, & pro tempore nomine noſtro, & Sedis Apoſtolicæ reſidentibus, & a quibuſcumque aliis noſtris, & Sedis prædictæ officialibus, & miniſtris ubicumque reſidentibus, etiam individua mentione dignis, etiam de mandato noſtro, quandocumque, ubicumque, & quomodocumque factas, & pro tempore faciendas, ac inde ſequuta, & ſequenda quæcumque, etiam pluribus vicibus iteratas, & iterata, ac effectum ſortitas, & ſortita, quoſcumque, & qualiacumque ſint, & pro tempore fuerint, etiam cum oratore, & oratoribus nunc, & impoſterum, etiam apud Nos, Sanctamque Sedem prædictam nomine ejuſdem Ferdinandi etiam uti Romanorum Imperatoris electi pro tempore reſidente, & reſidentibus, ac cum quibuſcumque aliis ipſius Ferdinandi electi Officialibus, Miniſtris, Procuratoribus, & Plenipotentiariis quavis occaſione, & cauſa, etiam ratione fœderis univerſalis, ac defenſionis, & propagationis fidei catholicæ, & quavis alia etiam particulari expreſſione digna hactenus, & pro tempore facta, tractata, & geſta, facienda que, tractanda, & gerenda: Necnon per quaſcumque denominationes, inſcriptiones, appellationes, nuncupationes, & narrativas in favorem præd. Ferdinandi in Regem Romanorum futurum Imperatorem electi per quoſcumque, etiam nomine noſtro, & Apoſtolicæ Sedis, ac etiam per Nos quomodolibet factas, & pro tempore faciendas, illum etiam Regem Romanorum in Imperatorem electum appellando, ac etiam per quemcumque Oratoris, & Oratorum ad Nos, & Sedem Apoſtolicam ab eodem Ferdinando electo deſtinati, & deſtinatorum, miſſique, & mittendorum receptionem, & admiſſionem, ad audientiam noſtram, & ad oſculum pedum noſtrorum cum quibuſcumque apparatibus, cæremoniis, circumſtantiis, prærogativis, antelationibus etiam publicis, etiam extraordinariis, & inſolitis quomodolibet expreſſe, vel tacite hactenus conceſſis, & datis, concedendiſque, & impoſterum dandis, etiam tamquam Oratori, & Oratoribus Romani Imperatoris electi, non intellexiſſe, nec voluiſſe, minuſque impoſterum intelligere, nec velle prædictam ejus electionem approbare, nec confirmare, quinimmo noſtræ mentis, & voluntatis fuiſſe, ac deinceps fore, ut juxta conſuetum confirmatio apoſtolica hujuſmodi per prædictum Ferdinandum electum petatur, & per Literas Apoſtolicas conſiſtoriales a Nobis, & S.R.E. Cardinalibus ſubſcriptas expediri impetratur, & interim nedum omnem approbationem, & confirmationem, ſed etiam cujuſcumque approbationis, & confirmationis expreſſæ, & tacitæ conceſſionem, & quemcumque ejus effectum ſuſpendimus, ſuſpenſamque, & ſuſpenſum fuiſſe, & eſſe, ac deinceps fore declaramus, ac pro ſuſpenſis haberi volumus, & decernimus.

Hanc declarationem opportunis clauſulis firmat.

§. 2. Præſenteſque literas de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo quod quicumque in præmiſſis intereſſe quomodolibet habentes, & habere prætendentes, cujuſcumque ſtatus, gradus, qualitatis, dignitatis, & conditionis exiſtent, & extiterint

rint ad id vocati, citati, & auditi non fuerint notari, impugnari, infringi, seu redargui nullatenus posse, neque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, moderationibus, derogationibus, ac quibuscumque aliis contrariis dispositionibus generalibus, etiam motu, scientia, deliberatione, ac plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros faciendis comprahendi; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & Nuncios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, similiter decernimus.

Derogatque contrariis.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus quibuscumque tam Apostolicis, quam Imperialibus, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam individuam derogationem requirentibus. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum inserta mentio habenda foret. tenores hujusmodi, etiam majores, & veriores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium, & singulorum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Dec. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decretorum Sac. Congregationis Concilii super bono regimine Cancellariæ Archiepiscopatus Turritan.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Dubia ab Archiep. Turritano proposita Congreg. Concilii.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit Ven. Frater Archiepiscopus Turritan. quod aliàs pro ejus parte Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus exposito, Archiepiscopi Turritan. ipsius moderni Archiepiscopi prædecessorem Cancellariam mensæ Archiepiscopalis Turritan. donasse cuidam familiari cum omnibus emolumentis, salariis, & stipendiis, & præterea ab eisdem Ven. Fratribus pro parte ejusdem Archiepiscopi quæsito, utrum donatarius ipse, relicto titulo Secretarii, vel Notarii, aut Cancellarii, seu Magistri actorum, possit

assumere sibi nomen, & titulum Domini utilis prędictę Cancellarię, secundo utrum prædictus Donatarius teneatur stare taxationi salariorum, & stipendiorum factæ a dictis Ven. Fratribus nostris, dicit enim se non teneri ad servandam ullam Taxam, quia non fuit auditus, neque citatus ad videndum taxari salaria suæ Cancellariæ, unde pro collatione, seu possessione unius beneficii accipit a proviso, quantum ipsemet æstimat valorem beneficii. Tertio quia in donatione Cancellariæ prædictæ, auctoritate apostolica confirmata, electa fuit donatarii industria, & experientia multorum annorum, quibus eam administrabat, utrum possit eam locare, aut exercere per substitutum, qui se subscribat in actis: *talis pro tali Domino utili Cancellariæ Turritan.* Et utrum liceat ei assumere scribas ad libitum suum, etiam ignaros absque approbatione dicti Archiepiscopi eique non benevisos.

S. Congreg. resolutio.

§. 2. Cardinales prædicti ad primum responderunt: Cancellarium prædictum non posse nomen utilis Domini Cancellariæ Archiepiscopalis sibi assumere. Ad secundum vero, non posse dictum Cancellarium pro expeditione literatum collationis, vel institutionis quorumcumque beneficiorum, vel pro deputatione Vicariorum in illis accipere, nisi mercedem labori suo convenientem, quæ tamen cum scripturis, sigillo, & cæteris computatis, unum aureum non excedat, atque eumdem Cancellarium ad ita observandum ab Archiepiscopo compelli posse. Ad tertium denique hujusmodi Cancellarium non posse Cancellariam locare alteri, qui se subscribat *N. pro tali Domino utili Cancellariæ*, nec in ipsa Cancellaria Notarios imperitos, aut aliàs sine approbatione Archiepiscopi assumere.

Archiep. prædictam resolutionem petit confirmari.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Archiepiscopus præmissa, quo firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri desideret.

Confirmat Pontifex.

§. 4. Nos ejus votis hujusmodi benigne annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Archiepiscopi nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præmissa hujusmodi apostolica auctoritate, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui in eisdem præmissis quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes illa, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia

Q 2 esse,

esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac a Cancellario prædicto sub pœna privationis cujuscumque sui juris quoad dictam Cancellariam sibi etiam ex concessione Apostolica quæsiti in eventum inobedientiæ, seu contraventionis, aliisque ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari; & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ecclesiæ Turritan., etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Dec. 1637. An.XV.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Decembris 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLV.

Ex Regest. in secret. Brevi

Facultas Nuncio Apostolico apud Imperatorem liberandi Archiepiscopum Electorem Treveren. e Custodia, in qua per biennium nomine S. Sedis detentus fuit.

Commissum huic eidem Nuncio, ut Archiepiscopum Treverensem in sui custodiam reciperet vid. superius in Const. CDLXXXIV. quæ incipit Cum superioribus *fol. 31.*

Ven. Fratri Malatestæ Episcopo Pisauren. apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert datam alias a se Nuncio Apostolico facultatem recipiendi in custodiã Archiep. Treveren.

§.1. Cum annis præteritis non sine animi nostri molestia accepissemus, Ven. Fratrem Philippum Christophorum Archiepiscopum Treveren. Principem Electorem, & Episcopum Spiren. ob nonnullas prætensas causas in ejus Civitate Treveren. per milites charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici in eam irrumpentes captivum ductum, & detentum fuisse, & tunc etiam detineri: Nos pro nostri pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, & ut personæ, pontificali dignitati, libertatique ecclesiasticæ, ac justitiæ consuleretur, fraternitati tuæ, ut prędictus Philippus Christophorus Archiepiscopus tibi libere traderetur, & cum effectu consignaretur, curandi, eumque nostro, & Apostolicæ Sedis nomine recipiendi ac detinendi, seu detineri, & custodiri faciendi, omniaque alia, & singula, quæ in præmissis necessaria, seu opportuna forent, gerendi, & exequendi facultatem concessimus, & impertiti sumus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis Literis sub die ultima Junii 1635. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Cum vero nihil per biennium contra illum fuerit deductum,

§.2. Cumque in executionem prædictarum nostrarum literarum idem Philippus Christophorus Archiepiscopus, & Elector Treveren, ac Episcopus Spiren. Tibi etiam nomine piæ memoriæ Ferdinandi Secundi Regis Romanorũ in Imperatorem electi consignatus, & hucusque per te fuerit detentus, & tamen spatio biennii coram Nobis, & coram te contra ipsum Philippum Christophorum Archiepiscopum Electorem, & Episcopum nihil deductum, & probatum existat, cujus vigore ille juxta canonicas sanctiones retineri, & custodiri debeat.

Eidem Nuncio facultatẽ dat eum dimittendi.

§.3. Idcirco Nos calamitatibus, & damnis tam personæ Pontificali. & Electorali, quam Ecclesiis insignibus suis prædictis propterea illatis, ac etiam per ejus literas nuper Nobis scriptas significatis paterna charitate compatientes, & ne ipse amplius detineatur, Ecclesiæ vero diutius earum pastore destitutæ sint, & propter ejus absentiam majus detrimentum patiantur, quantum cum Domino possumus, etiam providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi, ut eumdem Philippum Cristophorum Treveren. Archiepiscopũ, & Electorem, ac Episcopum Spiren. a prędicta detentione, & custodia penitus auctoritate apostolica dimittas, & liberes, licentiamque recedendi eidem concedas, ut apud Ecclesias suas prædictas residere, illasque, ut prius regere, & gubernare, ejusque Diœcesanos, & subditos verbo, & exemplo pascere possit, & valeat, eadem auctoritate, tenore præsentium, committimus, & mandamus.

Obstantia tollit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & in Conciliis generalibus, & Provincialibus, ac Synodalibus, ac aliis in genere, & in specie editis, & præsertim illa rec. mem. Bonifacii Papæ Octavi de una, & Concilii generalis de duabus dietis, necnon prædictarum Ecclesiarum, ac aliarum quarumcumque, & capitulorum, ac personarum quomodolibet qualificatarum privilegiis, & indultis, ac etiam statutis, etiam juramento firmatis, & a Sede Apostolica, etiam per Nos semel, & pluries approbatis, & confirmatis, consuetudinibusque, etiam longissimis, & immemorabilibus, cæterisque contrariis quibuscumque; quorum omnium, & singulorum tenores, etiam ampliores pro plene expressis habentes illis ad prædictum effectum plenissime derogamus.

Da-

Dat. die 17. Dec. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Decembris 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Manutentio Archiepisc. Electoris Treveren. in possessione, & quasi, in qua tempore suæ detentionis erat, respectu Ecclesiarum, Abbatiarum, Statuum, & aliarum Dignitatum cum facultate Nuncio apud Imperatorem cognoscendi, & terminandi causas contra eum motas, & moven.

Ven. Fratri Malatestæ Episcopo Pisauren. apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Recenset Literas præcedentes.

§.1. POstquam Ven. Frater Philippus Christophorus Archiepiscopus, & Elector Treveren. ac Episcopus Spiren. annis proxime elapsis in sua Civitate Treveren. manu militari captus, & detentus, & deinde fraternitati tuæ etiam nomine piæ mem. Ferdinandi II. Regis Romanorum in Imperatorem electi de mandato nostro consignatus fuit, idem Philippus Christophorus Archiepiscopus, Elector, & Episcopus ita detentus, ac de facto impeditus extitit, & ad præsens existit, ut regimen, & gubernium tam prædictarum suarum Ecclesiarum, ac Monasterii Sancti Maximini Ordinis Sancti Benedicti Diœcesis Treveren. alias per Nos eidem in commendam concessi, quam alias suas dignitates; & jura quæcumque sibi competentia, ut prius exercere non potuerit, neque possit, pristinam tamen illarum, & illorum possessionem, & quasi respective animo semper retinuit, & retinet. Quapropter cum per biennium, & ultra, quo tempore fuit detentus aliquod non fuerit coram Nobis, nec coram te contra ipsum Philippum Christophorum deductum, probatumque, cujus vigore ipse juxta universalium Conciliorum, & Sacrorum Canonum dispositionem debeat detineri. Idcirco Nos hodie per alias nostras in simili forma Brevis expeditas literas tibi dedimus in mandatis, ut eumdem Philippum Christophorum Archiepiscopum, Electorem, & Episcopum prædictum auctoritate nostra dimitteres, & liberares à detentione prædicta, ut apud suas Ecclesias prædictas, ut prius residere valeret.

Elector petit manuteneri in possessione suarum Ecclesiarum, & dignitatum.

§.2. Quia vero Nobis idem Philippus Christophorus Archiepiscopus, & Elector Treveren. ac Episcopus Spiren. per suas literas sub die 22. mensis Novembris proxime præteriti in Civitate Viennen. ad Nos scriptas supplicavit, quatenus sibi ordinem, & mandatum nostrum apostolicum de manutenendo manutenentiam ibi nuncupatũ concedere dignaremur.

Mandatum, de quo in rubrica, concedit Urbanus.

§.3. Nos ejus supplicationibus inclinati, ac simul etiam providere volentes, ne ex sua, ut præfertur, detentione, & absentia tam diuturna a suis Ecclesiis, & Statibus majores molestiæ, majoraque sibi incommoda, & impedimenta accrescant, præsentium nostrarum literarum serie, eumdem Philippum Christophorum Archiepiscopum, & Electorem Treveren., ac Episcopum Spiren. in eadem possessione, & quasi respective, & in eodem statu in qua, & in quo erat de tempore, quo, ut præmittitur, captus, & detentus fuit respectu prædictarum Ecclesiarum, ac Monasterii Sancti Maximini, ac dignitatum, statuum, & jurium quorumcumque suorum manutenemus, manutenerique volumus, & mandamus, mandatumque nostrum apostolicum de eumdem Philippum Christophorum Archiepiscopum, & Electorem Treveren., ac Episcopum Spiren., & Commendatarium prædicti Monasterii in ejus possessione, & quasi respective, ac statu prædictis manutenendo, & conservando ibi manutentiam nuncupatam decernimus, & concedimus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis, & aliis arbitrii nostri pœnis omnibus, & singulis ejus subditis, & vassallis tam ecclesiasticis, quam secularibus quibuscumque, etiam Capitulis Ecclesiarum, & Conventibus Monasteriorum, & præsertim Sancti Maximini prædicti, quatenus eumdem Philippum Christophorum Archiepiscopum, & Electorem Treveren., Episcopumque Spiren., & Commendatarium prædictum in Pastorem, Principem, Commendatarium, & Superiorem respective, ut prius ante detentionem recognoscebant, ita imposterum recognoscant, eique debitam obedientiam, & reverentiam præstent.

Cum commissione Nuncio Apostolico cognoscendi quascumque causas contra illum motas;

§.4. Quocirca Fraternitati tuæ committimus, & mandamus, ut contra omnes, & singulos reclamantes, seu contravenientes, prout juris fuerit, procedas, ac quascumque querelas, & petitiones contra ipsum Philippum Christophorum Archiepiscopum, & Electorem Treveren., ac Episcopum Spiren., & Commendatarium porrigendas, & dandas super quibuscumque negotiis, & causis, non tamen in Romana Curia pendentibus cognoscas, fineque debito, prout juris fuerit, termines.

Cui necessarias ad id concedit facultates.

§.5. Nos enim ad prædicta omnia, & singula cognoscendum, & prout de jure terminandum facultatem opportunam, & amplam tibi concedimus cum potestate citandi, quos, quibus, quando, & quoties opus fuerit, illisque inhibendi, etiam sub sententiis, censuris, & pœnis, etiam pecuniariis tuo arbitrio infligendis, moderandis, & applicandis, statum, & merita,

rita litium, & controversiarum statum, nominaque, & cognomina litigantium, Judicum, & Tribunalium etiam speciali mentione dignorum, omniumque præmissorum, ac aliorum quorumcumque de necessitate exprimendorum tenores pro plene expressis habentes. Quibus omnibus, & singulis plenissime derogamus.

Clausulas necessarias apponit.

§.6. Præsentes quoque Literas de subreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vitio, intentionisque nostræ, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes non fuerint, ad id vocati, nec auditi, aut ex quacumque alia ratione, vel causa impugnari, & notari non posse; sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Sacri Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac Nuncios, & alios quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariisque derogat.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac quibuslibet Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus, & aliàs editis, ac Cancellariæ nostræ regulis, & præsertim illa de non tollendo jure quæsito, & felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, necnon prædictarum Ecclesiarum, & Capitulorum, & Conventuum, ac personarum quomodolibet qualificatarum, privilegiis, & indultis, ac Statutis, etiam juramento firmatis, ac confirmatione apostolica semel, & pluries roboratis, consuetutinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Quorum omnium, & singulorum tenores pro plene expressis habentes, illis ad istum effectum plenissime derogamus.

Dat. die 17. Dec. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Decembris 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas eidem Nuncio concordandi cum partibus nomine prædicti Electoris super controversiis contra ipsum motis, & movendis.

Venerabili Fratri Malatestæ Episcopo Pisaurea.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Recenset precedentes Literas.

§.1. CUm hodie per aliàs nostras in simili forma Brevis literas tibi commiserimus, ut Venerabilem Fratrem Philippum Christophorum Archiepiscopum, & Electorem Treveren. ac Episcopum Spiren. a detentione, & custodia, quæ per te de maudato nostro nomine piæ mem. Ferdinandi II. Romanorum in Imperatorem electi detinebatur, liberares, ac dimitteres, ut apud suas Ecclesias residere valeret: & deinde per alias nostras in simili forma Brevis expeditas Literas, ut facilius, & quietius ipse Philippus Christophorus Archiepiscopus Elector, & Episcopus regimini, & gubernio suarum Ecclesiarum, & statuum prædictorum incumbere possit, mandatum de ipsum Philippum Christophorum Archiepiscopum Electorem, & Episcopum manutenendo in possessione, & statu, in quo, vel quibus de tempore capturæ, ac detentionis suæ reperiebatur concessimus.

Facultatem Nuncio concedit concordandi quoque cum partibus nomine ejusdem Electoris.

§.2. Nunc autem, ut quantum in Domino possumus, eumdem Philippum Christophorum ætate gravem a quibuslibet litibus, & molestiis liberemus, tenore præsentium tibi etiam committimus, & mandamus, ut controversias quascumque motas, & movendas, quibus idem Philippus Christophorus Archiepiscopus Elector, & Episcopus, & Commendatarius respective molestatur, seu imposterum vexari contigerit a suis subditis quibuscumque, componere, & concordare cures, & studeas, ac ut partes cum prædicto Philippo Christophoro Archiepiscopo Electore, & Episcopo litigantes, seu contendentes ad concordiam reducantur, te amicabiliter interponas sine præjudicio litium, & causarum in Romana Curia pendentium. Nos enim ad id tibi sufficientem, & opportunam facultatem concedimus.

Obstantibus derogat.

§.3. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Decem. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Dec. 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Conceditur Archiepiscopo Treveren. Sacri Romani Imperii Electori, ut pro Electione Regis Romanorum suffragium suum ferre possit, perinde ac si Conventui Electorali interfuisset.

Venerabili Fratri Philippo Christophoro Episcopo Treverea. Sacri Romani Imperii Principi Electori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Pontifex Electoribus potestatem fecerat deveniendi ad electionem

§.1. ALias sub die 20. Augusti anni præteriti 1636. per diversas nostras Literas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris expeditas, & Fraternitati Tuæ, aliisque

nem Imperatoris.

que Electoribus directas decrevimus electionem Regis Romanorum esse faciendam, & considerantes in ea complures defectus intercessuros, quia duo Electores hæretici ei intervenire debebant, quodque ad electionem novi Regis Romanorum procedebatur alio Rege Romanorum in Imperatorem electo tunc vivente, & adhuc non coronato, prædictos defectus electioni faciendæ minime obstare voluimus.

Elector Treverensis petit licere sibi nunc suum ferre suffragium.

§.2. Verum quia, ut Nobis nuper exponi fecisti, eædem Literæ nostræ tibi redditæ non fuerint, imo te non vocato, sed absente, ac contempto ad electionem prædictam deventum fuerat, tu autem suffragium, & votuum tuum præstare exoptaveris, & exoptes; propterea Nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus ad id sufficientem facultatem, & dispensationem tibi concedere dignaremur.

Facultatem ad id concedit Urbanus.

§.3. Nos igitur desiderio tuo, hac in parte satisfacere volentes supplicationibus tuis inclinati, Fraternitati tuæ præsentium Literarum nostrarum serie concedimus, tecumque dispensamus, ut non obstante, quod non fueris prout alii Electores vocatus, votum, & suffragium tuum ferre possis, & de eo habeatur ratio perinde ac si conventui Electorali interfuisses, & inibi cum aliis Electoribus illud tulisses, seu ferres.

Derogat contrariis.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Decem. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 18. Dec. 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLIX.

Super Præcedentia inter Regulares diversorum Ordinum.

Cum de hac materia non possit dari certa regula S. Congregat. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit servandas esse Literas Gregor. XIII. & has Urbani VIII.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. NUper pro parte dilecti filii Blasii a Cherso Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Nobis expositum fuit, quod dictus Ordo gravatur admodum litibus occasione præcedentiæ cum aliis aliarum Religionum Regularibus in Processionibus, ex quo etiamsi aliàs a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Regularium præpositis diversis in præfata materia præcedentiæ, unam videlicet contra ejusdem Ordinis de Observantia nuncupatos Arbensis, aliam contra Servorum Beatæ Mariæ Virginis Soanensis, necnon duas alias Literas contra Prædicatorum respective Ordinum Fratres Cassanensis, & Ferentinus obtinuerit tenoris subsequentis, videlicet.

Archiepiscopo Arben.

§.3. Arbi. All' Arcivescovo. Pare, che sia nata differenza della precedenza trà cotesti Frati di San Francesco Conventuali, & Osservanti, allegando ogni un di loro alcune ragioni, per le quali si persuadono di dover precedere a gli altri, le quali essendosi diligentemente considerate, nella Congregazione di questi miei Illustrissimi Signori preposti da Nostro Signore sopra le cause de Vescovi, e Regolari, s'è risoluto etiam con il parere dell' Illustrissimi Protettori di tutte due le Religioni di far scrivere a V. S. che occorrendo più simili differenze le termini senza alcuna eccezzione nell' istesso modo, che quel Convento tenga il primo, e più degno luogo, che e più antico nella Città; secondo, che s' è fatto sin' ora, per quanto si presuppone, imperciocchè questo mezzo usato altrove è stato tale, che ha finito ogni controversia, come si spera, che sarà anche costì per mezzo della prudenza, e destrezza di V. S. e Dio, &c. Roma 6. Marzo 1582.

Episcopo Soanen.

§.3. Al Vescovo di Soana, o suo Vicario. Havendo inteso questi miei Signori Illustrissimi, che in cotesta Città sono in disparere di precedenza li Frati de Servi con quelli di S. Francesco Conventuali, hannu voluto, che io faccia sapere à V.S. che nella precedenza di questi Frati Mendicanti, secondo il parere di nostro Signore, s' attende solamente l' antichità de i loro Conventi, cioè che precedino quelli, che prima hanno ottenuto li Monasterj nei luoghi, ove e nata la differenza; e perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedino, li quali prima sono venuti ad abitare in cotesta Città, che sarà appunto conforme a quello, che s'è risoluto, & osservato in altri luoghi, &c. Roma li 24. di Maggio 1583.

Episcopo Cassanen.

§.3. Al Vescovo di Cassano. Fu dato in Congregazione un Memoriale dal Procuratore Generale de Frati Conventuali di S. Francesco à nome del suo Monastero di Castrovillari di cotesta Diocesi, nel quale si doleva, che alcuni Padri di San Domenico, che poco fa hanoo pigliato luogo nella medesima Terra, pretendevano nell' azzioni popliche di precedergli, non ostante, che già siano 350. anni, che quel Monastero di S. Francesco è fondato: e sapendosi; che Nostro Signore altre volte aveva dichiarato come si doveva procedere in simili casi, questi miei Signiori Illustrissimi volsero, che se ne dasse conto a Sua Beatitudine, la quale ha commesso, che si scriva à V. S. che faccia avere la prerogativa, ove nascono queste novità alle Religioni, che sono a detti Padri di San Domenico, & oprarà che così si eseguisca. Roma li 24. Maggio 1583.

§.5. Ferentino. Al Vescovo. Nella diffe-

Episcopo Ferentino.

differenza; che verte trà cotesti Frati di S. Domenico, è quelli di S. Francesco per conto della precedenza, la Sagra Congregazione vuole, che s' osservi per l' avvenire quello, che e stato osservato trà loro per il passato, sin tanto, che non sia destinato altro, & inclina, che conforme al Moto proprio di Gregorio XIII. di fel. mem. debbano precedere quelli, che prima hanno avuto il luogo nella Città, & i decreti, che si allegano per parte de Frati di S. Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al Moto proprio di Gregorio XIII. oltre che in quelle occasioni militavano altre ragioni di quelle, che possano militare costì. Questa è la mente di questi Illustrissimi miei Signori, & ella la doverà eseguire, e Dio, &c. Roma il primo Giugno 1604.

Qui sunt in possessione præcedentiæ præcedant.

§.6. Attamen in casibus occurrentibus eædem literæ reputautur provisiones particulares, non autem declarationes generales, dictique Fratres Conventuales nova semper judicia iisdem de rebus subiri coguntur, quare dictus Blasius Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut circa prædictarum literarum observantiam per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium providere, ac aliàs ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Blasium Procuratorem Generalem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium eisdem Regularium negotiis præpositorum consilio, præinsertas literas ab eisdem Cardinalibus, aliàs utcumque in casibus particularibus emanatas, cum innitentur justitiæ Motus proprii Gregorii XIII. hac de re editi, & sint conformes declarationibus Sacrarum Tridentini Concilij, ac Rituum Congregationum, ut qui sunt in possessione præcedentiæ præcedant, & ubi non probatur, aut non constat de possessione, præcedant ij, qui sunt antiquiores in loco controversiæ, esse generaliter observandas ubicumque contigerit de eadem præcedentia dubitari, apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus, & mandamus.

Decretum irritans.

§.7. Decernentes irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac prædictorum ordinum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apost. eisdem Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 18. Dec. 1637. Pontificatus nostri Anno XV. Dat. die 18. Decem. 1637. An. XV.

DLX.

Commissio Gubernatori Marchiæ circa repositionem Coronæ super Insignibus Civitatis Maceratensis. Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Provinciæ nostræ Marchiæ Gubernatori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sinceræ fidei, & devotionis affectus, quo dilecti filii Communitas, & homines Civitatis nostræ Maceraten., Nos, & Romanam reverentur Ecclesiam, Nos inducunt, ut illos specialibus favoribus, & gratiis prosequamur.

Communitatis Maceratensis petitio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dicti Communitas, & homines, quod licet Civitas prædicta a multis annis citra Coronam super illius insignibus imponere consueverint, non solum eo jure nixi, quia Civitas hujusmodi dictæ Provinciæ caput, illiusque Legatorum, seu Gubernatorum residentia, & Universitate studii generalis, multisque aliis prærogativis ornata existit etiam ab antiquissimo tempore, sed etiam, quia quoddam dictæ Civitatis antiquum insigne ex lapide, quod in ipsius Civitatis fonte majori Coronatum extat, nihilominus quædam dictæ Civitatis insignia coronis, ut præfertur, ornata in aversa parte sedilium, seu subsellionum Magistratus Civitatis hujusmodi in ipsa Cathedrali Ecclesia existentium insculpta, & alibi etiam existentia amota, & confracta fuerunt, non sine maxima dictorum Communitatis, & hominum perturbatione, ac evidenti alicujus scandali ex inde forsan orituri periculo; Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio de qua in rubrica.

§.2. Nos igitur publicæ illorum quieti, pacique, quantum cum Domino possumus, beni-

benigne consulere, ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus omnia quoad coronam super insignibus dictæ Civitatis in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant statum, auctoritate nostra restituas, reponas, & plenarie reintegres.

Factaque potestas cuilibet in contrarium sua jura deducendi.

§.3. Si vero contigerit aliquem, vel aliquos cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, & dignitatis, etiam ecclesiasticæ, & speciali, & individua expressione, & nota dignos quidquam in contrarium præmissorum prætendere; Volumus, & apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, quod ipsi jura sua coram Nobis deducant, & deducere debeant: Nos enim causam, & negotium hujusmodi ad Nos harum serie advocamus.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Januar. 1638. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Jan. 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

DLXI.

Quod Imagines Sanctorum Augustini, Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum Ordinis Sancti Augustini depingi nequeant cum habitu, quo Discalceati utuntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Proc. Gen. Ordinis S. Augustini.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini, quod cum ipse Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis exposuisset, qualiter dilecti filii Patres Discalceati ejusdem Ordinis, tum Romæ, tum multis aliis in locis imprimebant, & depingebant Imagines Sanctorum Augustini, Nicolai Tolentinatis, & aliorum ejusdem Ordinis Sanctorum cum habitu, quo ipsi Discalceati utuntur, quodque id vergebat in maximum præjudicium ejusdem Ordinis, & in dies dare poterat occasionem plurium controversiarum, & scandalorum, dicti Cardinales hac super re ediderunt decretum tenoris subsequentis, videlicet:

S. Congr. R'. Decretum.

§.2. Referente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Verospio petitionem supradictam, ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Sancti Augustini, Sacra Rituum Congregatio citatis, & auditis partibus, censuit, Imagines Sancti Augustini, Sancti Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum ejusdem Ordinis Sancti Augustini impressas, aut depictas a Fratribus Discalceatis ejusdem Ordinis cum habitu, quo ipsi Discalceati utuntur, suspendendas, & abolendas esse, injungendumque dictis Fratribus Discalceatis, ne sub poenis arbitrio hujus Sacræ Congregationis talia amplius audeant peragere. Et ita omnino servari mandavit. Die 19. Decembris 1637.

Confirmatur, & approbatur supplenturque defectus.

§.3. Ut autem decretum hujusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus, ad quos spectat, observetur, Nobis idem Procurator humiliter supplicari fecit, quatenus illud apostolicæ confirmationis robore communire de benignitate apostolica dignaremur; Nos igitur dictum Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum hujusmodi, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti, & solemnitatum quantumvis substantialium, & quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint in eodem, supplemus.

Mandat observari cum decreto ircitante.

§.4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari; sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, illiusque domorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis, ac quibusvis aliis derogatoriarũ derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac ir-

ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, & aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis eidem adhiberi jubet.

§. 6. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Jan. 1638. An. XV.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Januarii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

DLXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Statutorum Universitatis Exoneratorum Cymbarum, seu Navium Almæ Urbis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio ex parte Universitatis Artis Exoneratorũ Cymbarum Almæ Urbis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Universitas, & homines artis exoneratorum Cymbarum, seu Navium Almæ Urbis nostræ, quod pro bono, felicique regimine, & gubernio dictæ Universitatis nonnulla Statuta edita fuerunt tenoris subsequentis videlicet.

Statuti, e nove Reformazioni della Compagnia de Scaricatori di Barche di Roma.

Sequuntur nonnulla Statuta d. Universitatis.

La Compagnia de' Scaricatori di Barche dipendente, e sotto la protezzione della Venerabile Archiconfraternità del Glorioso San Rocco di Roma, solita da tempo immemorabile esigere da tutti i Scaricatori di Barche di Roma elemosine da offerirsi ogni Anno nella Festa del detto Santo per sussidio della sua Chiesa, ed Ospedale, avendo sin dall'Anno 1566. per la direzzione, e buon governo di essa Compagnia fatti alcuni Statuti confermati in Camera Apostolica, e per osservanza di essi ottenuto il mandato dal Signor Cardinale Camerlengo di Santa Chiesa per l' Atti di Camillo Gavetano Notaro di Camera sotto il dì 22. Settembre 1592. desiderando adesso risormarli secondo il presente bisogno: Perciò in questo giorno .... 1635. nel Pontificato di Nostro Sig. Papa Urbano Ottavo in piena Congregazione Generale di detti Scaricatori legitimamente congregata a quest' effetto nel Salone di San Rocco, come per l'atti di Tranquillo Pizzuti Notaro, e Segretario di detta Archiconfraternità, ha stabilito, riformato, e rinovato respettivamente l' infrascritti Capitoli, e Statuti da osservarsi per l'avvenire in perpetuo, avutane però prima dalla Santità di Nostro Signore, Camera Apostolica, o altri, a chi spetti, la dovuta confermazione.

CAPITOLO I.

Che il giorno di San Rocco Avvocato della Compagnia nel Salone solito della Archiconfraternita di detto Santo si elegga nella Congregazione Generale un Signore, e quattro Camerlenghi, quali eletti debbano prontamente accettare la carica, ed offizio sotto pena d' uno scudo d' oro in oro per ogn' uno, e quando il Signore dopo aver accettato questo giorno la Mazza, volesse renunciarla prima dell'anno, che durerà il suo offizio, debba pagare scudi cinque di moneta, e la sopradetta pena d'un scudo d' oro in oro pagheranno similmente tutti quelli, quali eletti legitimamente a qualch' altro offizio non vorranno accettarlo, mentre però non avessero qualche legitimo impedimento da approvarsi dalla medesima Congregazione.

CAPITOLO II.

Chi non essendo legitimamente impedito mancarà di intervenire alla suddetta Congregazione Generale di San Rocco, che s' intende ogn' anno intimata senz' altra notizia, pagherà scudo uno d' oro per volta, e chi mancherà poi nelle altre Congregazioni Generali, che s' intimeranno frà l' anno, non essendo come sopra impedito pagherà due carlini per volta, dichiarando però, che non possa il Signore farla intimare senza consiglio, e participazione delli quattro Camerlenghi: e chi lascierà d' accompagnare il Signore, e Camerlenghi all' offerta, che si farà il giorno di San Rocco, senza legitimo impedimento pagherà, la stessa pena di due carlini.

CAPITOLO III.

La Congregazione Generale si farà sempre nel solito Salone grande di S. Rocco, e per intimarla s' affigerranno li bollettini d'avviso a Ripetta nuova, e vecchia, il che basterà per constituire contumace, e dichiarare incorso nella sudetta pena di due carlini, chi non essendo legitimamente impedito, averà mancato d' intervenirvi, e s' intenderà in sufficiente numero congregata, ogni volta che vi saranno venti Scaricatori, con li quali potrà risolvere, e deliberare tutto quello, che farà di bisogno per servizio della detta Compagnia, come se vi fossero intervenuti tutti gli altri Scaricatori di Roma.

CA-

CAPITOLO IV.

Tutti li Scaricatori, che lavorano la Barella in qualsivoglia Ripa, e luogho di Fiume qui in Roma, o che scaricano legne di passo in qualsivoglia luogo tanto con li Broozi, quanto a spalla, o in ogni altro modo, che lavorano di legna, & totti li Caporali de' Scaricatori di fascina, fascinaccia, scaglia, travi, travicelli, tavole, e qualsivoglia altra robba Ripale, che viene per Fiume à Ripetta, Ripagrande, e Marmorata, ed ogni altro luogo di Roma, pagheranno giuli quattro per ciascheduno ogni anno in mano del Signore pro tempore il primo giorno, che lavoreranno, o quando parerà al detto Signore di riscuoterli, e quelli lavoratori, che scaricano fascine, fascinaccie, scaglie, o altre robbe Ripali, pagheranno nell'istesso modo coma sopra quindici bajocchi l'anno: oltre la qual somma li Signori pro tempore tanto vecchio, quanto nuovo saranno tenuti di pagare ogn'anno per la festa di San Rocco giuli quattro, e tutti quelli, che entraranno di nuovo à lavorare, ò scaricare con la Barella robba Ripale, che venghi per fiume à Roma, pagheranno in mano del Signore pro tempore, che entreranno à lavorare, scudo uno di moneta, e mancando essi sia tenuto per loro quel Caporale, che gli averà chiamato à lavorare.

CAPITOLO V.

Sarà cura, e pensiero del Signore pro tempore di riscuotere li denari di tutti quelli, che devono pagarli tanto per la solita paga annuale come per quello, che si deve da chi comminciarà à lavorare, ed essercitare l'arte di Scaricatore, come sopra nel Capitolo antecedente, e per la pena di qualche mancamento con autorità assoluta, mostrati però prima alli debitori li presenti ordini, e statuti di constringerli à pagare rigorosamente, e farli fare l'esecuzione, e senza precedente citazione da qualsivoglia esecutore di Roma: quale per sua mercede non potrà pretendere, ne avere più d'un carlino per ciascheduna esecuzione, e chi recuserà di pagare quel che deve, e non averà compito avanti il giorno dell'offerta, sarà tenuto oltre il debito alla pena di giuli sei tante volte, quante lasciarà di sodisfare, e mancando il Signore di riscuotere, sia tenuto compire del proprio tutto quello, che per suo mancamento, o per non avere fatte le dovute diligenze, non sarà stato riscosso durante il suo offizio.

CAPITOLO VI.

Sarà cura, ed obbligo delli Camerlenghi pro tempore d'accompagnare uno per volta il Signore, quando anderà à riscuotere li denari, à comprar la cera per la candelora, o fare altro negozio spettante alla Compagnia, e mancando di andarci, pagherà ciascuno di loro per ogni volta due carlini, avvertendo il Signore chiamarli à viceda, acciò resti la fatica ripartita.

CAPITOLO VII.

Il Signore della Compagnia mese per mese darà minuto conto alli quattro Camerlenghi, & al Signore vecchio di tutto quello, che averà riscosso in quel mese, ed alla loro presenza lo metterà nella cassa della Compagnia, che si tiene à quest' effetto dentro l'Ospedale, ò altro luogo privato di detta Chiesa, serrata con due chiavi differenti da ritenersi una dal Signore vecchio, e l'altra dal Signore nuovo: della qual cassa non potranno mai cavare denaro alcuno, ne pure in minima quantità per qualsisia causa urgente, & necessaria senza consenso, ed intervento delli Camerlenghi, sotto pena di scudi cinque per ogni volta, che contrafaranno, da rimettersi in detta cassa subito con tutto quel denaro, che avessero levato: nella quale si custodirà per farne poi l'offerta à San Rocco il giorno della sua festa, come si dirà a suo luogo, ed ogni volta, che si metterà, come sopra denari nella cassa, se ne farà distinta nota in un libro a parte da tenersi a posta per quest' effetto: e mancando il detto Signore di dare il detto conto, e metter come sopra li denari nella cassa a suo tempo, li detti Camerlengo, ed il Signore vecchio, e ciascheduno di loro in solido possa, e debba astringerlo anche per via di raggione a render detti conti, e metter subbito li denari riscossi nella cassa, nella quale diligenza mancando li suddetti Signori vecchio, e Camerlenghi saranno tenuti à supplire del loro proprio tutto quello, che restarà debitore il detto Signore pro tempore.

CAPITOLO VIII.

Il giorno della Festa di San Rocco ogni anno in perpetuo si farà l'offerta di tutto il denaro, che si troverà nella detta cassa alla Chiesa, ed Ospedale di San Rocco, acciò servi per li bisogni di detta Chiesa, ed Ospedale, come parerà meglio alli Signori Primicierio, e Guardiani d'esso.

CAPITOLO IX.

Che per difesa delle raggioni della Compagnia s'elegga un Procuratore idoneo di buona vita, e costumi, la di cui cura sarà d'assistere a bisogni della Compagnia, e di comparir per essa, quando occorrerà avanti qualsisia Giudice, e Tribunale di Roma: al quale si darà per stipendio annuale quello, che sarà determinato dalli Signori Primicierio, e Guardiani di San Rocco.

CAPITOLO X.

Che si distribuischino ogn' anno nel giorno della Candelora le candele dal Signore, e Camerlenghi nell' Ospedale di San Rocco, e non altrove, il suddetto giorno della Candelora, e nelle due feste seguenti solamente alli Scarieatori della Compagnia, e non ad altri: avvertendo che quella del Signore sia di peso di due libre, quelle delli Camerlenghi d' una libra, e quella di tutti l' altri d'oncie tre.

CAPITOLO XI.

Che per mantenere la pace, unione, e rispetto dovuto alli Superiori tanto necessario, nessun Scarieatore ardisca dir parole ingiuriose al Signore, e Camerlenghi, in ordine però à negozj della Compagnia, sotto pena di libre cinque di cera bianca per ciascheduna volta d' applicarsi alla Chiesa di San Rocco, ed altre pene più gravi secondo li casi, ch' occorreranno ad arbitrio delli Signori Primicerio, e Guardiani di S. Rocco.

CAPITOLO XII.

Che nel giorno della Festa di San Rocco si debba fare adunanza, nella quale si debba fare il Signore con imbussulare tutti della detta Adunanza, e poi cavarli, e chi rifiuterà non voler accettare la Signoria, debba pagare quello, che si contiene nel primo Statuto,

Joannes Baptista Somellinus C. A. Clericus.

Joannes Goinius.

Petitur confirmatio. §.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat præfati exponentes Statuta hujusmodi apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent:

Confirmantur §.3. Nos illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis dummodo sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ. §.4. Decernentes illa, necnon præsentes Literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima Februarii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto. Dat. die 10. Februar. 1638 An.XV.

DLXIII.

Annullatio Capituli Provincialis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum Provinciæ S. Bernardini in Gallia celebrati in spretum, & contemptum Literarum Apostolicarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constitut. §.1. Cum, sicut accepimus, in Provincia S. Bernardini Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallia, fuerit de mense Septembris proxime præteriti Capitulum Provinciale dictæ provinciæ celebratum cum assistentia, jussu, & mandato dilecti filii Martialis de la Chaumette dicti Ordinis Professoris, prætensi Visitatoris a dilecto filio ejusdem Ordinis Ministro Generali ad id deputati, in spretum, & contemptum nostrarum in simili forma Brevis literarum, per quas dilectus pariter filius Romanus Cupif ejusdem Ordinis etiam Professor in ejusdem Provinciæ, illiusque Fratrum Commissarium, & Visitatorem deputatus, seu delegatus fuerat.

Remittitur contrav. Sac. Congreg. §.2. Imo vero a præfatarum literarum executione ipsius Martialis nomine interposita ad Nos, & Sanctam Sedem Apostolicam appellatione, negotium hujusmodi ad Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Regularium præpositos, ut examinaretur, & a dilecto filio nostro Francisco S. Laurentij in Damaso Diacono Cardinale Barberino nuncupato S. R. E. Vice-Cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, dictique Ordinis apud Nos, & eandem Sedem Protectore decideretur, remissum fuerit.

Declarat Capitulum nullum, prout in rubr. §.3. Nos rationibus pro utraque parte allegatis, & deductis mature consideratis, accurateque discussis: De eorumdem fratrum consilio, Capitulum Provinciale prædi-

prædictum cum omnibus inde sequutis fuisse, & esse nullum, nulliusque roboris, vel momenti existere, apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus, illudque irritamus, revocamus, & annullamus: Eumdemque propterea Martialem, omnesque alios, qui prædictis nostris literis, ac mandatis Venerabilis Fratris Episcopi Bitterrensis illarum exequutoris resistere, vel aliàs contraire ausi sunt, præter censuras, & pœnas in eisdem Literis comminatas, & per eos incursas, ad quæcumque dicti Ordinis officia, munia, & dignitates inibi imposterum obtinenda inhabiles, vocisque activæ, & passivæ beneficio ad nostrum, & ejusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum declaramus, ac eumdem Romanum in præfati Visitatoris, & Commissarii hujusmodi officii possessione manutenendum esse, & fore decernimus.

Præceptum de observando.

§.4. Mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Provinciæ Fratribus, & personis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, & aliis arbitrii nostri pœnis, ut eumdem Romanum in Visitatorem, & Commissarium hujusmodi habeant, & recognoscant, illique debitum honorem, & obedientiam in quocumque dictæ Provinciæ Visitationis actu perficiendo præstent: ac eidem Romano, ut peracta per ipsum Visitatione hujusmodi, denuo Capitulum Provinciale dictæ Provinciæ indicere, intimare, ac celebrare, & vocatis vocandis juxta seriem, & continentiam earumdem nostrarum Literarum absolvere omnino debeat: ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque per quoscumque Commissarios, & quolvis alios quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis dicti Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Superioribus, & personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam aliàs, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Februar. 1638 An. XV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die decimaquinta Februarii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DLXIV.

Circa Lectorum Jubilationem Fratrum Minorum de Observantia Cismontanæ Familiæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. Cum, sicut accepimus, ex frequentissima, immeritaque Lectorum Jubilatione in Cismontana Familia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum quamplures querelæ, multaque, & graviora incommoda in eadem Familia redundarint, ac de remedio incommodis hujusmodi adhibendo, cum primum illa ad dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii In Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, aures pervenerunt, tractatum fuerit;

Lectores Jubilati instituantur juxta Ordin. Const.

§.2. Nos, qui Religiosorum Ordinum pacem, & unitatem sinceris desideramus affectibus, ut querelis, & incommodis hujusmodi obviam eatur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, ut Lectores jubilati juxta præscriptum Literarum fel. record. Clementis Papæ Octavi Prædecessoris nostri, necnon generalium dicti Ordinis Constitutionum pluries renovatarum, ac postremo in Capitulo Generali dicti Ordinis in Civitate Toletana celebrato instituantur, ita quod nullus posthac ad jubilationem admittatur, quin prius Logicam, & Philosophiam tres annos, ac Theologiam decem absque ulla intermissione edocuerit, vel si intermitti contigerit, duodecim annos Theologiæ Lector extiterit.

§.3. Singulis quibusque annis publica, & authentica attestatio a Guardiano, & Discretis eorum manu propria, & juramento firmata, Conventusque sigillo obsignata conficiatur, & in publico Conventus Archivio servetur, ubi cum opus fuerit, reperiatur. Ut Theologiæ lectio in ordine ad futuram jubilationem non introducatur, nisi ubi studia formata viguerint, & generalia, atque a Capitulo, & Congregatione generalibus instituta. Quod Lectores, qui non intervenientibus

præ-

prædictis conditionibus per Provinciam, vel per Superiores generales ad jubilationem admissi reperientur, eo ipso nulliter jubilati censeantur.

§.4. Ut numerus Lectorum jubilatorum restringatur juxta dispositionem Capituli Generalis in Alma Urbe anno 1612. celebrati pro Ultramontana familia, videlicet, ut pro unoquoque Studio generali in singulis Provinciis existenti, duo tantum jubilati permittantur, & quolibet deficiente, loco ipsius alter sufficiatur, qui lectionis cursum prius absolverit. Demum pro servanda in Provinciis dicti Ordinis tranquillitate, reprimendisque querelis in hac Curia in dies exurgentibus, eo quod plurimi non probato legitime lectionis tempore, & cum majorum deceptione Superiorum, jubilationem obtinuerunt, statuimus pariter, & ordinamus, ut præfato more informationes, & temporis ad lectionem constituti attestationes per Ministros Provinciales de novo conficiantur, & ad Generales Superiores firmatæ, sigillatæque remittantur, ut hac ratione relaxationibus, & abusibus obviam eatur.

Mandat observari statuta quoad jubilationem.

§.5. Mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Cismontanæ Familiæ Ordinis hujusmodi Superioribus, Fratribus, & personis quocumque nomine nuncupatis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, aliisque arbitrii nostri pœnis, ne circa prædictorum lectorum jubilationem, quicquam aliàs, quam in prædictis statutis disponitur, ullo unquam tempore de cætero facere, vel attentare audeant, seu præsumant, ac decernentes statuta hujusmodi, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & Cismontanæ Familiæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die secunda Martii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Dat. die 2. Martii 1638. An. XV.

DLXV.

Ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. Cum, sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, diversæ extorsiones excessivæ a dilectis filiis Capitulo, & Canonicis secularis, & Collegiatæ loci de Veglie Brundusinæ Diœcesis, necnon etiam a diversis Parochis aliorum locorum fiant pro impedienda libertate electionis sepulturæ in Ecclesiis Ordinis hujusmodi, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in præmissis remedio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Committit Ordinariis locorum prout in rubric.

§.2. Nos igitur dictum exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Ordinariis locorum per præsentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abusus hujusmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum clericorum, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 2. Martii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Dat. die 2. Martii 1638. An. XV.

In-

DLXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Indulgentia Plenaria ad Divinam opem implorandam.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Universis Christifidelibus in Italia, & adjacentibus ei Insulis degentibus, salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium ab ipsa materia sumptum.

Publicæ quietis zelo ducti, licet pastorali nostro muneri satisfacere cupientes Catholicos Principes multipliciter, & accurate ad mutuam concordiam etiam per Nuncios nostros Ordinarios, & Extraordinarios hortati sumus sperantes fore, ut ipsi aliquam opportunam pacis inter se constituendæ rationem inirent, eaque de causa dilectum filium nostrum Martinum S. Angeli in Foro Piscium Diacon. Card. Ginetium nuncupatum nostrum in Alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, Coloniam Agrippinam nostrum, & Sedis Apostolicæ de latere Legatum transmiserimus, & divinum auxilium, etiam publicis precibus imploraverimus, attamen, quod non sine animi nostri molestia referimus; usque adhuc omnis labor, & studium impensum hoste humani generis zizania disseminante in vacuum cessit, nec Dominus complacitior apparet peccatis populorum divinam iracundiam irritantibus, diligit enim justitiam, & odit iniquitatem, sed misereri non obliviscitur. Ad comunes igitur christiani populi pœnitentis preces, ut Deus animis Principum concitatis optatam pacem largiri dignetur denuo recurrendum duximus: Hoc autem, ut fructuosius, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium matris, & magistræ more ejusdem Ecclesiæ thesauros quorum dispensatores a Domino constituti sumus proferre, & erogare decrevimus.

Concessio Indulgentiæ præscripta hæc opera peragentibus.

§.1. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles tam in Alma Urbe nostra, quam in reliqua Italia, & adjacentibus ei Insulis constitutos, apostolica auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem catholicam protegere ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus Christianis pacem, & veram tranquillitatem donare, ac præcipue præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate quam Nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, Universis, & singulis Christifidelibus in Alma Urbe prædicta degentibus, qui Sancti Joannis Lateranen. Principis Apostolorum, Sanctæ Mariæ Majoris, & alias ejusdem Urbis Ecclesias, seu Basilicas, in quibus juxta distributionem a dilecto filio nostro in Urbe prædicta in spiritualibus Provicario Generali faciendam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice exponetur, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duorum mensium a die datæ præsentium computandorum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote ut supra Deum oraverint, ac peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter sumpserint; cæteris vero extra Urbem prædictam in reliqua Italia adjacentibus ei Insulis degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ literæ pervenerint, designandas, in quibus pariter Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum exponetur, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio quindecim dierum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, & alios, ut præfertur, faciendæ computandorum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, pariterque peccata sua confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

§.2. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam religiosis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet Ecclesiæ, seu Ecclesiarum visitationem, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius etiam ex aliis approbatis ab Ordinariis locorum eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. — Impediti quid præstare debeant ad indulgentiam consequendã.

§.3. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti in Urbe prædicta, ac reliqua Italia, ut præfertur, degentibus, qui — Indultum eligendi Confessarium, cui nonnullæ facultates conceduntur.

qui Ecclesias prædictas, seu earum alteram novies continuis, seu interpollatis diebus, intra dictorum duorum mensium, & respective quindecim dierum spatium visitaverint, & inibi, ut supra oraverint, necnon feria quarta, & sexta, ac Sabbatho alicujus hebdomadæ intra dictum temporis spatium decurrendæ jejunaverint, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis regularem, etiam ex alias approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontific. Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum, non tamen a crimine hæresis absolvere, & liberare valeant; & insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis.

Præsentium publicatio ab Ordinariis facienda. §.4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque ordinariis locorum in Italia, & adjacentibus ei Insulis existen. eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Casus, qui excipiuntur. §.5. Non intendimus autem, per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodocumque contracta dispensare, vel aliquã facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ. Neque etiam easdem præsentes iis, quia Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictorum duorum mensium, & respective quindecim dierum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Obstantium derogatio. §.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, vel facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse, ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. §.7. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 3. Martii 1638. An.XV. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Martii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

DLXVII.

Quod Abbates Monasteriorum pauperiorum Congregationis Montis Oliveti de licentia Procuratoris Generalis possint imponere unum, seu plures census pro sublevandis indigentiis eorumdem.

De hac materia vide Const. Exponi Nobis. *hujus Pontificis Tom. praeced.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. IN iis præcipue solicitudinis nostræ partes libenter interponimus, per quæ regula-

gularium personarum necessitatibus commodiori, qua fieri potest, ratione succurratur, cum non modo pastorale nostrum munus a Nobis id expoſcat, ſed ad hoc etiam paternus amor, quo illas diligimus, nos inducat.

Motiva.

§.1. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Congregationis Montis Oliveti Procurator Gen., quamplurima dictæ Congregationis Monaſteria, tum propter ſteriles quorundam annorum meſſes, aliaſque calamitates ad eam devenerint egeſtatem, adeoque ære alieno gravata exiſtant, ut illorum ordinarii redditus, & proventus ipſius æris alieni interuſurio perſolvendo, necnon Cameræ Apoſtolicæ oneribus, aliiſque ſibi incumbentibus oneribus ſupportandis non ſufficiant: Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper præmiſſis aliqua ratione providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

§.2. Nos Monaſteriorum hujuſmodi indigentiis paterna pietate proſpicere, illorumque Superiores, & Monachos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati;

Concedit prout in rub.

§.3. Quod Monaſteriorum Pauperiorum dictæ Congregationis Abbates, & Superiores de Abbatis, ſeu Procuratoris Generalium ejuſdem Ordinis licentia, & aſſenſu unum, ſeu plures cenſus annuos uſque ad pecuniarum ſummas, quas ipſi Abbas, ſeu Procurator Generalis hujuſmodi illis neceſſarias eſſe judicaverint, in ſorte principali aſcendentes ad rationem quinque pro centenario ſuper ſuorum Monaſteriorum bonis imponere, illoſque aliis ditioribus dicti Ordinis Monaſteriis tantum alienare, ſeque, & dicta Monaſteria, ſive illorum bona ad ſolutionem cenſuum ſic imponendorum, & alienandorum faciendam obligare; Monaſteria vero ditiora hujuſmodi pauperioribus Monaſteriis prædictis pecuniarum ſummas eis neceſſarias ad cenſus, ſeu pro cenſibus hujuſmodi concedere, cenſuſque prædictos ſibi, ut præfertur, vendendos, & aſſignandos recipere, ac inſtrumenta deſuper neceſſaria, & opportuna celebrare reſpective libere, & licite poſſint, & valeant, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, dictiſque Abbati, ſeu Procuratori generalibus Monaſteriis prædictis ad pecuniarum ſummas illis neceſſarias, ut præfertur, concedendas cogendi, & compellendi plenam auctoritate, & tenore præfatis tribuimus facultatem.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes præſentes literas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, pauperioribus vero Monaſteriis prædictis pleniſſime ſuffragari; Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§.5. Quocirca omnibus, & ſingulis locorum ordinariis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Abbatis, ſeu Procuratoris Generalium, Monaſteriorumque dictæ Congregationis, illorumque Superiorum, & ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, ac omnia in eis contenta ab omnibus, quos illa concernunt, integre, & inviolabiliter obſervari.

Transgressores puniri mandat.

§.6. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Contrariis derogat.

§.7. Non obſtantibus fel. record. Pauli Papæ II., aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, illiuſque Monaſteriorum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Transumptis credi jubet.

§.8. Volumus autem, quod cenſus hujuſmodi ſic, ut præfertur, imponendi, quantocitius fieri poterit, extinguantur: quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 12. Aprilis 1638. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die decimasecunda Aprilis 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DLXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti R. C. A. super pretio Aluminum Status Ecclesiastici.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Expositio Appaltatorũ aluminum Status Ecclesiast. ad eorum pretiũ augendum.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Appaltatorum Generalium Alumeriarum Status Ecclesiastici, & eorum Subappaltatoris in Civitate nostra Bononien. Nobis expositum fuit, quod vertente inter ipsos ex una, ac dilectos filios Tinctores, & Pelliones dictæ Civitatis, aliosque consortes ex altera partibus lite super pretio alumiuum, fuit in plena nostra Camera Apostolica per dilectos filios ejusdem Cameræ Præsidentes Clericos, & alios Camerales resolutum, pretium aluminum hujusmodi esse augendum usque ad baj.sex, quando venditur minutatim, quando vero venditur, ut vulgo dicitur *all' ingrosso* ad bajocos quinque cum dimidio, & alias prout in dicta resolutione, & instrumento publico desuper confecto plenius dicitur contineri.

Petitur confirmatio Resolutionis super hoc emanatæ a Cameræ Clericis Præsidentibus

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes resolutionem hujusmodi, quo firmius subsistat, & inviolabiliter observetur, apostolicæ confirmationis robore communiri, & alias desuper opportune provideri summopere desiderent.

Pont. tandem confirmat.

§.3. Nos eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatę existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, prædictam Præsidentium Clericorum, & aliorum Cameralium hujusmodi resolutionem, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, omnesque lites super præmissis motas, ac appellationes, si quæ sint interpositæ statu, & merita illarum, causasque, & occasiones, ac personas, & jura partium, nominaque, & cognomina judicum, & litigantium, necnon controversiarum prædictarum qualitates, & circumstantias, etiamsi specialem, & individuam expressionem requirerent, præsentibus pro expressis, & insertis habentes extinguimus, & abolemus, ac tam prædictis, quam omnibus, & quibuscumque aliis judicibus ordinariis, & delegatis quacumque auctoritate fungentibus, etiam causarum nostri Sacri Palatii Apostolici Auditoribus, & S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, necnon tinctoribus, & aliis litis hujusmodi consortibus perpetuum silentium desuper imponimus, & impositum esse volumus.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes, præsentes Literas nullo unquam tempore, etiam ex eo quod aliqui etiam speciali nota digni in præmissis interesse habentes, aut habere prætendentes ad hoc vocati, seu auditi non fuerint, nec desuper consenserint, aut ex alia quavis causa, vel prætextu de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, vel retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut concedi posse, sed semper validas, firmas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari, & adimpleri; Sicque per quoscumque Judices ordioarios, & delegatos, dictæque Cameræ Præsidentes clericos, & alios officiales, ac etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicaudi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super bis a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel iguoranter contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, d.Civitatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis in coutrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omuibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Aprilis 1638. An.XV.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Aprilis 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Quod

DLXIX.

Quod Sacerdos celebrans in Altari Cappellæ Sanctæ Catharinæ Senensis super Minervam pro anima alicujus defuncti liberet eam a pœnis per modum suffragii. Conceditur præterea Indulgentia plenaria pro visitantibus d. Cappellam in ejus die festo Communione refectis.

Plures Summi Pontifices concesserunt similes Indulgentias diversis Regularibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constit.

§.1. CUm, sicut accepimus, dilectus filius noster Antonius S. Agathæ Diaconus Cardinalis Barberinus nuncupatus noster secundum carnem ex fratre germano Nepos, Ordinis Sancti Dominici apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, pro eximia sua in Deum pietate, ac erga Sanctam Catharinam Senensem dicti Ordinis devotione, Cappellam olim cubiculum dictæ Sanctæ Catharinæ in Urbe existens, cum suis parietibus, incrustationibus, & picturis antiquis in eo existentibus transferri ad Ecclesiam Beatæ Mariæ super Minervam Domus Regularis dicti Ordinis de eadem Urbe, & prope Sacristiam dictæ Ecclesiæ collocari curaverit;

Concedit prout in rubr.

§.2. Nos eamdem Cappellam spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare volentes, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi: Ut quandocumque Sacerdos aliquis secularis, sive cujusvis Ordinis Regularis Missam defunctorum pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare dictæ Cappellæ celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur.

Prohibet mulieribus sub excommunicationis pœna, ne Cappellam ingrediantur.

§.3. Itaut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. Insuper mulieribus cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua non possint nisi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolvi, ne Cappellam prædictam ingredi audeant, seu præsumant, præterquam in in die festo ejusdem Sanctæ Chatharinę Senensis, quo die mares eo devotionis causa confluentes, sub eadem pœna illam ingredi non possint, districte prohibemus.

Indulgentiam plenariam elargitur eam visitantibus.

§.4. Omnibus autem, & singulis fœminini sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quæ dictam Cappellam die festo Sanctę Catharinæ prædicto a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium exstirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam: Universis vero, & singulis masculini sexus Christifidelibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra eadem communione refectis, qui eandem Cappellam in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, ac Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, necnon Sancti Dominici festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote similiter visitaverint, & ibi ut prædicitur, oraverint, etiam plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Cæterum spirituali consolationi dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum nunc, & pro tempore existentium nobilis, & antiquæ domus, & familiæ nostræ Barberinæ consulere volentes, eisdem mulieribus nunc, & pro tempore existentibus, ut una cum aliis mulieribus eas comitantibus, ac cum suis matronis, & ancillis prædictam Cappellam ultimo dictis quatuor festis diebus absque ullius pœnæ propterea incursu ingredi, eisdemque mulieribus etiam comitantibus, ac matronis, & ancillis vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quæ Cappellam hujusmodi ultimo dictis quatuor festis diebus, ut prædicitur, visitaverint, & ibi ut supra oraverint, quod eandem Indulgentiam plenariam, & remissionem consequantur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Familiæ Barberinæ peculiare indultũ concedit.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 22. Maii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Dat. die 22. Maii 1638. An.XV.

DLXX.

Quod Provincia Romana Fratrum Cappuccinorum subiiciatur Generali, & in ejus absentia Procuratori Generali eorumdem, eo modo, quo cæteræ Provinciæ.

Istius Ordinis materiam habes in Const. XLV. Gregor. XV. Ex injuncto *Tom.V. Par.IV. fol.416. Et in Const.* Salvatoris. *hujus Pontif. ut infra.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

INjuncti Nobis a Domino apostolici muneris ratio postulat, ut Religiosorum virorum, qui spretis hujus seculi vanitatibus divini Numinis obsequiis sub suavi religionis jugo, & strictioris observantiæ regulis se mancipaverunt, paternam curam gerentes, in bis ejusdem muneris partes sedulo intendamus, per quæ prospero, feli-

licique eorum statui, & directioni opportune consulatur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Declaratio, de qua in rubrica.

§.1. Hinc est, quod Nos, quo difficultates, quæ ut accepimus, Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum aliquid molestiæ afferunt è medio tollantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Ministrum Provincialem Provinciæ Romanæ dicti Ordinis, ipsamque Provinciam cum omnibus, & singulis ejus Domibus, Locisque Regularibus, & Conventibus dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Ministro Generali, & Procuratori ejusdem Ordinis, dum hic vices ipsius Ministri Generalis sustinet, Commissariusque Generalis appellatur, & est, iis legibus, eoque modo, quo ceteræ Provinciæ, ceterique Ministri Provinciales Ordinis hujusmodi, juxta ejus Constitutiones Apostolica auctoritate confirmatas subjectæ, & subjecti sunt, apostolica auctoritate, tenore præsentium subjicimus, ac præsentibus nostris Literis alias a Nobis die 16. Martii anno 1626. emanatas minime obstare, Nosque per secundodictas Literas auctoritati Commissarii Generalis dicti Ordinis, cui Minister Provincialis Romanæ Provinciæ prædictæ, ipsaque Provincia more ceterarum Provinciarum, ceterorumque Ordinum parere debent, eo maxime tempore, quo dictus Minister Generalis transmarinas, & ultramarinas Provincias incolit, invisitque, noluisse, nec intendisse derogare declaramus.

Quod recognoscant Superiores Generales.

§.2. Mandantes propterea dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Ministro Provinciali, aliisque Officialibus, & Fratribus dictæ Provinciæ Romanæ quomodolibet nuncupatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis, & irregularitatis, depositionisque ab eorum officiis, & muneribus, perpetuæque privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ, aliisque arbitrio dilecti filii nostri Antonii videlicet Sancti Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis S. Onuphrii nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani moderni, & pro tempore existentis Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, pœnis, ut Ministrum Generalem, & Procuratorem Generalem dum vices ipsius Ministri Generalis sustinet, estque Commissarius Generalis præfatorum, in suos Superiores recipiant, & agnoscant, eorumque salubria monita, & justa suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus, quatenus opus sit, prædictis nostris Literis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciæ, ac Ministro Provinciali, aliisque Fratribus prædictis, & quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimatertia Maii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Dat. die 13. Maii 1638. An XVI.

DLXXI.

Privilegium pro Congregatione Cassinensi contra appellantes, & ambientes.

Plures Summi Pontifices Congregationibus Monachorum prohibuerunt dignitatum ambitum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Literæ Greg. XIII.

§.1. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XIII. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet; Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Nihil in unaquaque religiosa familia, in qua obedientiæ firmissimæ jactis fundamentis plerique fideles in claustris altissimo famulari student, æque arbitramur esse utile, quam supremam in eisdem auctoritatem gerentibus omni contentione exclusa, ea qua decet reverentia, universos parere, eorumque dictis audientes esse, necnon a regularis observantiæ professorum pectoribus bonorum assequendorum nimiam cupiditatem exulare. Utque hæc, divina assistente gratia, maxime in Congregatione Monachorum de Observantia Congregationis Cassinensis aliàs Sanctæ Justinæ de Padua Ordinis Sancti Benedicti, quæ vitæ sanctitate claruit, ex seotentia nostra succedant, antiquas Constitutiones approbandas, & in illarum transgressores duriores pœnas proponendas, & aliàs opportune providendum esse censemus, prout in Domino conspicimus expedire. Accepimus enim, quod licet aliàs fel. record. Eugenius Papa IV. Prædecessor noster, sub datum

tum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Domini 1432. nono Kalendas Decembris, Pontificatus sui Anno Secundo, inter alia voluerit, in Capitulo Generali ejusdem Congregationis singulis annis celebrando, novem Definitores ex Monachis dictæ Congregationis eligi, qui vocem in Capitulo haberent, sicque electos totum Capitulum prædictum repræsentare, eorumdemque Definitorum Statutis, Constitutionibus, Ordinationibus, Definitionibus, & Correctionibus singulos Congregationis ejusdem Monachos, cujuscumque dignitatis, status, gradus, sive conditionis existerent, in omnibus efficaciter parere, ac hujusmodi Definitores de Monasteriis, & locis, illorumque bonis, prout viderent expedire, disponere, necnon ex Monachis tunc præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos judicavissent, in Abbates pro tempore vacantium Monasteriorum, ac Prioratuum hujusmodi, aliàs juxta dictæ Congtegationis Constitutiones, Ordinationes, & Statuta eligere, sive nominare, necnon ad eorum beneplacitum taliter electos absque aliqua etiam causæ cognitione a regimine etiam dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censerentur, absolvere, & amovere posse. Idemque per alias Literas datas Florentiæ, Pontificatus sui Anno Quarto decrevit, dum occurrente vacatione Monasteriorum, & Prioratuum dictæ Congregationis, etiam apud Sedem Apostolicam vacantium, qua illis ratione providendum esset, ordinavit, prout in singulis ejusdem Prædecessoris Literis plenius continetur. Nihilominus nonnullos dictæ Congregationis Monachos, ejus, quam Deo voverunt, obedientiæ plane oblitos, præfatis Superioribus in electione, & amotione Abbatum, & aliorum ad eorumdem nutum, & beneplacitum a Monasteriis, & aliis officiis absolvendis, & liberandis, aut ad illa eligendis, & nominandis, adversari, & contradicere, & cum illis ad contentiones devenire: alios vero, ne contra eos veluti inobedientes, vel alia etiam ex causâ, aut ex quantumvis gravi crimine, & excessu procedi possit, contra ejusdem Congregationis Statuta, & Ordinationes, varias oppositiones, & subterfugia, aut alia impedimenta afferre, vel interponere, necnon absque eorumdem Superiorum licentia in his, quæ ad morum correctionem, & regimen, administrationemque Congregationis ejusdem pertinent, jurisperitos, & alios consulere temere ausos fuisse, & nunc præsumere; quosdam etiam professionis, & regulæ, quam sub humilitatis habitu professi sunt, penitus immemores, reperiri, qui sic ambitione dignitatum, & officiorum ecclesiasticorum in dicta Congregatione consequendorum, quo facilius de Congregationis rebus, & personis ad eorum libitum disponant, se efferri patiuntur, ut ad ecclesiasticorum, & secularium Principum auxilia, vel occulte, vel palam recurrant, & a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque Prælatis commendatitias literas propterea expetant, & novi aliquid semper, ut optati compotes fiant, in eorum animæ perniciem parando, ac moliendo, ejusdem Congregationis quietem cum animarum illorum periculo non modico perturbent. Nos igitur præmissis occurrere, ac ejusdem Congregationis Monachorum honori, & quieti, quos in visceribus gerimus charitatis, necnon ad deterrenda maleficia gravioribus etiam pœnis propositis, consulere cupientes, ac dictarum Prædecessoris literarum seriem, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia singulas Prædecessoris prædicti literas ea in parte, quæ illæ auctoritatem illorum, qui pro tempore regendæ Congregationi deputati erunt, respiciunt, quod ad eorum nutum, & beneplacitum Abbates, & alios quovis nomine nuncupatos dictæ Congregationis Prælatos, vel Officiales eligere, & electos similiter absque aliqua causæ cognitione, servatis aliàs ipsius Congregationis Constitutionibus, ab officio amovere, & absolvere possint, apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & quatenus etiam opus sit, easdem quoad præmissa dumtaxat innovamus: quodque contra eos, qui in præmissis eisdem Superioribus in electionibus, vel amotionibus hujusmodi contradicere, vel se opponere, aut cum illis contendere præsumpserint, per pœnam privationis officiorum, quæ obtinuerint, ac personæ coercitionem, & carcerationem animadvertatur, statuimus. Cumque idem Prædecessor districtius inhibuerit, ne cui Prælatorum, vel Monachorum dictæ Congregationis ab Institutis, Ordinationibus, Correctionibus, & Mandatis Capituli Generalis, sive Præsidentis, aut Visitatorum, vel Rectorum ejusdem Congregationis, ad quemcumque, etiam Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, liceret appellare, quamcumque appellationem, si aliquam quandoque interponi contingeret, cum inde sequutis irritam decernendo; si autem contra aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis civiliter, aut criminaliter ageretur, secundum statuta, & consuetudines Congregationis prædictæ, juris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus omissis, procedi debere mandaverit: ejusdem Prædecessoris exemplo adducti, quod quandocumque contra Monachos judicium ex quavis causa institui contigerit, summarie, simpliciter, & de plano, ac sola facti veritate inspecta, necnon omni, & quacumque appellatione remota agi; appellantes vero, aut de nullitatibus sententiarum, processuum, & aliorum quorumcumque contra se decretorum, vel actorum dicentes, vel aliquod aliud impedimentum interponentes, illis

non

non obstantibus privationis officiorum, & carceris poenis itidem affici, & ad ulteriora in causis, quas pro tempore agitari contingeт, privationis officii, carceris, & aliarum poenarum propterea inflictarum exequutionem procedi posse volumus, easdemque poenas ad eos etiam Monachos, qui a jurisperitis, aut aliis quibusvis personis extra dictam Congregationem absque eorum Superiorum licentia in his, quæ obedientiam, aut correctionem, ejusdemve Congregationis regimen pertinebunt, consilium capient, extendimus, ac omnes, & singulos Monachos Congregationis prædictæ, cujuscumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ existentes, & quacumque dignitate præfulgentes, qui ad Prælaturas, & alia officia dictæ Congregationis assequenda insecuti, ad Principum, & Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non existentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe, vel indirecte, palam, vel occulte ad dignitates, seu officia in Congregatione præfata obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & onestis rationibus ea obtinere quæsiverint, illorumque complices, & fautores ad quascumque Prælaturas, dignitates, & officia spiritualia, vel temporalia, & præsertim in ipsa Congregatione obtenta, & obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis Prælaturis, dignitatibus, administrationibus, vel officiis eo ipso privamus, ac privatos voce tum activa, tum passiva carere decernimus, & declaramus, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicatione latæ sententiæ omnibus dictæ Congregationis Monachis, qui pro tempore regimini dictæ Congregationis deputati erunt, præcipientes, districteque mandantes, ne aliquos precibus, literis, vel favoribus Principum, vel Prælatorum, aut aliorum extra dictum gremium existentium adducti, ad cujusvis generis prælaturas, dignitates, officia, administrationes, & gradus promovere præsumant. Imo promovendorum meritis, & virtutibus tantum inspectis, quod Dei causam agant, memores sint, quo magis puro, & sincero corde, nulla privata, aut mundana affectione commoti, in electionum negocio procedant. Decernentes electiones, & promotiones ad Monasteria, sic literis, aut aliis favoribus Principum, & Prælatorum, vel aliorum extra gremium, ut præfertur, existentium, eorumque precibus, aut pollicitationibus injuste, ac indebite extortas, nullas, invalidasque esse, & adversus eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda Monasteria, vel Prioratus, aut alia officia se eligi, aut assumi obtinuerint, per ejusdem Congregationis Superiores quandocumque procedi, & rei veritate cognita, condignis poenis, tanquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores affici posse, & debere, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Congregationis, & Ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis illis, & illorum Superioribus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice motu, & scientia similibus latissime derogamus, ac derogatum esse volumus; Contrariis quibuscumque, aut si prædictis Congregationi, & Monachis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ac ut harum literarum notitia ad omnes dictæ Congregationis Monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictæ Congregationis Capitulo singulo quoque anno publice legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatę fuissent, illarumque exemplis, vel impressis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præsidentis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti obsignatis eamdem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eædem exhiberentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17. Aprilis 1574. Pontificatus nostri Anno II.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis d. Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ipse præinsertas literas per Nos confirmari, necnon præceptum, quod in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ poena in hujusmodi literis fit Prælatis, qui pro tempore regimini dictæ Congregationis deputati erunt, ne Monachos ad alias Prælaturas, dignitates, gradus, administrationes, & alia ipsius Congregationis officia precibus, literis, vel favoribus Principum, Procurator Gener. petit confirmati.

vel

vel Prælatorum extra gremium d. Congreg. existentium adducti promovere præsumant, ad alios quosque, & singulos Abbates, & Superiores quorumcumque dictæ Congregationis Monasteriorum, qui prædictos Monachos ad Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & cujulvis generis officia, tam spiritualia, quam temporalia, ab eisdem Monasteriis dependentia, precibus, & favoribus hujusmodi deputabunt, extendi, eosdemque Monachos ad similes favores recurrentes eadem poena ligari summopere desideret.

Confirmat Urbanus,

§.3. Nos prospero, felicique dictæ Congregationis gubernio, & regimini per amplius consultum esse cupientes, ipsumque Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas literas dicti Gregorii Prædecessoris cum omnibus, & singulis in eis contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus opus sit, innovamus, necnon omnibus, & singulis quorumcumque Monasteriorum dictæ Congregationis Abbatibus, & Superioribus quomodolibet nuncupatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, preces, & requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum, quam ecclesiasticarum extra gremium dictæ Congregationis consistentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque seculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, Imperiali fulgentium, quosvis dictæ Congregationis Monachos ad cujusvis generis Rectorias, Vicariatus, administrationes, & officia quæcumque tam spiritualia, quam temporalia singulorum Monasteriorum deputare præsumant, eosdemque dictæ Congregationis Monachos, cujuscumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ existant, & quacumque dignitate præfulgeant, qui tam ad Prælaturas, dignitates, gradus, & alia officia a Prælatis pro tempore regimini dictæ Congregationis deputatis assequenda, quam etiam ad Rectorias, Vicariatus, administrationes, & alia officia quæcumque tam spiritualia, quam temporalia a Prælatis, & Superioribus singulorum Monasteriorum impetranda, ad prædictarum personarum Principum, & Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non existentium favores per se, vel interpositam personam, directe, vel indirecte, occulte, vel palam, aut aliàs quomodolibet recurrerint, vel ad Prælaturas, dignitates, administrationes, & alia hujusmodi dictæ Congregationis, & Monasteriorum officia aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere conati fuerint, prædictas excommunicationis latæ sententiæ, aliasque inhabilitatis, & privationis pœnas in præinsertis Gregorii Prædecessoris literis contra similia perpetrantes comminatas, eo ipso incurrere, & incurrisse decernimus, & declaramus.

Derogatque contrariis.

§.4. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in præinsertis literis idem Gregorius Prædecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem harum literarum nostrarum notitia ad omnes Monasteriorum dictæ Congregationis Abbates, Superiores, & Monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictæ Congregationis Capitulo singulo quoque anno publice legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitime unicuique personaliter intimatæ fuissent, illarumque exemplis impressis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præsidentis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Maii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

Dat. die 11. Maii 1638. An.XV.

DLXXII.

Dotatio Ecclesiæ Babilonien. in Persia.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Super universas orbis Ecclesias eo disponente, qui cunctis imperat, & cui obediunt omnia, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quæ Ecclesiæ prædictæ presertim Cathedrales sub infidelium potestate existentes competentibus redditibus pro illarum oneribus supportandis; & congrua eorum præsulum sustentatione communiri valeant, ut illis præficiendi eo alacrius jugum Domini, & Ecclesiarum hujusmodi curam, & regimen suscipiant, cum se etiam temporalibus ad id auxiliis suffultos senserint, libenter intendimus, & Christifidelium facultates suas ad hoc benigne erogantium vota pii patris affectu promovemus, specialibusque favoribus, & gratiis confovemus.

Pia famina quamdam pecuniæ summã donat pro erigendo Episcopatu in partibus infidelium

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, quædam mulier natione Galla pio catholicæ fidei propagandæ zelo ducta, e bonis sibi ab Altissimo elargitis, sex millia duplarum Hispanicarum ad Urbem transmissa alicui ex Ecclesiis sub infidelium potestate existentibus arbitrio nostro designandæ pro Ecclesiæ hujusmodi dote, & congrua illius præsulis sustentatione per nos perpetuo applicari desideret;

Nos

Pontifex Ecclesiæ Babiloniensi addicit.

§.2. Nos pium ejusdem mulieris desiderium plurimum in Domino commendantes, ipsamque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutã fore censentes: de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandæ fidei præpositorum consilio dicta sex duplarum Hispanicarum millia in tot locis montium Urbis prædictæ non vacabilium ut infra investienda Ecclesiæ Bagdaten. seu Babilonien. in Persia ad presens pastoris solatio, ut pariter accepimus, destitutę, pro illius dotæ, & pro tempore futuri Episcopi Bagdaten. seu Babilonien. qui quidem in Gallia natus esse debeat, & apud Ecclesiam hujusmodi personaliter residere sub pœnis a Sacro Concilio Tridentino contra Episcopos non residentes inflictis, & comminatis omnino teneatur, sustentatione, itaut liceat ipsi Episcopo dictarum sex millium duplarum Hispanicarum, sive locorum montium inde emendorum fructus, redditus, & proventus, aliaque emolumenta quæcumque inde quomodolibet provenientia percipere, exigere, levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere nullius licentia desuper requisita, apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo applicamus, & appropriamus.

Cum reservatione sibi & Rom. Pont. juris nominandi ad illam, excepta tamē prima vice, pro qua nominare debeat ipsa donatrix.

§.3. Insuper eidem mulieri pro hac vice dumtaxat, deinceps autem perpetuis futuris temporibus, quoties, quandocumque, & quomodocumque dictam Ecclesiam Bagdaten., sive Babilonien. vacare contigerit, Venerabilibus Fratribus nostris prædictis jus nominandi in eorum Congregatinne coram Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice habenda ad eamdem Ecclesiam personam idoneam, quæ tamen in Gallia, & non alibi nata semper esse debeat, ut præfertur, per Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem in Episcopum dictæ Ecclesiæ ad nominationem hujusmodi instituendam auctoritate, & tenore prædictis, reservamus, & concedimus.

Clausulas apponit.

§.4. Decernentes irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præscribitur modus d. summam in tot loca montiū investiendi.

§.6. Volumus autem, ut dicta sex duplarum Hispanicarum millia in tot locis montium Cameralium, seu Communitatum non vacabilium de Urbe prædicta, ad dictum effectum investiantur, ac in eventum illorum extractionis, sive extinctionis, toties quoties id fieri contigerit, pecuniæ inde provenientes in alia loca montium similiter Cameralium, sive Communitatum non vacabilium de eadem Urbe investiantur, & investiri debeant; & interim donec investitio hujusmodi fiat, eædem pecuniæ penes Montem Pietatis dictæ Urbis deponantur inde non amoven. nisi ad effectum illas, ut præfertur investiendi, itaut dicta sex duplarum Hispanicarum millia, & loca montium ex illis emenda, ac alii quicumque fructus, redditus, & emolumenta inde provenientia integre semper, & perpetuo pro dictæ Ecclesiæ dote, illiusque Episcopi congrua sustentatione remaneant, nec in alios usus quovis prætextu, aut ex quavis causa converti possint.

Ecclesiam, & Episc. subdit jurisdictioni Congr. P.F.

§.7. Quodque dictus Episcopatus Bagdaten., sive Babilonien., & illius pro tempore existens Episcopus sint immediate sub protectione dictorum Venerabilium Fratrum nostrorum, ita tamen, ut illi, neque circa Episcopatum hujusmodi, neque circa dotem ejus, aut illius redditus, neque circa Episcopum pro tempore existentem possint aliquid facere nisi in eorum Congregatione coram Nobis, & nostris Successoribus Romanis Pontificibus habenda.

Dat. die 4. Junii 1638. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quarta Junii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Absol-

DLXXIII.

Absolvit Novem Portionarios Ecclesiæ Cæsaraugustan. a censuris, in qua incurrerant ob prætensos recursus eorum nomine factos ad Judices laicos in causa inter ipsos, & Capitulum dictæ Ecclesiæ vertente super distributionibus.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Magistro Joanni Baptistæ Coccino Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditori Decano.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Expositio Portionariorum Ecclesiæ Cæsaraugustanæ.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Cluæ, & Dominici Adam, Martini Joannis Salazar, Antonii Predas senioris, Antonii Rosell, Martini Sanchez, Dominici Roso, Francisci Lallana, & Gregorii Escobedi Portionariorum Ecclesiæ Cæsaraugustan. Nobis expositum fuit, quod in literis secularizationis dictæ Ecclesiæ fuerunt cuilibet illius portionario, & beneficiato inservienti præservatæ quotidianæ distributiones illis pro rata eorum servitii solvendæ; quas distributiones postea per particulare ejusdem Ecclesiæ statutum apostolica auctoritate confirmatum debere ascendere ad tria regalia monetæ illarum partium qualibet die pro Horis Divinis declaratum fuit; subinde per Capitulum, & Canonicos dictæ Ecclesiæ ejusdem Portionariis distributiones hujusmodi in præfata quantitate præstitæ fuerunt, & Rota desuper eisdem Portionariis mandata de manutenendo concessit. Cum autem dictis Capitulo, & Canonicis intimatum fuisset mandatum ultimo loco expeditum, & contra eos mandato hujusmodi non parentes interdictum, & declaratoria peteretur, ipsi Capitulum, & Canonici ad differendum partitionem hujusmodi opposuerunt, præfatos exponentes habuisse recursus ad judices laicos sub prætextu, quod olim una, seu pluribus vicibus conjunctim, vel divisim, per Procuratorem, seu Procuratores suos coram, seu ab eisdem Judicibus laicis petierunt mandari præfatis Capitulo, & Canonicis, ut dictos exponentes in pacifica, & quieta possessione percipiendi respective distributiones, seu fructus suarum Prebendarum, ac quasdam mensuras, sive portiones vini, aliaque emolumenta juxta pristinum usum, & consuetudinem dictæ Ecclesiæ manutenerent, & propterea eosdem exponentes in censuras ecclesiasticas incurrisse, & a limine Judicii repellendos esse.

Necnon etiā petitio absolutionis a censuris, si quam incidetint.

§.2. Cum autem, sicut expositio subjungebat, licet dicti exponentes existiment, se nullatenus in censuras ecclesiasticas propterea incidisse, nec umquam sensesint, debere ab aliquo geri eorum nomine quidquam illiciti, minusve intendant uti gestis ab assertis Procuratoribus prædictis,

imo nec ea quidquam immunitati, vel libertati ecclesiasticæ præjudiciale continere videantur, nihilominus iidem exponentes ad omnem scrupulum e medio tollendum, ac ut ipsi tutius jura sua promovere valeant, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de opportuno circa præmissa absolutionis beneficio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas Sacræ Rotæ Decano eos absolvendi.

§.3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus constito tibi legitime de præmissis eosdem exponentes, & eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, imposita ipsis, & eorum singulis, arbitrio tuo, aliqua pœnitentia salutari, renunciatoque prius per eos prædictis, & quibuscumque aliis prætensis recursibus, & attentatis coram quibuscumque Judicibus laicis quandocumque, & quomodocumque factis, a quibuslibet censuris, & pœnis ecclesiasticis quomodolibet forsan per eos incursis ad cauthelam coojunctim, vel divisim, auctoritate nostra apostolica absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas illis, & eorum siogulis gratiose remittas, & condones.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & coosuetudinibus, cæterisque cootrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Julii 1638. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DLXXIV.

Irritatio Actuum factorum tam per Ministros Regios Portugalliæ, & Judices, quam per Ministros Sanctæ Sedis super bonis, Cappellis vulgo nuncupatis, Ecclesiarum, & Locorum Piorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum contra Jurisdictionem, & libertatem ecclesiasticam, & jura Sedis Apostolicæ.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Facti series.

§.1. Quamvis juxta canonicas sanctiones, & Constitutiones Apostolicas, etiam in Conciliis universalibus editas,

tas, ac in Bulla in Cœna Domini quot annis legi solita innovatas, & approbatas, prohibitum, & expresse interdictum sit, ne bona semel Deo dicata, ad laicales, seu profanos usus convertantur, neve Judices, & Principes laici super bonis Ecclesiarum, & Monasteriorum, Beneficiorumque Ecclesiasticorum, ac piorum operum manus apponant, præsertim ad illorum occupationem, ipsarumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorumque Ecclesiasticorum, ac piorum operum, & locorum prædictorum, ac ultimarum voluntatum, etiam antiquarum a Christifidelibus pro tempore pro ipsorum animabus apud Deum adjuvandis dispositarum, & relictarum abrogationem, præjudicium, & gravamen, etiam contra leges civiles, quæ illorum integram exequutionem, & plenam observantiam expresse jubent, & mandant; Nihilominus, ut accepimus, in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis sub prætextu assertarum legum, seu ordinationum illorum Regnorum, etiamsi illæ a piæ mem: Gregorio IX., & aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, etiam occasione confirmationis concordatorum inter Regem, seu Reges, ac Prælatos, & Clerum aliàs initorum, annullatæ, revocatæ, & abrogatæ fuerint; attentarunt, & incæperunt nonnulli, etiam Officiales, & Ministri Regis inquietare, & perturbare Ecclesias, Monasteria, Beneficia, opera, & loca pia hujusmodi, eorumque possessores super suis bonis, etiam ab antiquo tempore per Christifidelium diversas largitiones relictis, & acquisitis, Cappellas vulgo nuncupatis, de facto, etiam auctoritate laicali, & Regia, & coram Judicibus laicis vexare, & molestare, & aliqui forsan etiam nulliter, ac de facto injuste, & indebite illis easdem Ecclesias, & Monasteria, Beneficia, operaque, & loca pia prædicta, eorumque possessores expoliarunt: alii etiam occupantibus, & molestantibus nedum auxilium, & favorem tam in agendo, & occupando, quam in retinendo, & aliis quomodolibet præstiterunt in animarum suarum præjudicium, ac damnationem, sed etiam in violationem immunitatis ecclesiasticæ, & usurpationem jurium Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, operum, & locorum piorum hujusmodi, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ contemptum, & in scandalum plurimorum, censuras, & pœnas in prædictis Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, universalibusque Conciliis, ac Bulla Cœnæ Domini inflictas damnabiliter incurrendo. Et quia a nonnullis asseritur, quod aliqui in dictis Regnis Ministri Sedis Apostolicæ, & forsan etiam Collectores supradicta, vel eorum aliqua tacita connivientia, seu incuria tolerarunt, seu permiserunt; nonnullos etiam per modum declarationis, seu aliàs, qui prætenduntur tendere in præjudicium Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, operum, & locorum piorum, aliorumque præfatorum super præfatis Cappellis, ac aliàs contra jurisdictionem, libertatem, & Immunitatem Ecclesiasticam, & jura Sanctæ Sedis Apostolicæ, aliaque præmissa fecerint, etiamsi actus quorumcumque Officialium, & Ministrorum Sedis Apostolicæ etiam Collectorum, vel eorum taciturnitates, conniventiæ, tolerantiæ, permissiones, omissiones, & acta quæcumque non possint eidem Sedi Apostolicæ, ac jurisdictioni, libertati, & Immunitati Ecclesiasticæ in aliquo præjudicare, absque scientia, & approbatione nostra;

Irritatio, de qua in Rubr.

§.2. Nihilominus ad abundantiorem cauthelam Nos, ad quos ex debito pastoralis officii Nobis divina dispensatione injuncti, pertinet, Ecclesias, Monasteria utriusque sexus, beneficia, operaque, & loca pia, piasque Christifidelium elargitiones, & Cappellas prædictas, illarumque possessores, libertatem, Immunitatemque Ecclesiasticam, ac jura, & jurisdictiones Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ ab indebitis molestiis, vexationibus, & gravaminibus quibuscumque tueri, & liberare, super his de mentis nostræ declaratione, & de opportuno remedio, quantum Nobis ex alto conceditur, debite providere volentes, necnon præfatarum Legum, Ordinationum, & Statutorum ipsorum Regnorum, ac quorumcumque tam ab Officialibus, & Ministris Regiis, & aliis quibuscumque, cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, etiam Ecclesiasticæ, & Regalis, ac aliis etiam speciali nota, & expressa mentione dignis, quam a quibuscumque Officialibus, & Ministris Sedis Apostolicæ, ac etiam Collectoribus super præmissis quomodolibet forsan factorum, & gestorum, seu e contra omissorum, vel qualitercumque permissorum, & commissorum, ac inde sequutorum, quorumcumque tenores, etiam majores, & veriores, litiumque, & causarum, si quæ etiam de facto super præmissis exortæ, & pendentes sint, illarumque status, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, ac Tribunalium quomodolibet qualificatorum, etiam laicalium, & collitigantium, ac quorumcumque aliorum hic forsan exprimendorum, & inserendorum pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes; motu proprio, certaque scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, præsentium nostrarum literarum serie, omnes, & singulos actus etiam per modum declarationis, ac aliàs quomodolibet factos tam per quoscumque Ministros, & Officiales Regios, ac Judices, & quoscumque alios quavis auctoritate procedentes præfatos, quam per quoscumque Officiales, & Ministros Sedis Apostolicæ, ac etiam per Collectores, & quascumque alias personas, & Tribunalia quavis auctoritate fungentes, & fungentia super præfatis bonis, Cappellas nuncupatis, Ecclesiarum, Monasteriorum utriusque sexus, beneficiorum, operumque, & locorum piorum præfatorum, &

con-

contra eorum possessores præfatos, & aliàs contra jurisdictionem, libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, & jura Sanctæ Sedis Apostolicæ cum omnibus, & quibuscumque inde sequutis, & sequendis tanquam nulliter, & injuste emanatis, & emanandis, fuisse, & esse nulla, nulliusque roboris, & momenti, & quascumque Ministrorum, & Officialium Sedis Apostolicæ, etiam Collectorum omnissiones, negligentias, tolerantias, aut permissiones, & acta quæcumque nullum præjudicium Ecclesiis, piisque locis attulisse, seu afferre potuisse declaramus, illosque, & illa, si aliquid validitatis umquam habuisse, & habere, aut hujusmodi præjudicium afferre potuisse a quoquam prætenderetur, annullamus, improbamus, cassamus, revocamus, & irritamus, ac irrita, nulla, improbata, cassa, viribusque vacua fuisse, & esse, pro nullisque, improbatis, cassatis, revocatis, & irritis haberi decernimus, itaut numquam possint allegari, nec etiam, quod umquam inde aliquid damni, vel præjudicii Ecclesiis, aliisque præfatis omnibus, & singulis potuerit oriri, a quoquam in judicium deduci, nec prætendi possit, etiam prætextu cujuscumque interpretationis præsentium literarum, quarum interpretationem, & declarationem, ac prædictorum occupantium, & usurpantium quorumcumque, illisque auxilium, consilium, & favorem præstantium, & qui antea præstiterunt, absolutionem, itaut in quacumque facultate, & dispositione generali, etiam Cruciatæ sanctæ minime comprehendantur Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris dumtaxat reservamus.

Clausula.

§.3. Præsentes quoque literas, omniaque, & singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, ac cujuscumque nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionisque nostræ, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes, quicumque etiam Ministri, & Officiales prædicti, & præsertim Judices, Ministri, & Officiales Regni prædicti, & alii quicumque, cujuscumque qualitatis, status, gradus, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ, etiam speciali nota dignæ existant, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitatesque, & quævis alia servanda, & adimplenda nullatenus servata, & adimpleta, & causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliis sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, & causa etiam in corpore juris clausis, & alia quacumque quamtumvis rationabili, justa, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, a quoquam notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, vel adversus illa quodlibet juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet concesso quempiam uti, seu se juvare in Judicio, & extra minime posse: sed illa semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque integros, & plenarios effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Nuncios Apostolicos, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac quoscumque alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ Regulis, & quatenus opus, sit illa de non tollendo jure quæsito, ac prædictis, & quibusvis aliis Regnorum prædictorum legibus, & ordinationibus, statutis, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, etiam per viam legis, aut contractus, vel statuti perpetui in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, seu etiam ad quorumvis etiam Regum, & aliorum Principum instantiam, etiam iteratis vicibus, quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 5. Julii 1638. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Julii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

DLXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio A. C. absolvendi Decanum, Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Hispalen. a censuris ob recursum eorum nomine, sine tamen ullo ad id mandato, alias factum ad Judices laicos.

Dilecto filio Magistro Francisco Mariæ Ghislerio Cappellano nostro Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Series facti.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Decani, Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ Ispalen. Nobis expositum fuit, quod ad ipsos ex antiquissima, & immemorabili consuetudine jus percipiendi decimas ex fructibus omnium, & singulorum prædiorum, quæ intra fines Diœcesis Ispalen. possidentur a Præbendatis dictę Ecclesiæ, præsertim vero quorumdam vinearum, & aliorum bonorum per dilectum filium Odoardum Pereira dictæ Ecclesiæ Canonicum in termino loci de Camas, & Villæ S. Pontii dictæ Diœcesis possessorum, spectat, & pertinet; Prior vero, & Conventus Sancti Isidori Ordinis Sancti Hieronymi prope, & extra muros Civitatis Ispalen. prætendentes dicta bona in suo districtu sita existere, sibique non autem Capitulo hujusmodi illorum decimas deberi, item desuper coram dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio commorante introduxerunt, a quo cum præfatas decimas ad Priorem, & Conventum hujusmodi pertinere declaratum, & a dicta declaratione ab alia parte appellatum fuisset, quidam Franciscus Suarez Arguello usus nomine ipsorum exponentium, nullo tamen eorum legitimo mandato ad id suffultus, comparens in Regio Consilio petiit ordinari eidem Nuncio, ut appellationem sic, ut præfertur, interpositam admitteret, ac omnia gesta revocaret; Consilium vero cum mandasset hoc dilecto filio Ignatio Velasco dicti Nuncii Notario notificari, viso processu, dictus Ignatius dixit, ipsum Nuncium vim non inferre; habitaque notitia per ipsos exponentes de hujusmodi recursu, ab illis improbatus fuit.

Capituli Ispalen. petitio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentes, licet existiment, se nullo ad id ab eis dato mandato in censuras ecclesiasticas nullatenus incidisse, nihilominus ad omnem dubitandi materiam e medio removendam, ac ut ipsi jura sua in Sacro Rotæ Romanæ Auditorio, in quo lis hujusmodi coram te pendet indecisa, promovere valeant; Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in præmissis de opportuno absolutionis beneficio ob recursum præfatum providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio, de qua in rubrica.

§.3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus constito tibi legitime de præmissis, eosdem exponentes, & eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, imposita ipsis propter præmissa arbitrio tuo aliqua pœnitentia salutari, renunciatoque prius per eos quibuscumque recursibus, & attentatis coram quibuscumque Judicibus laicis desuper quomodolibet factis, a quibus censuris, & pœnis ecclesiasticis per eos quomodolibet forsan incursis, auctoritate nostra ad cauthelam absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas illis, & eorum singulis gratiose remittas, & condones.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 5. Julii 1638. An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die quinta Julii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DLXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Congregationis Sancti Joannis Dei Conventus, & Hospitalia, in quibus sunt duodecim Religiosi ab Episcoporum jurisdictione eximuntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Paulus V. declarat eos dumtaxat ad habitum admitti, qui pro Infirmorum cura sunt necessarii.

§.1. CUm, sicut dilectus filius Angelicus Rampulla Congregationis Joannis Dei Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, per quandam felicis recordationis Pauli Quinti prohibeatur expresse, ne plures ad habitum, & professionem per Fratres dictæ Congregationis suscipi, & emitti solitam admittantur, quam infirmorum, & miserabilium personarum necessitas exigat.

Et Pius Quintus bona acquisita per hos Fratres non sibi sed Infirmis.

§.2. Ac per aliam Constitutionem Pii etiam Quinti Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum statuatur, ut quidquid Congregationis hujusmodi Fratres acquirunt, non sibi, exceptis dumtaxat victu, & vestitu, sed pauperibus infirmis, & Hospitalibus, ad quorum servitium particulari instituto, ac voto obstrin-

ſtringuntur; acquirant, indeque pateat dictam Congregationem non parum ab aliis Religionibus circa libertatem, & facultatem, duodecim Religioſos in ſingulis ejus Conventibus, & Hoſpitalibus deputandi differre.

Procur. Gen. petit declarari eos non cóprehendi Decreto, quod latum fuit anno 1625.

§.3. Nobis propterea dictus Angelicus humiliter ſupplicari fecit, ut præfatam Congregationem minime compræhenſam eſſe ſub decreto, auctoritate noſtra, hac de ro die 21. Junii 1625. inter decreta *de celebratione §. deinceps* edito declarare, ac aliàs, ut infra, indulgere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Urbanus ab Epiſcoporum Juriſdictione eximit Conventus, ubi ſunt 12. Religioſi.

§.4. Nos igitur eumdem Angelicum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis regularium præpoſitorum conſilio, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium declaramus, & decernimus, ut quoad dictæ Congregationis Conventus, & Hoſpitalia, in quibus erunt duodecim Religioſi, Epiſcopi nullatenus ſe ingerant, & quoad illos Conventus, ſeu Hoſpitalia, in quibus erit minor Religioſorum numerus, iidem Epiſcopi poſſint inſimul cum Provinciali, vel alio majori ejuſdem Congregationis Superiore, ad reviſionem computorum adminiſtrationis eorumdem Hoſpitalium procedere, ita tamen, ut contra perſonas in nihilo prorſus ſe immiſceant.

Contrariis derogat.

§.5. Non obſtantibus præfato Decreto, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis ſuper numero Religioſorum in quolibet Monaſterio, aut Conventu conſtituendo, ac quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 9. Julii 1638. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die nona Julii 1638. Pontificatus noſtri Anno Decimoquinto.

DLXXVII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Superioribus Fratrum Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia Provinciæ Aquitaniæ antiquioris facultas datur Literas Dimiſſoriales ſuis Religioſis ad Sacros Ordines promovendis concedendi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cauſæ concedendi indulti.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Jourdain Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Strictioris Obſervantiæ Provinciæ Aquitaniæ antiquioris Miniſter Provincialis, quod licet Religioſi a Diœceſanorum juriſdictione exempti abſque illorum dimiſſorialibus literis a quibuſvis locorum ordinariis cum ſolis teſtimonialibus ſuorum Superiorum literis ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines promoveri poſſint, nihilominus tamen nonnulli Epiſcopi in illis partibus præfatos Religioſos abſque dictis dimiſſorialibus Literis Epiſcoporum ad dictos Ordines promovere dubitant, & differunt.

Petitio Procuratoris Generalis.

§.2. Quare dictus Exponens Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut dictos Religioſos cum ſolis teſtimonialibus literis ſuorum Superiorum Regularium abſque dimiſſorialibus Epiſcoporum literis nullo aliãa illis obſtante impedimento, ad dictos Ordines promoveri poſſe decernere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Conceſſio, de qua in Rubr.

§.3. Nos igitur eumdem Exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, tenore præſentium decernimus, & declaramus poſſe Superiores regulares ſuis ſudditis itidem regularibus, qui requiſitis prædicti qualitatibus ad ordines promoveri voluerint, literas dimiſſoriaa concedere ad eum tamen Diœceſanum illius Monaſterii, ubi regulares ordinandi ab his, ad quos ſpectat, collocati fuerint. Quo Diœceſiano abſente, vel ordinationea non habituro, ad quemcumque alium Epiſcopum, ſi tamen ſtudioſe, & de induſtria conceſſionem dimiſſorialium literarum hujuſmodi in tempus, quo Diœceſanus Epiſcopus, vel abfuturus, vel nullas eſſet ordinationes habiturus, non diſtulerint. Ordinandi vero ab Epiſcopo illos ordinaturo, quo ad doctrinam, examinentur; Hoc etiam ſervato, ut cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente literæ dimiſſoriales dabuntur,

buntur, in literis hujusmodi, utique dictę absentiæ, vel ordinationum a dicto Diœcesano non habendarum causa exprimatur: quod qui facere neglexerint, officii, dignitatisque, ac vocis activæ, & passivæ privationis pœnam incurrant eo ipso.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Julii 1638. An.XV.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaseptima Julii 1638. Pontificatus nostri Anno XV.

CLXXVIII.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis Conventuum Fratrum Cappuccinorum ubique existentium, cum facultate Superioribus commutandi inutiles per Syndicos.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motivum.

Conservationi, & manutentioni Bibliothecarum singularum domorum ubique existentium Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, earumdemque domorum Guardianos, & Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti filii moderni dicti Ordinis Procuratoris Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati;

Mandat prout in Rubrica.

§.1. Ne de cætero quiquam quavis auctoritate fungentes libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta dictis Bibliothecis per quoscumque Christifideles hactenus quomodolibet donata, & assignanda, ex eis extrahere, sive ut extrahantur, permittere, sub quovis quæsito colore, causa, prætextu, vel occasione audeant, seu præsumant, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis, apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Permittimus tamen Provincialibus, & Definitoribus dicti Ordinis conjunctim procedentibus, ut per eorum Syndicos earumdem Bibliothecarum libros dicto Ordini inutiles cum aliis utilibus, de licentia tamen illorum, qui eosdem libros, ut præfertur, donaverint, aut eorum hæredum, si extiterint, permutare. Superioribus autem singularum hujusmodi Domorum, ut libros, quinterna, & folia hujusmodi, etiam e dictis Bibliothecis pro usu Verbi Dei Prædicatorum dicti Ordinis, qui in Civitatibus, Oppidis, Terris, Castris, & locis, in quibus dictæ Domus existunt, vel existent, aut aliis locis ejusdem Diœcesis, vel non multum distantibus prædicabunt, extrahere, ac Fratribus Domorum Regularium hujusmodi, ut illa studendi causa ad suas cellas deferre valeant, dummodo in libro ad id in Bibliothecis hujusmodi parato nomina sua, & librorum, seu quinternorum, ac foliorum hujusmodi, quæ sumpserint, annotent, ac postquam dicti Prædicatores, & Fratres illis usi fuerint, illa illico ad dictas Bibliothecas sub eisdem pœnis reportent, concedere possint.

Contrariis derogat.

§.2. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copiæ in valvis singularum dictarum Bibliothecarum, aut aliis perspicuis locis, unde ab omnibus commode cerni possint, continuo affixæ remaneant. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 29. Julii 1638. An.XV.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimanona Julii 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DLXXIX.

Ex Regest. in secret. Brev.

Facultas Regimini Civitatis Bononien. continuandi Gabellas, unam scilicet quatuor solidorum pro qualibet libra serici exteri, & aliam decem solidorum pro qualibet libra serici duplicis, durantibus octo annis proxime futuris ad effectum solvendi æs alienum a Camera dictæ Civitatis contractum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert datam aliàs a se facultatem imponendi duo vectigalia.

§.1. ALiàs a Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Aliàs fetre: Paulus &c. Subinde vero pro parte dilectorum filiorum regiminis d. Civitatis per dilectum filium Joannem Baptistam de Sancto Petro tunc existentem ejusdem Civitatis apud Nos Oratorem, Nobis denuo exposito, quod ipsi occasione expensarum, quas in hospitandis Sedis Apostolicæ Militibus tam aliàs in Vallem Tellinam, quam postmodum pro fabrica propugnaculi, seu Fortalitii Urbani nuncupati jussu nostro missis facere coacti fuerant, æs alienum pro summa centum, & nonaginta trium millium, ac octingentarum, & octuaginta octo librarum monetæ Bononien. circiter contraxerant, ex eoque per totum mensem Martii tunc proximum pro summa centum, & triginta millium, ac noningentarum, & nonaginta octo librarum similium circiter debitores remanebant, & propterea quo æs alienum contractum hujusmodi, & deinceps causa hospitationis Militum eorumdem durante contrahendum extinguere, fructusque ratione illarum portionum, quas aliàs de licentia nostra ad interusurium acceperant, solvere valerent, duo Datia, & duas Gabellas hujusmodi ad aliud Nobis benevisum tempus continuare posse plurimum desiderabant. Nos regimini prædictis, quod duo datia, seu duas Gabellas hujusmodi, ac quodlibet illorum, seu illarum ad octo annos tunc proxime futuros tantum continuare libere, & licite, & absque ullo conscientiæ scrupulo, ac censurarum, & pœnarum præfatarum incursu possent, & valerent, apostolica auctoritate facultatem concessimus, & impertiti fuimus, & aliàs, prout in nostris in simili forma Brevis desuper expeditis Literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

Et causas ea continuandi.

§.2. Cum autem, sicut iidem Regimen Nobis denuo exponi fecerunt, Camera dictæ Civitatis pecuniis nedum exhaustissima, sed etiam gravi ære alieno obstricta reperiatur, & propterea, quo æs alienum hujusmodi extinguere, & depositariis montium dictæ Civitatis creditoribus satisfacere valeant, sibi per Nos, ut infra opportune provideri summopere desiderent.

Concedit facultatem per octennium.

§.3. Nos regimini hujusmodi de aliquo subventionis auxilio in præmissis opportune providere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Regimini præfatis, quod duo Datia, seu Gabellas hujusmodi, ac quodlibet illorum, seu illarum ad octo annos proxime futuros tantum, comprehensis tamen in dicto tempore pecuniis à fine primæ concessionis hactenus exactis, continuare, pecuniasque tam exactas, quam exigendas hujusmodi in præfati æris alieni dissolutionem, & satisfactionem præfatis Depositariis faciendam convertere, & erogare libere, & licite, & absque ullo conscientiæ scrupulo, ac censurarum, & pœnarum præfatarum incursu possint, & valeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, & impertimur.

Obstantibus derogat.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro pleno, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. August. 1638. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die tertia Augusti 1638. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Facul-

DLXXX.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, necnon reducendi annuos Census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi, cum declaratione, quod pro hujusmodi alienatione non requiritur licentia Protectoris.

De istorum Monachorum Congregatione notavi ad Constitut. CDIV. Sancta Mater. *Tom. VI. Par. I. fol. 316. Et ad Constitut. DXXXVI.* Exponi Nobis, *ut supr. fol. 102. & demum ad Constitut. DLXXI. fol. 140.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Const. alias editam.

ALias a Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti, prædictæ Congregationis, illiusque regiminis nomine, quod ob malas temporum conditiones damna, detrimenta, atque incommoda per eamdem Congregationem accepta ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis ejusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bona ex parte ejusdem Congregationis prædia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quæ pro summa quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum Sedis Apostolicæ. Monasteria dictæ Congregationis ob defectum suorum redituum ad præsens sunt adeo oppressa, ut illorum nonnulla jam ruinis eversa, & se sublevare impotentia reddita sint, aliis vero eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per Nos provideatur, prout alias per Rom. Pont. Prædecess. nostros Monasteriis hujusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, & præsertim per Pium V. qui similes, & forsan minus urgentes ob causas per quasdam suas sub die 19. Martii 1570. duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum, & triginta millia dictæ Congreg. Cassinensi pro sua rata obtigerunt; & postmodum, quia summa hujusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili forma Brevis respective expeditas literas eidem Congregationi Cassinensi bona stabilia pro alia summa quinquaginta millium scutorum aureorum vendendi facultatem respective concessit, eoque modo damnis, & periculis Monasteriis dictæ Congregationis tunc temporis imminentibus opportune occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientia compertum est.

§. 1. Nobis propterea dictus Procurator, quo supra nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & aliis ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum dicti Pii V. Prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & aliis majoribus necessitatibus ad præsens gravata reperiuntur, ut cum approbatione tamen dilecti filii nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, S. R. E. Vice-Cancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentia Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictæ Congregationis bona stabilia, quæ pro liberanda ab ære alieno Congregatione prædicta, restaurationibusque necessariis, & utilibus in ejus bonis faciendis magis opportuna fuerint judicata, usque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis, & formis in prædictis Pii V. Prædecessoris nostri literis contentis, & juxta illarum tenores, & continentias vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicæ impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori instrumento appositis redimere; ita tamen ut præsentes aliis ejusdem Congregationis Monasteriis minime suffragentur, quam iis dumtaxat, quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integre concurrerunt, & concurrunt, libere, & licite possint, & valeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 2. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum, etiam juramento,

to, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius V. Prædecessor noster in præfatis suis literis voluit non obstare, & aliis contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

Procuratoris Gen. petitio.

§.1. Cum autem, sicut idem Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, a quamplurimis, præsertim vero a census super bonis ejusdem Congregat. juxta tenorem præinsertarum literarum imponendos emere volentibus dubitetur, an pro imponendis censibus hujusmodi dicti Francisci Cardinalis Protectoris hujusmodi approbatio, & regiminis prædicti licentia sint necessariæ: Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune declarationis nostræ ministerio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas, de qua in rubric.

§.2. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati peramplius consultum cupientes, illasque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod in vim præinsertarum nostrarum Literarum Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis intelligatur, intelligique debeat absque alia licentia, & approbatione concessa facultas super eorum, & dictæ Congregationis Monasteriorum bonis stabilibus novos, annuos, & redimibiles census juxta formam Constitutionis præfati Pii Prædecessoris imponendi, ad effectum census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus alias de Sedis Apostolicæ licentia impositos, cum pecuniis novorum censuum hujusmodi, ad minorem tamen rationem pro quolibet centenario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo, & non aliàs accipiendis, servata in reliquis earumdem Literarum forma redimendi, apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus fel. record. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius Prædecessor voluit in prædictis suis, & Nos in nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut novorum censuum hujusmodi impositio, & veterum extinctio unico contextu fiant, vel saltem pecuniæ ex nova impositione hujusmodi provenientes penes Montem Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendæ, nisi ad effectum extinctionis prædictæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die undecima Augusti 1638. Pontificatus nostri Anno XVI,

Dat. die 11. Augusti 1638. An. XVI.

DLXXXI.

Facultas Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani imponendi gabellam in Insula Melevitana pro extinctione æris alieni contracti ob Annonæ inopiam.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Causæ imponendæ novæ taxæ refert.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Juratorum Universitatis, & hominum Insulæ Melevitanæ Nobis expositum fuit, quod ipsi ob penuriam rei frumentariæ eorum curæ, & administrationi commissæ, qua superioribus annis dicta Insula laboravit, coacti fuerunt, eo quia ordinarias frumenti extractiones e Regno Siciliæ tunc graviori Annonæ difficultate presso obtinere minime potuerunt, frumentum sibi e remotis partibus quærere, seu comparare; cujus frumenti in dictam Insulam importari salma ultra malam illius conditionem ob locorum distantiam, penuriosa tempora, lucra pecuniarum, fidejussiones, cambia, & recambia monetarum, aliaque interusuria ad summam octodecim scutorum ascendit. Unde tu provide considerans, quod frumentum hujusmodi in dies deterius evadebat, illudque brevi projiciendum erat, habita ratione dispendii populorum dictæ Insulæ, præsertim vero pauperiorum, mandasti, ut frumentum prædictum, quam citissime partim commodioribus dictæ Insulæ personis pro eodem pretio octodecim scutorum, partim aliis ad rationem duodecim; residuum vero, quod interim vitiatum, & corruptum erat, ad rationem octo scutorum similium pro qualibet salma distribueretur: quod non parum populos dictæ Insulæ sublevavit, damno tamen interim ipsis Universitati, & Hominibus ratione diversitatis pretiorum hujusmodi fuit: qui cum ex pecuniis mercatorum mediante interusurio, seu beneficio duorum tarenorum pro quolibet scuto pretium frumenti hujusmodi illius venditoribus solverint, eorumdem mercatorum non solum in jactura pretiorum, sed etiam lucrorum, de-

bitores remanent; quinimo oportuit ipsos notabilem pecuniarum summam mercatoribus prædictis, ne a negociatione rei frumentariæ maxime illis penuriosis temporibus,& ex aliis causis deterrerentur,solvere. Quapropter cum prædicti Universitas, & Homines, nec bona propria, nec peculia, nec alios effectus nisi pauca possideant, illaque in reparationem certarum fabricarum destinata existant, nec aliis sumptibus, quos necessario facere tenentur, sufficiant;Nobis idcirco humiliter supplicari fecerunt prædicti Exponentes, ut sibi in præmissis per aliquam taxæ super rebus comestibilibus impositionem, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultatem M. Magistro illam imponendi concedit.

§.2. Nos igitur eosdem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut pro hac vice tantum, non tamen quoad Ecclesias, & personas ecclesiasticas, unam taxam, sive gabellam in prædicta Insula nedum super re frumentaria,sed etiam super vino, oleo, & omnibus aliis rebus comestibilibus vendendis, & emendis exigendam duraturam donec, & quousque prædicti Universitas, & Homines summam viginti sex millium circiter scutorum exinde perceperint, qua mercatoribus creditoribus suis debite, & integre satisfiat, imponere libere, & licite possis, & valeas, apostolica auctoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, & impertimur.

Obstantibus derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Augusti 1638. An.XVI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Augusti 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXXXII.

Confirmatio Reductionis Monasteriorum Ordinis Sancti Salvatoris, seu Sanctæ Birgittæ Belgii in unam Congregationem &c.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Clemens VIII Monasteria Congr. S. Salvatoris in Belgio fundari curat.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Superiorum Congregationis Sancti Salvatoris, aliàs Sanctæ Birgittæ in Belgio, Nobis expositum fuit, quod aliàs fel. rec. Clemens PP. VIII. Prædecessor noster supplicationibus quond. Isabellæ Claræ Eugeniæ Hispaniarum Infantis, & Principissæ Belgii inclinatus, tunc, & pro tempore existenti Sedis Apostolicæ Nuncio in Germaniæ inferioris partibus commoranti, ut in singulis locis Provinciarum Belgii, Ordinariis vero locorum Provinciarum hujusmodi, ut singuli in suis Civitatibus, & Diœcesibus Monasteria, & alia Regularia loca Ordinis, seu Instituti Sancti Salvatoris aliàs Sanctæ Birgittæ tam Virorum, quam Mulierum, servata Sacrorum Canonum, & Conciliorum Generalium forma, fundare, erigere, atque instituere, necnon Statuta, & Regulas pro felici eorum directione, & regimine condere, illisque præscribere libere, & licite valerent, concessit, & indulsit.

Statutaque Congr. ejusdē confirmat Gregor. XV.

§.2. Et subinde similis rec. Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster supplicationibus Superiorum dictæ Congregationis inclinatus, Regulas, & Statuta hujusmodi confirmavit, & approbavit, dictisque Regulis, & Statutis ab omnibus dictæ Congregationis, seu Ordinis personis receptis, Institutum Congregationis, seu Ordinis hujusmodi in illis partibus valde propagatum non sine spe majoris futuri incrementi fuit.

Postea vero Superiores dicti supradicta omnia Monasteria reduxerunt in unum corpus, Visitatoremque Gener. elegerunt.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Ordinis, seu Congregationis hujusmodi Superiores Monasteria vigore concessionis, & indulti Clementis Prædecessoris prædicti erecta, & instituta in unam Congregationem reduxerint, ac in ejusdem Congregationis, illiusque Monasteriorum Visitatorem Generalem dilectum filium Ricchardum Paulum Stranium Archidiaconum Attrebaten., utpote de dicti Ordinis Instituto optime informatum, deputaverunt; Ut vero reductio, & deputatio hujusmodi firmius subsistant, dicti Superiores illos apostolicæ nostræ confirmationis præsidio communiri summopere desiderent.

Quam reductionem, & electionem petunt confirmari.

Pontifex confirmat.

§.4. Nos eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum

ctum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, reductionem Monasteriorum hujusmodi in unam Congregationem, nec non deputationem dicti Riccardi Pauli in Visitatorem Generalem dictæ Congregationis, ut præfertur, factas, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis, apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ac Riccardū Paulum Archidiaconum Attrebaten. in Capitulis Generalibus dicti Ordinis Præfectum instituit.

§.5. Ac ut primo, & proxime celebrando Capitulo Generali dictæ Congregationis dictus Riccardus Paulus præesse, illudque singulis trienniis celebrari, seu convocari; Idem vero Riccardus Paulus Capitulo Generali hujusmodi quandocumque celebrando quoad vixerit; ipso autem vita functo, Abbas Generalis dictæ Congregationis canonice tamen electus, seu eligendus, præesse possint, & debeant, concedimus, & indulgemus.

Ipso autem vita functo Abbatem Generalem eligi permittit.

Congreg. ab ordinariorum Jurisdictione eximit.

§.6. Ac insuper dictæ Congregationis Superiores, & Religiosos, illiusque Monasteria, & membra a jurisdictione Ordinariorum locorum, præterquam in casibus a Concilio Tridentino exceptis, & expressis, penitus, & omnino eximimus, & liberamus.

Clausulas apponit.

§.7. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Augusti 1638. An. XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Augusti 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXXXIII.

Quod Fratres Strictioris Observantiæ Sancti Francisci Provinciæ Principatus non erigant Conventum in Civitate Neapolitana, sed observent concordiam jam factam.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

CHristi Salvatoris nostri, qui charitas est, & Deus pacis, vices meritis licet imparibus gerentes in terris his, quæ pro bono pacis inter Christifideles quoslibet, & præsertim Altissimo sub suavi religionis jugo, & arctioris vitæ disciplina famulantes concorditer facta fuisse dicuntur, ut firma, & illibata persistant, libenter, cum a Nobis petitur, apostolici muniminis adjicimus firmitatem.

Capitula concordiæ observanda.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes de Neapoli Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum Sancti Francisci nuncupat. Provinciæ Terræ Laboris Professor, quod vertente quadam inter Patres Custodiæ Terræ Laboris, & Custodiæ Principatus dicti Ordinis controversia, Patres prædicti devenerunt ad concordiam tenore subsequenti, videlicet. Ad omnem sedandam, tollendamque controversiam, quæ inter Patres Custodiæ Terræ Laboris, & Patres Custodiæ Principatus versatur, in hoc omnes unanimes conveniunt, ut Patres Reformationis Principatus desisterent a lite, & prætensione Conventus in Civitate Neapolitana construendi, sive jam constructi petendi, Patresque Terræ Laboris tria infrascripta exequutioni mandarent. Et primo, ut quoties ægroti Custodiæ Principatus pro infirmitatibus insolitis, & alibi curari non valentibus, præcipue ob indigentiam remediorum Puteoli Neapolim perveniunt, charitative a Fratribus Terræ Laboris recipiantur, ac juxta Seraphici Patris mandatum eis inserviatur, sicut vellent sibi serviri. Secundo vero, ut quoties pro necessariis, & honestis negotiis Fratres Principatus Neapolim confugiunt, ab ipsis tractandis minime impediantur, sed potius eis faveant, & tandem quoties pro ejusdem Custodiæ occurrentibus negotiis eamdem Civitatem Neapolitanam adeunt, juxta Reformatorum consuetum morem, Patrumque gradus, & conditiones, de cella cæterisque hospitibus necessariis, benigne provideatur, ac si propriæ Custodiæ Fratres, ac filii essent: & ne ob concurrentium Fratrum multitudinem confusioni, ac hospitandi impossibilitati detur locus, Custos pro tempore Reformationis Principatus sit circumspectus, ne plures, quam deceat, simul Neapolim Fratres mittat. Ego Frater Laurentius a Monte Corvino Custos Reformationis Provinciæ Principatus confirmo, ut supra. Ego Frater Marcellus a Summa a Patre Custode, & a Pa-

V a tribus

tribus meæ Reformationis ad hoc missus, & delegatus confiteor, ut supra. Ego Frater Joannes Baptista a Dongo Procurator Generalis Reformatorum interfui, ac pro bono publico, & pace annui.

Approbatio Protectoris. §.2. Pro nostri muneris ratione utriusque custodiæ paci, & quieti consulentes supradictam conventionem, & concordiam perpetuo valituram, præsenti decreto confirmamus, & approbamus, ab omnibusque, & singulis utriusque reformationis pro tempore existentibus Superioribus, & inferioribus observari volumus, decernimus, & præcipimus sub pœnis inobedientiæ, aliisque arbitrio infligendis. Dat. Romæ ex Palatio nostræ solitæ residentiæ, die 29. Martii 1618.

Fabritius Card. Verallus Protector.

Confirmatio Pontificia, prout in rubr. §.3. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, dictus Joannes præmissa pro firmiori illorum subsistentia apostolica auctoritate comprobari desideret; Nos ipsum Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concordiam prædictam, cum omnibus in ea contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes concordiam hujusmodi, necnon præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac a dictarum Custodiarum Superioribus, & Fratribus, & quibusvis aliis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, & Custodiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Aug. 1638. An. XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 17. Aug. 1638. Pont. nostri An. XVI.

DLXXXIV.

Quod in Ecclesiis Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, cura animarum exerceri possit etiam per Monachos ad nutum suorum Superiorum amovibiles.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. Aliàs à Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus super subinserto supplici libello sibi tunc porrecto emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet.

Supplicatio. §.1. Illustrissime, & Reverendissime Domine. Monasterium Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Civitatis Patavinę habet nonnullas Parochiales Ecclesias in eadem Diœcesi, quæ non sunt unitæ Monasterio, sed sunt Parochiales dependentes ab illo, in quibus dictus Episcopus Patavinus dicit, Monasterium fuisse solitum deputare Presbyteros seculares, qui prævio ipsius Episcopi examine, & approbatione curam animarum exercuerunt: sed ab aliquot annis cæpisse deputari unum Monachum, qui sine Socio regulari, & cum solo famulo habitat in dicta Parochiali, & curam administrat etiam sine Episcopi approbatione. Unde nunc quæritur, an in dictis Parochialibus ab ipsis Monasteriis quoquo modo dependentibus, non autem unitis, debeat cura animarum exerceri per Monachum, vel Presbyterum secularem ab ipsis Monachis nominatum, & ab Episcopo approbatum. Declaratio, prout in rubr. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, partibus auditis censuit, in Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, curam animarum exerceri posse etiam per Monachos ad suorum Superiorum nutum amovibiles, ita tamen, ut iidem prius examinentur, & approbentur ab Episcopo, ejusque jurisdictioni subjiciantur in his, quæ ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, & cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitet alius saltem Monachus ejusdem Ordinis Professus ad præscriptum Concilii Lateranensis sub Alexand. III. c. 10.

Confirmatio decreti. §.2. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ipsum Decretum hujusmodi pro illius firmiori subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: Nos eumdem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione,

casione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes illud, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6. Sept. 1638. An. XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam sub Annulo Piscatoris, die sexta Septembris 1638. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DLXXXV.

Contra deferentes Habitum Tertiariorum Tertii Ordinis Sancti Francisci, absque licentia Superiorum Ordinis, vel deferentes Tunicam oblongam cum, vel sine Caputio, cum Mantello.

Pro observantia hujus Constitutionis die 27. Novembris 1638. Pro-Vicarius Papæ Fr. Antonius Cardinalis Barberinus expedivit edictum, sub pœna carceris, & exspoliationis Habitus in contrafacientes.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

CUm, sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ S. Francisci Nobis nuper exponi fecit, quamplures abutentes Habitu Fratrum Tertiariorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci, vel simplicem Tunicam oblongam cum Mantello, vel sine eo absque Superiorum prædictæ Religionis licentia deferant, vel etiam eis Caputium, aut Tunicæ adjunctum, aut ipsi Mantello consutum superaddant, eorumque nonnulli extra Claustra degentes tum scandalose, & inopportune sub specie peregrinationis, aut alterius emendicati prætextus divagentur, tum etiam aliquas Ecclesias, seu Cappellas, adscito sibi Heremitarum nomine incolant, exindeque maxima apud seculares scandali materia, & pravæ opinionis erga prædictam Religionem ingeratur: Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut tot incommodis, & scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate apostolica dignaremur.

§.1. Nos igitur eumdem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati;

Mandat Ordinariis, si quos invenerint, de quibus in rub. carceri mancipandos esse, &c.

§.2. Omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac nostris, & Sedis Apostolicæ Nunciis ubivis Terrarum constitutis, & degentibus, tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, ne de cætero quemquam prædictam Tunicam oblongam cum, vel sine Mantello, absque Superiorum prædictæ Religionis Minorum de Observantia, & cujusvis Instituti, seu Congregationis Ordinis ejusdem Sancti Francisci licentia in scriptis obtenta quoquo modo deferre permittant: utque si aliquem præmissorum transgressorem repererint, illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum, & arbitrariis pœnis mulctandum irremissibiliter curent: & præterea nemini licitum faciant, etiamsi prædictæ Religionis Minorum de Observantia, & cujusvis Instituti, seu Congregationis universi Ordinis hujusmodi Superiorum scripta, seu quovis alio prætextu roborata licentia desuper accesserit, ut habitum hujusmodi cum prædicto Caputio, vel Tunica, seu Mantello, ut præfertur, consuto deferant, sublata ejusdem Ordinis Superioribus, ipsisque locorum Ordinariis, ac Nunciis Apostolicis, & eorum cuilibet quavis auctoritate licentias hujusmodi cuiquam concedendi: ac demum earumdem tenore præsentium volumus, & ordinamus, ut si quispiam tale deferens Caputium, vel cum licentia, vel sine ea inventus fuerit, carceris detentione, habitus privatione, & aliis arbitrariis pœnis ab eisdem Ordinariis, & Nunciis omnino puniatur.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodo-

modolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §.4. Ut autem præsentes nostræ literæ ad omnium, quos illæ concernunt, notitiam facilius deveniant; Volumus, quod illarum transumptis, etiã impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 5. Octob. 1638. An. XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die quinta Octobris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXXXVI.

Decretum Sacræ Rituum Congregat. de non jejunando in Vigilia Sancti Joannis Baptistæ quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi.

Die 24. Septembris 1638.

Cum anno proxime venturo 1639. Vigilia Sancti Joannis Baptistæ incidat in diem solemnitatis Corporis Christi, fuit a pluribus locorum Ordinariis supplicatum Sanctissimo pro declaratione, quid agendum de jejunio eo die præscripto. Et supplicatione per Sanctitatem Suam ad Sacram Rituum Congregationem remissa: Eadem Sacra Congregatio re mature discussa censuit; Non esse jejunandum, neque abstinendum a carnibus in festo solemnitatis Corporis Christi; Sed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe feria quarta, prout jejunaretur in ipsa Vigilia: Et videri etiam Sacræ Congregationi, quod Sanctitas Sua, si ita placuerit, præciperet super hoc expediri Breve pro perpetuis futuris temporibus, quando idem casus contigerit: Et facta per me Secretarium relatione de præmissis Sanctitati Suæ, Sanctitas Sua sententiam Sacræ Congregationis laudavit, & Breve pro toto Orbe expediri mandavit, prout expeditum fuit, tenoris, ut infra.

C. Episc. Portuen. Card. Pius,

Loco ✝ sigilli.

Declaratio, quod non sit jejunandum in vigilia Sancti Joannis Baptistæ, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi.

Circa hoc habes immediate supra Decretum Sacræ Rituum Congregationis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ hujus Constit. Cum evenire quandoque possit, ut Vigilia S. Joannis Baptistæ in diem Festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Jesu Christi incidat;

Declaratio, de qua in Rubrica. §.1. Nos attendentes diem Festum hujusmodi, quo tanti Sacramenti institutio summa totius populi Christiani lætitia recolitur, e principalibus anni festivitatibus existere, propterea de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties Vigiliam prædictam in dictum diem Festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Jesu Christi incidere contigerit, non esse jejunandum, neque a carnibus abstinendum in die festo hujusmodi, sed anticipandum jejunium die immediate antecedenti, nempe feria quarta, prout jejunaretur in ipsa Vigilia, apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides. §.4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur eisdem literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 13. Octobr. 1638. An. XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimatertia Octobris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Literarum Pontificiarum, ac præsertim Pauli V. circa Officium Capitanei Portus Ariminensis.

Dilectis filiis Communitati, & Hominibus Civitatis nostræ Ariminen.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecti filii, salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium. Constantis vestræ fidei, & devotionis erga Nos, & Apostolicam Sedem sinceritas, quam multis jam dudum argumentis comprobastis, Nos inducit, ut votis

votis vestris benigne annuentes, vos specialibus favoribus, & gratiis libenter prosequamur.

Summa Literarum Pauli Quinti circa Officium Capitanei Portus Ariminen.

§.1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecistis, inter alia privilegia, indulta, concessiones, facultates, immunitates, esemptiones, libertates, & gratias vobis, vestræque Civitati, & illius Magistratibus, Officialibus tum Portus Castrorum Nundinariis, tum Ædilibus, & aliis quovis nomine nuncupatis, necnon circa Jurisdictiones Consulum dictæ Civitatis, & Consulum Nundiuarum, Ædilium, Capitanei Portus, & aliorum quorumcumque Officiorum a diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac Sedis Apostolicæ de latere Legatis, Vice-Legatis, Præsidibus, Camerariis, Commissariis, & Visitatoribus Apostolicis quomodolibet concessas, & concessa, ac a fel. rec. Paulo Papa V. etiam Prædecessore nostro per quasdam suas literas, quas Nos per nostras in simili forma Brevis die 24. Septembris 1625. expeditas literas confitmavimus, & approbavimus, confirmatas, & confirmata Capitanei Portus hujusmodi Officium, ad quod unus de Consilio ejusdem Civitatis per vota secreta quot annis, ut asseritis, eligi, & assumi consuevit, cæteris Civitatis Officiis honorabilius reputetur, & propterea easdem Pauli V. literas circa ea, quæ Officium Capitanei Portus hujusmodi concernunt, peculiari apostolicæ confirmationis munimine comprobari summopere desideretis.

Quas literas Communitas Ariminen. petit confirmari.

Sequitur Confirmatio.

§.2. Nos amplioribus favoribus, & gratiis vos prosequi volentes, & vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictas Pauli prædecessoris hujusmodi literas, & in eis contenta, quo ad ea, quæ dictum Capitanei Portus Officium concernunt, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes illas, necnon præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, vobisque plenissime in omnibus, & per omnia suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Civitatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 25. Octobr. 1638. An.XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Octobris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Electionis Ferdinandi Tertii in Regem Romanorum futurum Imperatorem.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum, & Hungariæ, ac Bohemiæ Regi illustri salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

CUm vices illius, qui regnat in Cœlis, & per quem Reges in Terris dominantur, & Principes imperant, in Apostolicæ Sedis specula meritis licet imparibus sola ejus miseratione, & gratia freti sustineamus, muneris nostri partes esse intelligimus, quæ communis utilitatis, salutis, & præsidii causa comparata noscuntur, atque ad Sacri Romani Imperii statum, decus, & amplitudinem præcipue pertinent, judicii, & auctoritatis nostræ munimine roborare.

Ferdinan. III. in Roman. Regem, & futurum Imperatorem electus, & coronatus;

§.1. Quapropter cum sub die 22. mensis Decembris anni Domini 1636. Tu, qui claræ mem. alterius Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi tunc viventis, & consentientis, ad præsens defuncti natus, & Hungariæ, & Boemiæ Rex existis, cujusque amplissimæ pietatis in Sanctam Sedem Apostolicam argumenta, & strenui in Bellis labores pro tuenda Catholica Religione, aliaque promerita jam satis superque innotuerunt in Romanorum Regem futurum Imperatorem solemniter electus fueris, & electioni hujusmodi, oblato tibi de more Decreto, qua decet modestia, consenseris, & deinde solito per Te in manibus Ven. Fratris nostri Archiepiscopi Moguntin. præstito more Catholicorum Regum prædecessorum tuorum juramento, aliisque solemnitatibus

bus requisitis peractis, dicti Archiepiscopi ministerio ritu, & pompa solitis coronatos extiteris: Electionis vero hujusmodi confirmationis negocium nuper Nobis per dilectum filium nobilem virum Joannem Franciscum Chremaniæ Ducem, & Principem Enhembergi Oratorem tuum specialem, quem ad præstandam Nobis solitam obedientiam destinasti, exponi feceris.

Quam electionem Urbanus confirmat.

§.2. Nos de præmissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, & re cum Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus diligenter perpensa, & mature considerata, magna animi nostri cum spirituali lætitia ex eadem electione suscepta, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, & gloriosissimæ Virginis ejus genitricis Mariæ, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, necnon ejusdem S. R. E., & Sacri Imperii exaltationem, & honorem, electionem de persona majestatis tuæ in Regem Romanorum futurum Imperatorem, aliaque præmissa ob præstantissimas animi, & corporis tui dotes, earumque luculentissima judicia, & testimonia, & certissima. spem, quam de te in sanctæ fidei, & Religionis Catholicæ ac nostra, & Romanæ Ecclesiæ, illiusque rerum, & bonorum defensione, propagatione, & protectione conceptam habemus, de eorumdem Fratrum consilio, & unanimi assensu auctoritate apostolica, & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, qui aut ratione formæ, aut loci coronationis, ut præfertur, factæ, aut personarum Principum Electorum, seu etiam ex eo quod idem Ferdinandus Pater tuus electus Imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non susceperit, seu quavis alia ratione, vel causa in electione, aliisque præmissis quovis modo forsan intervenerint, supplemus, Teque sic electum, & confirmatum ad suscipiendum Imperialis dignitatis culmen suis loco, & tempore dignum, & idoneum decernimus, & declaramus.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis legibus Imperialibus, ac privilegiis Electoribus prædictis, & quibusvis aliis forsan concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat auctoritate, scientia, potestate, ac tenore præmissis specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§.4. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 10. Nov. 1638. An. XVI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, quarto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno XVI.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

In Domino sperans non infirmabor.

✠ *Ego Carolus Episcopus Prænestin. Card. Pius.*
✠ *Ego M. Episcopus Tusculanus Cardinalis Lantes.*
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Guido tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Bentivolus.*
✠ *Ego Julius tit. S. Mariæ super Minervam Card. Pennn.*
✠ *Ego Fr. Desiderius tit. S. Caroli Card. de Cremona nuncupat.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Antonius tit. S. Balbinæ Presb. Card. de la Cueva.*
✠ *Ego Fr. Anton. tit. S. Petri ad Vincula Card. S. Honuphrii Major Pœnitentiarius, & Bibliothecarius.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Bernard. tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Spada.*
✠
✠
✠ *Ego Jo: Bapt. tit. S. Eusebii Presb. Card. Pamphilius.*
✠ *Ego Franc. tit. S. Alexii Presbyt. Card. a Balneo.*
✠
✠
✠ *Ego Jo: Bapt. tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Pallotta.*
✠
✠

✠ *Ego*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego Franc. Maria Basilicæ SS.XII.Apost. Presb. Card. Paraccianus.*

✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego Franc. S. Laurentii in Damaso Diaconus S. R. E. Vice-Cancell. Summator Papæ Card. Barberinus.*

✠ *Ego Petrus Maria S. Grisogoni Diaconus Card. Burghesius.*

✠
✠

✠ *Ego Alex. S. Eustachii Diaconus Card. Cæsarinus.*

✠ *Ego S. Agatha Diaconus S.R.E. Camer., & Sign. Gratiæ Præfectus Card. Ant. Barberinus.*

✠
✠
✠
✠

DLXXXIX.

Quod Monachi Cassinenses non sunt ullo modo cogendi accedere, nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti.

Ne jam indicata otiose repetantur, vide notata ad Constit DLXXX. sup. fol. 152.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva cum Decreto desuper emanato.

§.1. NUper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti Nobis expositum fuit, quod aliàs, seu nuper a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet. Pro Monachis S. Sixti Cong. Cassinensis Placentiæ commorantibus narratum fuit, quod ipsi monachi nunquam in eadem Civitate, nec alibi soliti sunt accedere ad alias Processiones, præterquam ad Processionem Sanctissimi Sacramenti. Nunc vero Episcopus vult cogere, ut accedant etiam ad Processiones, quæ fieri solent pro Rogationibus majoribus, & minoribus singulis annis, ad quas antea nunquam accesserunt, & propterea petierunt, non adstringi ultra eorum solitum, & consuetum. Sacra Rituum Congregatio respondit, Monachos prædictos non esse ullo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti, juxta eorum antiquam consuetudinem, quam tam dictis Monachis Placentiæ commorantibus, quam aliis ejusdem Congregationis Cassinensis, ubique conservandam esse censuit, & declaravit. die 10. Junii 1605. Dat. hac die 9. Octobris 1638.

Confirmatio Decreti, de quo in rubr.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Procurator Generalis Decretum hujusmodi pro illius firmiori subsistentia apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos eumdem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes illud, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutoris deputatio.

§.4. Quocirca dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ nunc, & pro tempore existenti in Regno Neapolis Nuncio, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut

nuus eorum per se, vel alium, seu alios Decretum, & presentes literas hujusmodi, & in eis contenta quecumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte tam predictorum Monasterii Placentini, quam aliorum quorumcumque ejusdem Congregationis Monachorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, illisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant illos auctoritate nostra premissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Congregationis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Novem. 1638 An. XVI.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17. Novembris 1638. Pontificatus nostri Anno XVI.

DLXC.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Preces Primariae Ferdinando Tertio Regi Romanorum in Imperatorem Electo conceduntur.

Non absimiles concessiones primariarum precum aliis Romanorum Imperatoribus statim post confirmatam eorum electionem concessas retulimus suo loco.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Charissimo in Christo filio Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem Electo, salutem, & apostolicam benedictionem.

Ferdinandi instantia.

§.1. Cum post factam de persona tua per Sacri Romani Imperii Principes Electores de consensu clar. mem. Ferdinandi Secundi Romanorum Regis in Imperatorem electi Patris tui tunc in humanis agentis in Regem Romanorum electionem, ac per Nos pro universae christianae reipublicae salute confirmatam nuper Nobis significaveris, te summopere desiderare, personas tibi gratas, & acceptas gratia, & munificentia tua aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi posse.

Ejus in Eccl. Rom. merita.

§.2. Nos, quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque praeconiis commendari sublimium Principum desideria, & vota, quae in divini nominis, & personarum illi clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, & opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum, ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut quoniam in fidei sinceritate, & devotione illibatae Ecclesiae sponsae nostrae te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem, & Dominam tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & Sacri Romani Imperii decus unctionem victoriae, & Diadema etiam nostro ministerio advenienter tempore suscipere, & in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tamquam ipsius Ecclesiae legitimus Pugil, & Athleta te adversus Schismaticorum, & Haereticorum, Turcarum tyranni, ac Fidei, & Christi nominis hostis insanias, & furores spiritualiter, & temporaliter armaris, & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuae celsitudini cedant ad honorem, & per quae eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis ope auctoritatis apostolice exhibitione gratiarum.

Concessio primariarum precum.

§.3. Hinc est, quod tue celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate, presentium serie eidem celsitudini tue concedimus, & indulgemus, quod si per te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium, vel regularium Ordinum quorumcumque per Sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum, etiamsi, si qui, vel si que pontificali, vel alia quavis dignitate presulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint, super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura secularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi Canonicatus, & Prebende, Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsae Praebendae in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Praebendae esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, & ad Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo Dignitates ipsae in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorumdem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, presentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personae hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur, preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujus-

hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit, primarias, iidem Collatores, & Collatrices, salvo quod singulæ Collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores, & Collatrices saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi precibus, & nominationibus parere, & intendere; necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit, juxta earumdem precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere debeant, & etiam teneantur, ita quod celsitudo tua unam, & eamdem personam supradictis Collatoribus, & Collatricibus, simul, vel successive nominare possit.

Conditiones in hujusmodi precum exequutione servandæ.

§.4. Ita tamen, quod quam primum persona sic nominata de aliquo Beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios Collatures, vel Collatrices facta ipso jure expiret, & quoad easdem preces Canonicatum, & Prebendam, ac Dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in una Ecclesia pro unico dumtaxat beneficio computari debere declaramus. Quodq; quicumque quibusvis in Dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici singuli videlicet in illis, quos pro singulis personis prædictis precum, & nominationum hujusmodi, & ad hoc, ut illæ sortiantur effectum, etiam præsentium Exequutores deputaveris per se, vel alium, seu alios Beneficia præfata, cum in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus per Constitutiones nostras, aut Literas alternativarum, aliaque privilegia, & indulta quæcumque quomodolibet concessis, & imposterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, & quæ personæ, pro quibus preces, & nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi preces, sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda, etiamsi ipsa Beneficia dispositioni apnfolicæ alias quam per Constitutionem fe: rec: Benedicti Papæ XII. Prædecessuris nostri, quæ incipit: *Ad regimen*: generaliter reservata existant, & ex diversis personis vacaverint, & personæ nominatæ præfatæ, tempore assequutionis Beneficii, ad quod nominatæ fuerint, aliud Beneficium in eadem Ecclesia non obtineant, ac secundū statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi extiterint, vel indulta Ecclesiis concessa, capaces, videlicet in ætate legitima constitutæ, aut de legitimo matrimonio procreatæ sint, dummodo quoad hujusmodi qualitates, alias cum eis canonice dispensatum, & Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda, talia sint, quæ sine dispensatione apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranen. statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, personis ipsis etiam duo, vel tria, seu plura quarumcumque qualitatis, & cujuscumque annui valoris ecclesiastica beneficia obtinentibus, & expectantibus, conferre, & assignare, necnon omnia, & singula, quæ ad hoc, ut precum, seu nominationum, & acceptationum, ac collationum hujusmodi succedat effectus, opportuna fuerint, facere, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam exequi possint, & valeant: super quibus ipsis plenam, & liberam auctoritate prædicta, tenore præsentium, potestatem concedimus, ac etiam facultatem. Ac personis præfatis, pro quibus hujusmodi primarias preces porrigi, seu nominationes fieri contigerit, quod ipsæ expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum, de quibus beneficiis pro eis factarum gratiis, & mandatis de providendo ipsis de eisdem, si quæ ipsis concessa fuerint, una cum gratia precum, & nominationum primariarum earumdem uti possint, nec aliqua gratiarum hujusmodi consumpta, reliquæ earumdem cassæ censeantur, vel irritæ, indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus nostris de non utendo gratia, expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatinne, & publicatione, & diligentiis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem Ordinariorum collatorum, necnon expectativas in forma pauperum habentium, ac Illustrium, & Graduatorum, ac Sedis præfatæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, & publicandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, statutis, & consuetudinibus, illis præsertim, quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores Præbendæ hujusmodi fuerint caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Præbendam assequi valeat, nisi illam de minori gradatim, & per optionem ascendat, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus super provisione sibi facienda de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis speciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatnrum ejus literæ, etiam nostro, vel eas concedentium proprio motu, aut cujusvis etiam quocumque respectu, & ad cujuscumque instantiam sint concessæ, vel concedantur imposterum, seu si speciales de hujusmodi Beneficiis per Nos, vel Sedem præfatam, aut quæcumque alia, aut quamcumque nominandi, & reservandi facultatem quibnlvis, quacumque etiam ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus per Sedem præfatam concessarum,

rum, vel concedendarum, vigore reſervationum, ſive earumdem ſacultatum obtenta ad hujuſmodi Beneficia quarumcumque perſonarum nominationes pro tempore factę fueriot; quas quidem literas etiamſi per eas ad inhibitionem reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet proceſſum fuerit, necnon reſervationes, facultates, & nominationes, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, quatenus præſentium effectum ſuſpendere, impedire, vel perimere, aut alias eiſdem præſentibus quomodolibet obſiſtere viderentur, ſive ex certa ſcientia noſtra, vel ſimili motu, ſive alias ſub quibuſvis forma, & expreſſione verborum, & quæ fortaſſes totalis ſui tenoris inſertionem, ac illorum, quibus conceſſa ſunt, vel fueruut nominum, & cognominum individualem expreſſionem præſentibus ſaciendam ad hoc, ut illis per eaſdem præſentes ſufficienter derogetur, exigunt, vel requirunt, & quæ ipſis prçſeotibus, perinde ac ſi earum tenor de verbo ad verbum inſertus foret, pro expreſſis habeantur, emanaverit, & mandata de providendo inde ſequuta cum proceſſibus per ea pro tempore habits, niſi illi, pro quibus emanaverint, ut præfertur, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium numero fuerint ad Beneficia, quæ precum, & nominatiunum primariarum vigore, perſouas, pro quibus illæ factæ fuerint, acceptata, & de quibus eis provideri contigerit, minime exteodi, quin imo in illarum exequutione perſonas ipſas omnibus, & quibuſcumque earum literarum, & expectativarum, reſervationum hujuſmodi vigore, & cum quibuſvis antelationum prærogativis, etiam illis, quas certis noſtris familiaribus continuis commenſalibus in Cancellaria Apoſtolica, ac aliis noſtris literis ad effectum, & aliis in aſſequutione Beneficiorum conſerendis nominatim deſcriptis concellimus, & cum ſimilibus derogatoriis clauſulis, quæ nulli, quominus pręſentium ſuccedat effectus, ſuffragari debeat expectantibus, etiamſi illarum obtentu in quibuſvis Eccleſiis in Canonicos recepti, ac de oumero ipſorum ſamiliarium continuorum Commenſalium antiquorum fuerint, necnoo gratias in communi forma pauperum habentibus, ac Officialibus, & Illuſtribus, ac aliàs quaſcumque facultates habentibus etiam noſtris familiaribus continuis Commenſalibus antiquis, & deſcriptis, & imposterum deſcribendis, dictis Cardinalibus dumtaxat exceptis, anteſerri volumus: ſed nullum per hoc expectantibus præfatis quoad aſſequutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari: ſeu ſi dictis Collatoribus, vel Collatricibus, vel quibuſvis aliis communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nnn poſsint. Quodque de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus nulli valeat provideri per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi meutionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit io noſtris literis meutio ſpecialis. Aut ſi perſonæ præſatæ præſentes non fuerint ad præſtanda de obſervandis ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum, in quibus hujuſmodi beneficia fuerint, ut præfertur, ſolita juramenta, dummodo in abſentia ſua per Procuratores idoneos, & cum ad Eccleſias ipſas acceſſerint, corporaliter illa præſtent, necnon concordatis Nationis Germanicæ in eorumdem concordatorum confirmatione, ac prædictis, ac quibuſcumque aliis quandocumque editis, & edendis Conſtitutionibus, & Regulis noſtris, & dictæ Cancellariæ: ad quarum ſulemnitatem, adſtrictionem, formam, vel ſatisſactiooem, ſeu obſervantiam habentes preces, ſeu nominationem hujuſmodi minime teneantur, nec ipſæ preces ſub illis comprehendantur quoquo modo, necoon quibuſvis privilegiis, indultis, & Literis Apoſtolicis, & quibuſvis gratiis expectativis ſpecialibus, vel generalibus etiam menſalibus reſervationibus, ſuppreſſionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus nominatiouibus, ac reſervandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominatis, & aliis conſerendi, commendandi, ſupprimendi, & extinguendi, aliiſque citra acceſſus, & regreſſus de conſenſu facultatibus, literis, mandatis, & Indultis quibuſcumque, & cum proviſiouibus, Commeodis, & aliis diſpoſitionibus ex tunc, & gratiis quibuſvis perſoois cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtentibus, & quacumque etiam imperiali, regali, reginali, ducali, ſive Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, vel majori auctoritate, præeminentia, nobilitate, & excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fungentibus, & familiaribus continuis Commenſalibus noſtris etiam deſcriptis, & antiquis, & in eorum ad Eccleſiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & Principalium Monaſteriorum, Menſarum Capitularium, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum quorumcumque cum cura, & ſine cura ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium, locorum piorum, univerſitatum ſtudiorum, & aliorum quorumcumque, aut in nullius ſavorem, aut eorum, necuon jurium ceſſionum, vel ablatorúm, aut

aut spoliorum, damnorum etiam per infideles illatorum, & obsequiorum Nobis, Romanæque Ecclesiæ, vel præfatæ Sedi, aut pro fide Catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus, & urgentissimis, & insolitis, necnon exprimendis causis consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione, vel respectu, ac motu proprio, ac ex certa scientia, ac de apostolicę potestatis plenitudine, ac cum quibusvis antelationum pręrogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, suspensionibus, ac gratiis, & restitutionibus, modificationibus, exceptionibus, & annullativis, irritativis, ac derogatoriarum derogatoriis, nec non præfatam, & alias quascumque concessas, & concedendas gratias, suspendentibus, ac illis derogantibus, nec non mentis, & intentionis, ac perpetuæ, & incommutabilis voluntatis nostræ suisse, & esse de non revocando, & suspendendo gratias easdem, & illis non derogantibus quomodolibet attestantibus, & in pristinum, & validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrantibus, ac per modum pacti, & initi contractus, ac perpetui statuti, nec non gratias ipsas, ut de actu vacantibus expectare, & ex tunc vere, & non ficte, etiam quoad possessionem dictorum Beneficiorum, ac omnes juris, & facti defectus plenum esse sortitas effectum decernentibus, & declarantibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis per Nos, & Sedem præfatam, aut ejus legatos in genere, vel in specie, etiam nominatim de dictis Beneficiis, & aliis quomodolibet emanatis, quibus etiamsi in illis, quod illæ nonnisi certis modis, & formis inibi expressis, & nominatis, verbisque, & signis inibi appositis, & omni diversarum Literarum Apostolicarum expeditione, & intimatione, etiam diversis temporibus facien., ac de consensu eorum, quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari posset, & quatenus suspenderentur, aut illis derogaretur, toties de novo, & sub quacumque data per illos, quorum interesse concernebatur eligenda concessa, & facta sint, & esse censeantur, ac expediri possint, ac si non aliter per quoscumque Judices, & personas judicari debeat caveatur expresse illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, ac modos, & formas hujusmodi pro individuo servatis habentes ad effectum præsentium omnino derogamus, & in dictis Beneficiis, cum, uti præfertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vendicare, necnon decernentes præsentes literas nullatenus de subreptionis, & obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari posse, nec debere, & sic per quoscumque tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes Judices, & personas ubique judicari, cognosci, atque decidi debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, cognoscendi, & decidendi facultate, necnon irritum, & inane, quidquid secus super pręmissis omnibus, & singulis, vel eorum aliquo quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Præterea, quia difficile foret, præsentes literas ad singula loca deferri, volumus, & dicta auctoritate nostra decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ubique adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensę. Transumptis danda fides.

§.7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit, incursurum. Clausulæ pęnales.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, duodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno XVI. Dat. die 20. Novem. 1638 An.XVI.

DXCI.

Indulgentia plenaria pro visitantibus Ecclesias Societatis Jesu, ac Communione refectis in festo Sancti Francisci Xaverii, cum translatione Indulgentiæ, quando festum occurrit prima cum Dominica Adventus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Alias felicis recordationis Gregorius XV. Prædecessor noster omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis Societatis Jesu, ac aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictæ Societatis ubique existentibus in festo Sancti Francisci Xaverii devote visitassent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in literis desuper confectis plenius dicitur contineri. Gregor XV. ed. r. Const. de hac materia.

§.1. Cum autem, sicut Præpositus Generalis dictæ Societatis Nobis nuper exponi fecit, festum Sancti Francisci Xaverii prædicti quandoque in Dominicam primam Adventus incidat, cupiatque propterea illud in aliam Nobis benevisam diem, ut infra transferri. Causæ concedendi novi indulti.

Nos

Concessio, de qua in Rubr.

§.2. Nos ad augendam ſeorum Presbyterorum, aliorumque utriuſque ſexus Chriſtifidelium devotionem, & animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, quotieſcumque de cætero feſtum hujuſmodi in dictam primam Dominicam Adventus inciderit, celebrationem feſti hujuſmodi in unum ex diebus infra octavam feſti prædicti Sancti Franciſci, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo transferimus, iiſdemque Presbyteris, ac aliis Chriſtifidelibus prędictis aliquam ex dictis Eccleſiis Societatis hujuſmndi viſitantibus, & præmiſſa peragentibus die, in quam celebrationem feſti hujuſmodl transferri contigerit, plenariam ſimiliter omuium ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obſtautibus quibuſcumqne.

Tranſumptis danda fide.

§.3. Volumus autem, quod præſentium trauſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 2. Decem. 1638. An. XVI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Decembris 1638. Pontificatus noſtri Anno XVI.

DXCII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Decimæ nonnullæ ſuper Bonis Eccleſiaſticis in Dominio Reipublicæ Venetorum imponuntur in ſubſidium ejuſdem Reipublicæ pro ſumptibus belli contra Turcas.

Venerabili Fratri Franciſco Archiepiſcopo Theſſalonicen. moderno, & pro tempore exiſten. noſtro, & Sedis Apoſtolicæ in Dominio Venetorum Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ regimini per abundantiam divinæ gratiæ nullo licet meritorum ſuffragio præpoſiti inter graves ſolicitudines, quibus pro credito Nobis apoſtolicæ ſervitutis officio aſſidue premimur, ea eſt præcipua, quam continua pericula, atque diſcrimina, quæ a neſario Chriſti nominis hoſte Turcarum tyranno Principibus, & Populis Chriſtianis nunquam non impendunt Nobis conciliant. Quapropter, etſi Domini Dei exercituum, qui ſponſam ſuam Eccleſiam ſanctam protegit, præſidio potiſſimum confidamus, cogimur tamen pro debito paſtoralis muneris in id omni cogitatione omnique cura incumbere, ut proviſionis noſtræ miniſterio, adhibitis Catholicorum Principum viribus, mala hujuſmodi procul a populo Chriſtiano arceantur.

Cauſæ imponendi Decimas.

§.1. Cum vero plus ſatis conſtet eumdem impium Turcarum tyramnum nihil avidius quærere, quam Chriſtiauos populos invadere, & Chriſtianam Religionem exterminando abomiuationem ſuam plautare, & propagare, ejuſque vires noſtris facientibus peccatis malo noſtro admouiti cogamur timere, omnique cura, & ſolicitudine præcavere: multo magis caſtra Domini cuſtodire, & pręmunire Nos oportet hoc tempore, cum ab expeditione contra Chriſtianos multis annis abſtinuerit, & veriſimile ſit, diutius non ceſſaturum, ſed ejus potius diu compreſſam rabiem vehementius erupturam. Quod malum nos paterna ſolicitudine jamdudum metuentes pro officii noſtri debito Venetorum præcipue Nobiliſſimam Rempublicam, quæ hoſtibus maxime expoſita eſſe dignoſcitur, non ſemel in Domino cohortati ſumus, ne inſidiarum plena cum impiis pace, quibus non eſt pax, confideret, ſed prudenter caveret, ſuaſque arces, portus, & loca muniret, claſſem, & alia ad bellum neceſſaria compararet, & parata haberet.

Juxta morem itaque aliorū Pontificum.

§.2. Cum autem ingentes ſumptus hæc res poſtulet, Clem. VIII., & Pauli V., nec non Gregorii XV. aliorumque Rom. Pont. Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, eam Rempublicam id enixe flagitantem, eccleſiaſticis auxiliis prompto libentique auimo adjuvare decrevimus, attendentes non ſolum Nos ejus unius ſaluti, verum etiam multorum, ac omnium Italiæ populorum incolumitati conſulere, cum ipſa ſit magnum totius Italiæ monimentum, ac firmiſſimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem æquum, & rationi conſentaneum eſſe duximus, eidem Reipublicæ eorumdem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii Prædeceſſorum exemplo, ſubſidio Decimarum ex fructibus, & redditibus totius Cleri eiuſdem Status Venetorum pro eiſdem uſibus ad certum tempus attribuendo ſubvenire, firmam in Domino fiduciam haben. fore, ut ea Reſpublica, hac teſticatione paternæ voluntatis erga ſe noſtræ, uon ſolum ſeſe munitam, & pro re nata ad reſiſtendum communi hoſti paratam in dies magis conſervet, ſed etiam ad priſtinos belli ſpiritus reſumendos contra eumdem Turcarum tyramnum excitetur, ut ille Chriſtianorum armis ab Europæ finibus aliquando detrudatur.

Sexdecim Decimas imponit PP. ſuper fructibus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum.

§.3. Nos igitur iſtis, aliiſque graviſſimis, & juſtiſſimis de cauſis moti, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine noſtris, tenore præſentium indicimus, & imponimus ſexdecim integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum quarumcumque Eccleſiarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epi-

Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum, quoque, Præpositurarum, Præpositatuum, Præceptoriarum, Canouicatuum, Præben., Dignitatum, etiam majorum, ac principalium, personatuum, administrationum, & officiorum, cæterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacen., Cistercien., Præmonstraten., Sancti Basilii, Silvestrinorum, & qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico, vel alias possident, Mendicantium, & quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus, & Congregationis, non tamen earum, quæ inferius descriptæ sunt, ac militarium regularium in universo dominio dictæ Reipublicæ Venetorum existentium.

Necnon super pensionibus prædictorum fructuum.

§.4. Ac insuper alias sexdecim decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, & proventibus supradictis assignatarum, & assignandarum ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, cæterisque cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis personis, exceptis dumtaxat Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon dilectis filiis Fratribus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac Fratribus Mendicantibus prædictis, & insuper beneficiis ecclesiasticis officio S. Inquisitionis hæreticæ pravitatis in dicto Dominio instituto unitis, annexis, & applicatis, quos Cardinales, & Fratres Hospitalis prædicti, ac beneficia prædicto Inquisitionis officio unita in totum, Fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis, & illarum solutione immnues, & exemptos esse volumus, & decernimus, Ecclesias, Monasteria, & beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem hujusmodi in eodem Dominio quocumque jure, ac titulo obtinentibus, & obtenturis, necnon ab universis, etiam Œconomis, Commendatariis, atque Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes, vel illorum partem, loco pensionum annuarum, vel pensiones, & alia hujusmodi jura ex quacumque auctoritate apostolica in toto, vel in parte reservata habentibus, & habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Militiarum præfatorum regularibus, & ab ipsis etiam Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, personis, Collegiis, Militiis, massis, & locis præfatis quacumque amplissima, & firmissima exemptione, & immunitate reali, personali, vel mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua, etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis, integraliter, & cum effectu numerandas persolven. & consignan.

Nonnullos ab hujusmodi onere eximit.

Alias novem decimas super fructibus ad nonnullas Cōgregat. attinentibus imponit.

§.5. Ulterius supradictis ex causis, ac exemplo Clementis, & Pauli, ac Gregorii prædecessorum præfatorum adducti, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus imponimus, & indicimus novem decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum ad Cassinen. alias S. Justinæ de Padua, Lateranen., Cartusien., Montis Oliveti, Sancti Salvatoris, Camaldulen., S. Mariæ Vallis Umbrosæ, S. Georgii in Alga Venetiarum, Celestinorum, Cistercien., Provinciæ Lombardiæ Cruciferorum, & S. Hieronymi Congregationes, earumque Monasteria, Abbatiales, vel Conventuales, aut alias mensas, Prioratus, Præceptorias, Præposituras, beneficia, & officia cum cura, & sine cura, membra, grangias, & alia loca illis annexa in dicto Dominio consistentia, quovis modo pertinentia, solven., & per ipsas Congregationes, eorumque Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conventus, Capitula, & personas ultra subsidia Montis Religionis, seu quadringentorum millium scut., & quartæ partis eorumdem fructuum, reddituum, & proventuum, & alia onera, quæ per Sedem Apostolicam eis imposita, aut alias persolvunt, seu persolvere permiserunt similiter numerandas, & persolvendas, & consignandas secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, & proventuum præfatorum: & ad hunc effectum licet fel. rec. Pius PP. V. nonnullis tunc causis adductus, & Clemens, necnon Paulus, ac novissime Gregorius Prædecessores præfati etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem Congregationes a decimis super fructibus, & redditibus ecclesiasticis deniceps ubivis, etiam in dominio Venetorum, & ex quacumque causa imponendis liberas, & immunes fecerint, pari motu, scientia, auctoritate, & de apostolicæ potestatis plenitudine, quoad fructus, redditus, & proventus ad ipsas Congregationes, & quamlibet earum in dicto Dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes, & quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in forma Cameræ Apostolicæ, & Juramento, vel quavis alia firmitate roborata, præsertim inter Pium, & Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium Prædecessores præfatos, & Cam. Apostolicam, & pro ea S. R. E. Camerarium, vel Thesaurarium Generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, & ejusdem Cameræ ministros quantumvis ampla, & sufficienti facultate ad præmissa facien. suffultos ex una, & Congregationes ultimodictas, illarumque Procuratores ex altera partibus, ac omnia, & quæcumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causa in hunc usque diem eisdem Congregationibus, etiam ex causa, & titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, & ex causis supradictis suspendimus, ac ipsis Congregationibus quoad novem deci-

Non obstant. aliis oneribus, quibus succūbunt.

Nec privilegiis contrariis.

decimas prædictas, hac vice, ut præfertur, suffragari nolumus; illa vero alias in suo robore permanere decernimus, ipsasque Congregationes ex gravissimis causis prædictis novem decimis hujusmodi oneramus cum cæteris secularibus, ac regularibus clericis personis ejusdem Dominii Venetorum sexdecim, ut præfertur, indixerimus, tali nostræ impositioni acquiescere, ac tacitas, & contentas esse volumus.

Modum solvendi Decimas declarat.

§.6. Universas vero, & singulas personas quavis dignitate, vel auctoritate fungentes, tam supradictas Ecclesias, Monasteria, & beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partim sibi, ut prefertur, reservatas percipientes, quam ultimodictas Congregationes, & eorum unumquemque, tam conjunctim, quam divisim, ad hujusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, & quoad ultimodictas Congregationes singulas decimas cum una octava parte alterius decimę, quo ad dictos autem Fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis durante octennio a die 2. Junii proxime præteriti, qua ultima concessio expirat, computan., & ut sequitur finien. in certis terminis per te præfigendis integre persolven. efficaciter teneri, & vere obligatos esse, iisdem pensionariis, aut eorum alicui pensiones annuas prædictas quantumlibet exemptas, & sub quibuslibet obligationibus etiam in forma Cameræ, & juramento etiam de non contraveniendo, & forsan de non impetrando gratias nostras contra eos, & de non utendo concessis firmatas, aut alias vallatas, & forsan aliis cautelis, & decretis munitas, causam donationis super iisdē fructibus, & pensionibus etiam medio cedularum banchi seu in forma depositi habentibus, & intra octo annos præfatos habituris, etiamsi ipsi, a quibus pensiones hujusmodi solvendæ sunt, juri, vel actioni petendæ, vel retinen. portionis, aut ratæ partis pensionarios tangen. jure jurando renunciaverint, ulla privilegia, aut indulgentias, sub quacumque verborum forma, aut exemptione concepta quoad hoc nullatenus suffragari volumus.

Clausula sublata.

§.7. Sicque, & non aliter in prædictis universis, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Ministros ad exigendas decimas deputat.

§.8. Ut autem hujusmodi decimę facilius exigantur, Fraternitatem tuam, ac Venerabiles Fratres Patriarcham Venetiarum, & Episcopum Clodien. pro tempore existentes ad dictas decimas exigendas, Ducique, & Dominio præfatis, sive ejus Ministris ad id specialiter deputatis, statim nulla interposita mora, & sine aliqua prorsus diminutione, retentione, aut detractione etiam non detractis quinque pro centenario Cameræ nostræ præfatæ in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignan. earumdem decimarum collectores, & exactores per præsentes constituimus, & deputamus, ac Tibi, & Patriarchæ Venetiarum, ac Episcopo Clodien. pro onere, quod in exactione decimarum hujusmodi sustinebitis quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, & illorum medietatem inter vos pro æquali portione, & quolibet anno ejusdem octennii pro rata distribuen. & dividen. reliquam vero medietatem subcollectoribus, & aliis exactoribus, ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno pro rata habita ratione laboris, & amplitudinis cujuscumque Civitatis, & Diœces. loco salarii, seu stipendii, & mercedis assignan., & distribuen., ita tamen, ut non quotannis hujusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum pro rata quolibet anno detrahatur, ac tam vos, ac quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores, & alii præfati ratione fructuum Ecclesiarum, quibus tunc præesse dignoscimini, aut imposterum præfici, vel beneficiorum obtentorum, aut quæ obtinere, necnon fructuum, & pensionum reservatarum, & assignatarum, quos, & quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestra, & illorum rata, & illorum quemlibet tangente integre, & realiter persolvere omnino teneamini, & dicta assignatione, & distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos, & eorum quilibet prætendere possitis, tibi, & aliis præfatis a dictis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, & Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, & aliis personis, supra expressis exceptis, easdem Decimas, ut præfertur, per Nos impositas petendi, exigendi, & colligendi, eisque tam in genere, quam nominatim, & in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque, prout Nobis videbitur, pœnis, etiam pecuniariis, ac demum per sententias, & censuras ecclesiasticas moderandi, & præcipiendi: ac pro earumdem Decimarum faciliori exactione unum, vel plures subcollectores, qui si in dignitate ecclesiastica constituti sint, pari ac tu, vigore præsentium facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque Civitate, & Diœcesi, & loco tibi subjecto pro tempore deputatos approban., & si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio præfigendum viros idoneos ad id deputan. neglexerit, tibi etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputan., & deputatos amoven., aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi, & subrogandi, ac solvere recusantes, & differentes, & generaliter.

Con-

Contradictores quoslibet, & rebelles, & ne decimæ hujusmodi solvantur, persuadentes directe, vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi, solventes vero de solutis quietandi, & liberandi, a censuris, & poenis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerunt, absolven., & generaliter omnia alia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi, & exequendi, plenam, & liberam auctoritate, & tenore prædictis facultatem concedimus, & potestatem.

Obstantibus derogat.

§.9. Non obstan. regula nostra de non tollen. jure quæsito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si ipsis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Capitulis, Conventibus, Congregationibus, & aliis personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod ad solutionem alicujus Decimæ non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu extra, vel ultra circa loca ad judicium evocari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, & exemptionibus etiam in corpore juris clausis, ac Literis Apostolicis quibuscumque Dignitatibus, seu Ordinibus specialiter, vel generaliter sub quacumque verborum forma expressis, etiam motu proprio, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, & consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda esset, quæ eis quoad præmissa nolumus in aliquo suffragari.

Sacra supellectilia ne in locum pignoris pro hujusmodi Decimis recipiantur prohibet.

§.10. Volumus autem, quod juxta ordinationem in Concilio Viennen. super hoc editam, calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum piorum locorum divino cultui dedicata ex causa pignoris, vel alia occasione solutionis Decimarum hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§.11. Quodque præsentium Literarum transumptis tuo, vel alterius, Prælati Ecclesiastici sigillo, & publici Notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 4. Decem. 1638. An. XVI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die quarta Decembris 1638. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DXCIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Mandatur Ecclesiasticis Urbis Sancti Angeli in Vado, ejusque Territorii, ut bona emphyteutica, quæ per finitam lineam ad ipsos devolvi contigerit, proximioribus denuo in emphyteusim concedant.

Dilectis filiis Communitati, & Hominibus Civitatis nostræ Sancti Angeli in Vado.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Constantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quo Nos, & Romanam reveremini Ecclesiam, promeretur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, quæ vestris commodo, & indemnitati fore conspicimus opportuna.

Concessio, de qua in Rubr.

§.1. Hinc est, quod Nos volentes vos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, vestrumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Quod de cætero perpetuis futuris temporibus directi Domini Ecclesiastici bona emphyteutica in Civitate nostra Sancti Angeli in Vado, ejusque Territorio existentia, quandocumque contigerit ea per lineam finitam devolvi, proximioribus in gradu personæ illi, per cujus decessum linea hujusmodi finietur, pro competenti canone, seu pensione, solutaque debita mercede pro laudemio concedere, & de illis investire omnino debeant, & teneantur, illaque pro se retinere nullatenus possint, apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, volumus, & ordinamus.

Clausula sublata.

§.2. Sicque inviolabiliter observari, ac per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, aliosque quoscumque quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate,

tate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Legato de latere Urbinaten. & Gubernatori S. Angeli in Vado mandat ut has literas observari faciant.

§. 3. Quocirca dilectis filiis status nostri Urbinaten. de latere Legato, ejusve Vice-Legato, ac Gubernatori Civitatis nostræ Sancti Angeli in Vado nunc, & pro tempore existentibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra, seu alicujus vestrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, non permittentes vos per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, impediri, vel inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis processibus, servataque forma Concilii Tridentini, censuras, & pœnas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Derogat obstantibus.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisq; apostolicis, ac in Conciliis universalibus provincialibusque, & synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, Abbatiarum, Monasteriorum, aliorumque locorum piorum quomodocumque nuncupatorum, ac qualitercumque qualificatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6. Januar. 1639. An. XVI.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Januarii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DXCIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Personæ incapaces Beneficiorum Ordinum Militiarum Sancti Jacobi de Spata, Calatrava, & Alcantara, quibus per Reges, ac aliàs apostolica auctoritate Prioratus, Commendæ, & Beneficia prædictarum Militiarum conceduntur, tenentur solvere partem fructuum ipsorum Prioratuum, Commendarum, & Beneficiorum, quam Milites de illis provisi solvere deberent juxta Literas Apostolic., & Statuta Ordinum prædictorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Juxta hujusmodi Militiarum statuta provisi necessario commendis communi partem fructuum solvere debent.

Cum, sicut Nobis nuper expositum fuit pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, qui Militiarum Sancti Jacobi de Spata, & de Calatrava, necnon de Alcantara sub Sancti Augustini, & Cistercien. respective regulis administrator perpetuus, auctoritate apostolica deputatus existit, ipsarum Militiarum statutis, seu stabilimentis, apostolica auctoritate confirmatis inter alia caveatur expresse, ut quicumque de Præceptoriis, seu Commendis, Prioratibus, & quibusvis aliis Militiarum hujusmodi Beneficiis quovis modo, præterquam per resignationem ex causa permutationis, vacantibus pro tempore provisi certam fructuum, redditutim, & proventuum Præceptoriarum, seu Commendarum, Prioratuum, & Beneficiorum hujusmodi partem communibus dictarum Militiarum ærariis ad effectum restaurandi, & reparandi Domos, & Ædificia ipsarum Militiarum applicandam solvere teneantur, & aliàs prout in fel. rec. Sixti IV., & Julii II., ac Pauli III. Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum literis statutorum, seu stabilimentorum hujusmodi confirmatoriis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus plenius respective dicitur contineri.

Provisi cum dispensatione apostolica ea solvere tenentur.

§. 2. Præteritis autem temporibus per præfatum Philippum, aliosque Reges Catholicos ejus Prædecessores ex facultate apostolica eis specialiter aliquando concessa, ac etiam per Nos, & Romanos Pontifices nostros Prædecessores ad ipsius Philippi Regis, & aliorum Regum Catholicorum ejus antecessorum supplicationes, & instantiam quamplurimæ Præceptoriæ, seu Commendæ, ac Prioratus, & alia Beneficia hujusmodi dictarum Militiarum personis incapacibus ad vitam earumdem, seu per modum supervivientiæ Commendatarii titulati ad certum tempus, ac etiam pro determinatis pecuniarum summis pluribus annis exigendis, & forsan aliis modis concessa fuerint; Incapaces vero, quibus concessiones hujusmodi factæ fuerunt, partes fructuum, redditium, & proventuum Præceptoriarum, seu Commendarum, Prioratuum, & Beneficiorum hujusmodi sibi, ut præfertur, concessorum, juxta Militiarum

rum hujusmodi statuta, seu stabilimenta prædicta persolvendas solvere recusent,

Philippus Rex remedium flagitat.

§.3. Nobis propterea Philippus Rex, & Militiæ hujusmodi supplicari fecerunt, ut in premissis earumdem Militiarum indemnitati opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Urbanus declarat, prout in Rubrica.

§.4. Nos igitur attendentes, non esse rationi consentaneum, ut incapaces hujusmodi melioris conditionis, quam ipsi dictarum Militiarum Milites capaces existant, & eumdem Philippum Regem, dictarumque Militiarum Milites specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulas personas quantumlibet, & ex quibusvis causis, etiam multiplicibus incapaces, etiam infantes, pupillos, & mulieres, etiam pro subventionibus dotalibus, quibus Præceptoriæ, seu Commendæ, ac Prioratus, & alia quæcumque Beneficia Militiarum hujusmodi modis prædictis hucusque concessa fuerunt, ut præfertur, vel alias quomodolibet etiam pro rata fructuum, & pensionum super eis quomodolibet sibi reservatorum ad solvendum partes fructuum, redditúum, & proventuum ipsarum Præceptoriarum, seu Commendarum, ac Prioratuum, & Beneficiorum, quas Fratres Milites capaces de eisdem Præceptoriis, seu Commendis, ac Prioratibus, & aliis Beneficiis provisi solvere deberent, juxta earumdem Literarum Apostolicarum, ac uniuscujusque prædictarum Militiarum statuta, seu stabilimenta, auctoritate apostolica, ut præfertur, confirmata, respective teneri, & ad id opportunis juris, & facti remediis cogi, & compelli posse, auctoritate prædicta, tenore præsentium declaramus.

Clausulæ.

§.5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus quibusvis concessionibus de Præceptoriis, seu Commendis Militiarum hujusmodi personis prædictis factis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ipsarum Militiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, ac ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem personis, & eorum cuilibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15 Jan 1639. An. XVI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimaquinta Januarii 1639., Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DXCV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Extensio subsidii pro Civitate Pisan. ejusque districtu ab Ecclesiasticis solvendi ad aliud decennium.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Paulus V. a Clero Pisano subsidium pro publicis expensis præstari concessit, & postea ad decennium prorogavit

§.1. Alias fel. rec. Paulo Papæ Quinto Prædecessori nostro pro parte bon. mem. Cosmi Medices Hetruriæ sibi subjectæ, dum vixit, magni Ducis exposito, quod cum pridem bo: etiam me: Ascanius Episcopus Angloneu. tunc apud bo: similiter me: Ferdinandum dicti Cosmi magni Ducis genitorem, & Hetruriæ sibi subjectæ similiter magnum Ducem Sedis Apostolicæ Nuncius cognovisset, facultates laicorum expensis necessariis, seu utilibus aggerum, fossatorum, viarum, aquæductuum, & aquarum diversorum per Officiales, seu Deputatos ad officium Fossatorum Civitatis Pisarum, in Districtu, Territorio, & Comitatu dictæ Civitatis facien. non sufficere, Clerum tam secularem, quam regularem, personasque ecclesiasticas exemptas, & Milites Militiæ Sancti Stephani ratione bonorum per eos in Territorio, Districtu, & Comitatu Pisan. possessorum subsidium dictis expensis ad deceunium tunc proximum conferre posse, & debere, auctoritate apostolica sibi ad id specialiter delegata, concesserat, & declaraverat; Voluerat tamen, & decreverat, Clerum, Ecclesiasticas personas, & Milites præfatos ad aliquas expensas ministrorum dicti officii, eorumque Cancellariæ ordinarias, vel extraordinarias nullo modo teneri, & alias, prout latius in dicto decreto dicebatur contineri; & in eadem expositione subjuncto præfatorum Fossatorum officium propter expensas necessarias, & utiles eatenus factas, grave æs alienum ad summam scutorum triginta millium ascendens contraxisse, novasque expensas in dies cogi facere, idem Paulus Prædecessor supplicationibus dicti Cosmi Magni Ducis ea in parte inclinatus; Quod Clerus tam secularis, quam regularis, personæque ecclesiasticæ etiam exemptæ, ac Milites Sancti Ste-

Stephani ratione bonorum per eos in Territorio, Comitatu, & Districtu dictæ Civitatis possessorum subsidium ad decennium,modo,& forma in decreto dicti Ascanii Episcopi, & Nuncii præscriptis, & juxta illius teuorem conferre; ac Officiales, & deputati prædicti subsidium hujusmodi eodem decennio durante libera, & tuta conscientia exigere possent,omnesque de Clero tam seculari, quam regulari, personæque ecclesiasticæ, & exemptæ, ac Milites Sancti Stephani ratione bonorum, ut præfertur, per eos, & quemlibet eorum possessorum ad solutionem dicti subsidii cogi, & compelli valerent, dicta auctoritate concessit, & decrevit; subinde verò decennium ab eo concessum hujusmodi ad aliud decennium a fine ipsius couceſſi decennii computandum extendit, & prorogavit, seu de novo concessit, prout in ejusdem Pauli Prædecessoris desuper in simili forma Brevis sub die 21. Augusti 1590., & die 10.Octobris 1619. expeditis literis,quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus,uberius continetur.

§.2. Et postmodum pro parte dilecti filii Nobilis Viri Ferdinandi Hetruriæ sibi subjectæ Magni Ducis Nobis exposito,quod causæ, propter quas præmissa concessa, & decreta fuerant, etiam tunc vigebant, & propterea decennium ultimo loco concessum hujusmodi ad aliud Nobis benevisum tempus extendi, & ampliari summopere desiderabat;

Urbanus illud extenderat ad aliud decennium.

§.3. Nos Ferdinandi Magni Ducis hujusmodi supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Quod Clerus tam secularis, quam regularis, personæque ecclesiasticæ, & exemptæ, ac Milites Sancti Stephani ratione bonorum per eos in Territorio, Comitatu, & Districtu dictæ Civitatis possessorum subsidium ad decennium a fine decennii ultimo loco concessi hujusmodi computan. modo, & forma in decreto dicti Ascanii Episcopi, & Nuncii descriptis, & juxta illius tenorem conferre, ac Officiales, & Deputati prędicti subsidium hujusmodi decennio per Nos concesso durante libere, & tuta conscientia exigere possent, omnesque de Clero tam seculari, quam regulari, personæque ecclesiasticæ, & exemptæ, ac Milites Sancti Stephani ratione bonorum per eos, ut præfertur, & eorum quemlibet possessorum ad solutionem dicti subsidii cogi, & compelli valerent, auctoritate prædicta similiter concessimus, & decrevimus.

Nonnullasque adjecerat leges ipsis Ecclesiasticis favorabiles.

§.4. Volumus autem, quod juxta dicti decreti tenorem Clerus, ecclesiasticæque personæ, & Milites prædicti ad aliquas expensas Ministris dicti Officii, eorumque Cancellariæ ordinarias, vel extraordinarias nullo modo tenerentur; quodque exactio subsidii prædicti per Vicarium pro tempore existentem Archiepiscopi Pisan., ejusque Curiæ tantum, apostolica auctoritate, fieret, & dictis Officialibus, seu Deputatis consignaretur; Qui quidem Officiales, seu Deputati, eorumque Ministri libros rationum, & computorum dicto Vicario, ac Archidiacono Ecclesiæ Pisan., necnon Priori Domus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Pisar. similiter pro tempore existen., seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper esset dictus Prior, exhibere teuerentur; Ex quibus subsidium per dictos Clerum, & alios, ut supra, contribuendum dignosci, comprehendique posset, pro exactione contra eos, ut præfertur, facien., prout pariter in nostris in eadem forma brevis sub die 3. Februarii 1629. desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Ferdinandus Dux decennium extendi petit.

§.5. Cum autem, sicut idem Ferdinandus magnus Dux Nobis nuper exponi fecit, causæ, propter quas præmissa concessa, & decreta sunt, de præsenti etiam vigeant, & propterea decennium ultimo loco concessum hujusmodi, cujus finis, ut asserit, instat, ad aliud Nobis benevisum tempus extendi, & ampliari summopere desideret.

Annuit Pontifex.

§.6. Nos ejusdem Ferdinandi Magni Ducis hujusmodi supplicationibus Nobis denuo super hoc humiliter porrectis inclinati; Quod Clerus tam secularis, quam regularis, personæque ecclesiasticæ, & exemptæ, ac Milites Sancti Stephani ratione bonorum per eos in Territorio, Comitatu, & Districtu dictæ Civitatis possessorum subsidium ad decennium a fine decennii ultimo loco per nos concessi hujusmodi computan. modo, & forma in decreto dicti Ascanii Episcopi, & Nuncii descriptis, & juxta illius tenorem conferre, ac Officiales, & deputati prædicti subsidium hujusmodi decennio per præsentes concesso durante libere, & tuta conscientia exigere possint, omnesque de Clero tam seculari, quam regulari, personæque ecclesiasticæ, & exemptæ, ac Milites Sancti Stephani ratione bonorum per eos, ut præfertur, & eorum quemlibet possessorum ad solutionem dicti subsidii cogi, & compelli valeant, auctoritate prædicta, tenore præsentium,similiter concedimus, & decernimus.

Easdemque renovat leges.

§.7. Volumus autem, quod juxta dicti decreti tenorem Clerus, ecclesiasticæque personæ, & Milites prædicti ad aliquas expensas Ministris dicti Officii, eorumque Cancellariæ ordinarias, vel extraordinarias nullo modo teneantur: quodque exactio subsidii præfati per Vicarium pro tempore existentem Archiepiscopi Pisan.ejusque Curiæ tantum, apostolica auctoritate fiat, & dictis Officialibus, seu Deputatis consignetur. Qui quidem Officiales, seu Deputati, eorumque Ministri libros rationum, & cnmputorum dicto Vicario, & Archidiacono Ecclesiæ Pisan., necnon Priori Domus Ordinis Minorum S.Francisci de Observantia Pisarum similiter pro tempore existen., seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper sit dictus Prior, exhi-

exhibere teneantur, ex quibus subsidium per dictos Clerum, & alios, ut supra contribuen. dignosci, comprehendique possit, pro exactione contra eos, ut præfertur, facien.

Obstantia tollit.

§.6. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Jan. 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesimaoctava Jaouarii 1639. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DXCVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Cavetur, ne quis quidquam dare, seu promittere possit cuivis personæ ad effectum consequendi Affictus, & Subaffictus Vallium Comaclensium, aut alicujus illarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causæ faciendæ prohibitionis.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum modernorum Conductorum Vallium Comaclen. Nobis expositum fuit, quod licet aliàs Nos in novissimo earumdem Vallium affictu mandaverimus, ut unicæ dumtaxat illarum partis cuivis ex subconductoribus dari, quodque commodum, & utilitas portionum subconductorum hnjusmodi nec dari, nec promitti cuiquam etiam Civi Comaclen. respective possent sub amissionis portionum hujusmodi subconductoribus, Conductoribus autem 500. scutorum, & aliis etiam corporalibus pœnis arbitrio pro tempore existentis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in Civitate, & Statu nostris Ferrarien. nostri, & Sedis Apostolicæ de latere Legati infligendis; Nihilominus ipsi conductores cootinuo a diversis etiam auctoritate pollentibus personis coguntur dare, concedere, & promittere dictas portiones personis suppositis, & fictis, quæ illarum lucra aliis participant, aut illas per alios exercent, vel emendicatis, emptitiisque favoribus ipsos conductores ad portiones prædictas subconducendas adstringi curant sublata hisce artibus libertate ipsis conductoribus portiones ipsas personis habilibus, benemeritis, & dignis juxta formam capitulorum affictus hujusmodi sublocandi, vel alias conductores prædicti contra capitula prædicta, & eorum voluntatem, & arbitrium facere compelluntur; Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Prohibitio, de qua in Rubr.

§.2. Nos igitur eorumdem exponentium indemnitati, quantum eum Domino possumus, benigne consulere, ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jnre, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac edictum aliàs a dilecto filio nostro Franeisco tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinale Sancti Marcelli nuncupato tunc in eisdem Civitate, & Statu nostro, & Sedis Apostolicæ de latere Legato desuper publicatum innovantes hujusmodi supplicationibus inclinati; Quod de cætero nullus cujuscumque status, gradus, officii, dignitatis, præemiuentiæ, seu conditionis existat, etiamsi de illo specialis, specifica, & individua mentio, aut expressio habeoda foret, aut sub generali verborum expressione uon veniret, nec venire, minusque comprehendi prætenderetur, per se, vel alios mediate, vel immediate, quomodocumque directe, vel indirecte, remotis interpretatione, & prætextu quibuscumque, quamlibet pecuniarum summam, aut aliud quodcumque ad effectum affictus, & subaffictus participationes, lucra, aut interesse dictarum Vallium, aut alicujus illarum in toto, vel in parte consequen. dare, donare, eedere, coocedere, remittere, promittere, capere, seu recipere, dare, seu recipere, intentionem, vel promissionem dandi, minusque obtinen., seu interponen. favores, auctoritatem, preces, vel minas, aut quomodolibet prædictis rebus obtentis, & factis per viam datioois, promissionis, remunerationis, donationis, aut receptionis per se, vel alios, ut præfertur, uti, comprehensis etiam promissionibus, & rebus, quibus supra, vel in illis portionibus, aut illarum partibus suppositas personas ponere, vel eurare, procnrare, aut cooperari, ut ponantur audeat, sen præsumat, minusque suppositas personas hujusmodi, etiam sub excommunicationis latæ sententiæ ultra concessionis, & contractus desuper celebran. nullitatem, pœna ipso facto nedum a prædictis, ac eorum singulis, sed etiam ab omnibus mediatoribus, promotoribus, sollicitatoribus, & quibusvis aliis in præmissis mediantibus promissione, & aliis modis supradictis intervenien., ac consilium, operam, vel favorem, etiam oreteous præstan. incurrenda, a qua absolutionem Nobis, & Rom. Pont. pro tempore existen. semper, & dumtaxat, præterquam tamen in articulo mortis, reservamus, apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contra dantes promittentes &c. procedi potest etiam unico teste adhibito.

§.3. Et insuper volumus, & expresse declaramus, quod tam contra dantes, seu promittentes, quam recipientes, & mediatores, necnon contra ipsos conductores, & quosvis alios præmissis contravenientes per viam accusationis, inquisitionis, & alio quovis modo procedi, & aecusatoris, & nnius testis, aut etiam unici testis dicto quacumque alia præsumptione, seu verisimilitudine coadjuvato stari debeat.

Sieque

Clausula.

§.4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis instrumentis, promissionibus, & aliis desuper quomodolibet factis, & faciendis, ac quatenus opus sit, quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præsentium facienda publicatio.

§.6. Ut autem præmissa ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut præsentes literæ in prædictis Ferrarien., & Comaclen. Civitatibus, ut moris est in similibus, publicentur, & affigantur: quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, ad illarum observantiam perinde arctent, & afficiant, acsi eisdem personaliter intimatæ fuissent.

Dat. die 3. Febr. 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3.Februarii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DXCVII.

Ex Regesto in Secret. Brev.

Mandat nonnullis Episcopis Galliæ, ut intra triennium nonnullos Archiepiscopos, & Episcopos ejusdem Regni in eorum vita, & moribus reprehensibiles moneant, ut resipiscant.

Venerabilibus Fratribus Ebroicen., Sagien., Silvanecten., Carnoten., & Melden. Episcopis, & eorum cuilibet.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Causas refert nonnullos Galliæ Ep(i)sc. ad monendi.

Cum, sicut Nobis nuper exponi fecit charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, nonnullos Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ, qui conditionis suæ parum memores non iis, qui Ecclesiarum Præsules decent, moribus vivant, eaque propter reprehensione, & correctione indigeant, necesse sit, redarguere, & monere, ut tamquam veri animarum Christifidelium pastores, ovibus suis se bonorum, non autem malorum operum exemplum præbeant. Nos attendentes, quam grave detrimentum saluti gregis dominici inferatur, si illi, qui sunt lux mundi, iis, quibus in omni virtute prælucere deberent, ut non decet vivendo, scandali materiam, & occasionem tribuant delinquendi, Archiepiscopos, & Episcopos prædictos pro pastorali nostro munere officii sui admonendos esse duximus.

Idque nonnullis aliis committit Episcopis.

§.2. Supplicationibus itaque ejusdem Ludovici Regis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum infra triennium proximum illos Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ, quos dictus Ludovicus Rex vobis indicaverit, serio ex parte nostra moneatis, ut vitam, & mores suos Episcopali Dignitati, curæque pastorali minus congruentes mutent, & corrigant, seque non solum propriorum, sed & eorum, quæ populi pravo ipsorum exemplo commiserint, peccatorum reos in districto Dei judicio futuros meminerint.

Dat. die 5. Febr. 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Februarii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DXCVIII.

Contra ambientes dignitates, & officia Ordinis Sancti Hieronymi Congregationis Fesulanæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, & a Regularis vitæ instituto valde alienum est, ut religiosi viri, quos honorum, & dignitatum gradus sanctitate vitæ, ac aliis religiosis virtutibus potius promereri, quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet, mendicatis secularium præsertim personarum studiis ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesia Dei pernicies afferri solet. Nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut ecclesiastica, regularisque disciplina pristino candori restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

Causæ edendæ hujusce Constit.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus quidam in Ordine S. Hieronymi Congregationis Fesulanæ, professionis, & regulæ, quam professi sunt, penitus immemores, nimia dignitatum, & officiorum ecclesiasticorum in dicta Congregatione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis ecclesiasticorum, & secularium Principum studia requirant, & a S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatis commendatitias literas, aliosque favores, & gratias propterea expectant, quibus adjuti, quos ipsi ex se promeruisse minus confidunt gradus, & dignitates in eadem Congregatione consequi valeant, sicque ejusdem Congregationis quietem, non sine animarum suarum periculo perturbant.

Pœnæ contra Ambientes.

§.2. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Congregatione, cujus prosperum regimen,

regimen, & incrementum ad Ecclesiæ sanctæ utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali solicitudine propellere summopere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine eos omnes, & singulos Fratres dicti Ordinis, & Congregationis, cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Congregationis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, & aliarum quarumcumque personarum tam secularium, quam ecclesiasticarum de gremio dictæ Congregationis non existentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque seculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe, vel indirecte, palam, vel occulte, ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiverint, aut etiam sponte oblatis, & minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices, & fautores ad quascumque prælaturas, dignitates, & officia gradusque, honores, administrationes, & munera in ipsa Congregatione obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officiis hujusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce tam activa, quam passiva carere decernimus, & declaramus, atque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, omnibus dicti Ordinis, & Congregationis Fratribus, Superioribusque, & Prælatis quocumque titulo munitis, etiam Priori generali, præsentibusque, & futuris præcipimus, districteque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam secularium, quam ecclesiasticorum extra dictum gremium existentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cujusvis generis prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & officia prædictæ Congregationis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant, vel præsumant.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes electiones, & promotiones ad Monasteria, seu Prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Congregationis contra præsentium dispositionem (quod absit) quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorsus, invalidasque fore, & esse, nullisque viribus subsistere: ac omnes, & singulos in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illos sententias, & pœnas præmissas damnabiliter incurrisse legitime probandum, & omnino convincendum, solas præmissarum personarum instantias, preces, & favores, etiam oretenus porrectas plenam, indubiam, & sufficientem in judicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri; Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si prædictis Fratribus, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§.5. Ut autem harum literarum notitia ad omnes dicti Ordinis, & Congregationis Fratres facilius deveniat, volumus illas in generali Capitulo dictæ Congregationis publice legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatæ fuissent, illarumque exemplis, etiam impressis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & Prioris generalis ipsius Congregationis, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis eamdem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eædem præsentes exhiberentur.

Dat. die 15. Febr. 1639. An. XV.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Februarii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Facul-

DXCIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Cardinali ab Auria Archiepiscopo Panormitano conceditur, quoddam vectigal Ecclesiasticis secularibus, & regularibus suæ Diœcesis imponendi pro dissolvendo ære alieno ejusdem Civitatis.

Dilecto filio nostro Joannettino tituli S. Petri in Monte Aureo Presbytero Cardinali ab Auria nuncupato Ecclesiæ Panormitanæ ex concessione apostolica Præsuli.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert literas alias a se datas, quibus novum vectigal etiam ab ecclesiasticis solvi, ipsis assentientibus, permiserat.

§.1. Aliàs a Nobis emanarunt literæ circumspectioni tuæ directæ tenoris sequentis videlicet: a tergo: dilecto filio nostro Joannettino tituli Sancti Petri in Monte Aureo Presbytero Cardinali ab Auria nuncupat. Ecclesiæ Panormitanæ ex concessione, & dispensatione apostolica Præsuli. Intus vero: Urbanus Papa VIII. Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem. Circumspectioni tuæ, ac dilectorum filiorum Senatus, necnon Syndici, & Procuratoris Generalis Civitatis Panormi nominibus apostolatui nostro nuper expositum fuit, quod ultra maximam pecuniæ summam jam plurium 6.mil., in qua Senatus, ac Sindicus, & Procurator prædicti diversis personis tam laicis, quam ecclesiasticis obligati reperiebantur, aliud gravissimum æs alienum summam sexcentorum millium scutorum excedens ob servitia inibi de annis 1624., 1625., & 1626. pestiferæ contagionis præstita contraxerunt, in cujus dissolutionem, cum excogitatis diversis remediis, variisque desuper initis rationibus, omnem eorum operam studiumque contulissent; nec opportuniori efficaciorique æris alieni hujusmodi extinctionem, quam infrascriptu modo fieri comperissent; convocato habitoque super præmissis novo consilio unam gabellam trigintasex tarennrum monetæ illarum partium pro quolibet dolio vini in ipsâ Civitatem quomodolibet introducendi, ac ab incolis, & habitatoribus dictæ Civitatis, & circuitus illius per unum milliare circum circa vendendi, seu consumendi ad summam nonaginta circiter millium scutorum eorum amplius annuatim ascendentem, & exigendam, a die approbationis, sive confirmationis novi consilii hujusmodi per Pro Regem Siciliæ, sive ejus Ministros faciendum imposuerunt; In qua quidem impositione Senatus, ac Sindicus, & Procurator prædicti personas ecclesiasticas nullo modo comprehenderunt, nisi eisdem Senatus, & Sindico, ac Procuratori easdem personas comprehendendi a Nobis, & hac Sancta Sede facultas concederetur juxta Sacrorum Canonum dispositionem, remanentibus in hoc casu personis ecclesiasticis præfatis liberis, immunibusque, & exemptis pro quantitate vini, quam pro suis, & familiarum suarum usibus consumerent; Et hujus exemptionis, sive immunitatis solutio, sive satisfactio personis ecclesiasticis prædictis per eosdem Senatum, ac Sindicum, & Procuratorem fieret, & fieri deberet, modo, & forma in exemptione gabellarum farinæ, & carnis uti solitis. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut non minus ecclesiasticorum, quam laicorum communi saluti consuleretur, postremum æs alienum hujusmodi ex causa pestis, ut præfertur, contractum fuerit, & ejus dissolutioni laicorum facultates nullo modo suppetant; & propterea Senatus, ac Sindicus, & Procurator prædicti, etiam personas ecclesiasticas ad ejusdem gabellæ solutionem, auctoritate nostra teneri summopere desiderent; Nobisque etiam illorum nomine humiliter supplicari fecerint, ut personarum Civitatis, & circuitus prædictorum miserias, atque calamitates commiserantes in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos eximiorum circumspectionis tuæ in Nos, & hanc Sanctam Sedem fidei, & devotionis meritorum, necnon peculiaris, quo gregem tibi commissum prosequeris, charitatis affectus condignam rationem habentes, ipsosque Senatum, Sindicum, & Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus circumspectionis tuæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut constito tibi de narratis, & dummodo in primis, & ante omnia ad id Clericos tam seculares, quam regulares ejusdem Civitatis, & circuitus accedat assensus, personas ecclesiasticas tam seculares quam cujusvis Ordinis regulares utriusque sexus Civitatis, ejusque circuitus per unum milliare circum circa ad solutionem dictæ gabellæ trigiota sex tarenorum pro quolibet dolio vini, ut præfertur, ad octo annos proximos dumtaxat a dicto die approbationis, sive confirmationis novi consilii hujusmodi computandis, & non ultra teneri, & obligatos esse auctoritate nostra decernas; ea tamen lege, & conditione, ut Senatus, & Sindicus, & Procurator præfati quotannis realiter, & cum effectu restituant personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem, quam importabit gabella pro rata quantitatis vini, quam pro suis, & familiarum suarum usibus, ac cultus divini servitio consumunt, & consumere solent; quodque omne illud, quod ex præ-

dicta gabella deducto, eo quod restituendum erit ecclesiasticis, ut præfertur, percipietur, omnino cedat, & insumatur in extinctionem debitorum ex supradicta causa postea contractorum, & non in alios usus, alioquin in eventum contradictionis præmissorum, vel alicujus eorum, præsens gratia nulla sit eo ipso; necnon quoscumque ecclesiasticos prædictos solvere recusantes opportunis juris, & facti remediis juxta præsentium literarum continentiam, & tenorem, & non alias auctoritate nostra cogas. Decernentes etiam præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, & in universalibus, provincialibusque, ac synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum piorum Civitatis ejusque districtus hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, eorumque personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

Quod tamen cum pro dissolvendo alieno ære impar sit;

§.2. Cum autem, sicut ejusdem circumspectionis tuæ, ac Senatus, necnon Sindici, & Procuratoris generalis prædictorum nominibus Nobis nuper expositum fuit, dicta gabella trigintasex tarenorum pro quolibet dolio vini in dictam Civitatem Panormitanam quomodolibet introducendi, ac ab incolis, & habitatoribus dictæ Civitatis, & circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi, seu consumendi imposita, ut præfertur, dissolutioni tam gravis æris alieni, ac interusurii, quod ejus ratione solutum fuit, & etiam nunc solvitur, non sufficerit; ipsique Senatus, & Sindicus, ac Procurator, Civitate prædicta ære alieno alias ob causas urgentes, & necessarias contracto, nec non aliarum gabellarum, quas laici non solum pro vino, carne, & farina, verum etiam super nive, aliisque cibariis solvunt, impositionibus gravata primodictum æs alienum dissolvere non potuerit, mensa nummularia dictæ Civitatis magno Civium ejus, majorisque partis incolarum Regni Siciliæ tam laicorum, quam ecclesiasticorum detrimento defecit; Senatus, vero, Sindicus, & Procurator prædicti mensam nummulariam hujusmodi in pristinum statum restituere cupientes, ut illius creditores summas sibi debitas realiter, & in pecunia numerata consequerentur, adhibitis propterea variis diligentiis, tamdem convocato die 13. Februarii 1638. proximi præteriti publico consilio, aliam gabellam duorum scutorum præter supradictam triginta sex tarenorum, seu trium scutorum similium, quæ ad præsens solvitur, itaut in totum quinque scuta solvantur pro quolibet dolio vini in dictam Civitatem quomodolibet introducendi, ac ab incolis, & habitatoribus dictæ Civitatis, & circuitus illius per unum milliare circumcirca vendendi, seu consumendi, abolita, & extincta alia gabella 23. tarenorum, & gran. 10. pro quolibet dolio vini aliunde, quam ex territoriis dictæ Civitatis introducendi, imposuerunt. In qua quidem impositione Senatus, ac Sindicus, & Procurator prædicti personas ecclesiasticas nullo modo comprehenderunt, nisi eisdem Senatui, & Sindico, & Procuratori easdem personis comprehendendi a Nobis, & Sede prædicta facultas concederetur juxta Sacrorum Canonum dispositionem; remanentibus in hoc casu personis ecclesiasticis prædictis liberis, immunibus, & exemptis pro quantitate vini, quam pro suis, & familiarum suarum usibus consumerent, etiam hujus exemptionis, sive immunitatis solutio, seu satisfactio personis ecclesiasticis prædictis per eosdem Senatum, & Sindicum, & Procuratorem fieret, & fieri deberet modo, & forma in exemptione gabellarum farinæ, & carnis.

Dictum vectigal augendum Senatus Panormitan. censet.

Illudque ab ecclesiast. quoque solvi debere petit.

§.3. Cumque, sicut eadem expositio subjungebat, facultates laicorum dissolutioni æris alieni hujusmodi ex causa pestis, ut præfertur, contracti non suppetant; Et propterea Senatus, & Sindicus, & Procurator prædicti etiam personas ecclesiasticas ad dictæ duorum scutorum gabellæ solutionem auctoritate nostra teneri summopere desiderent; Nobisque etiam illorum nomine denuo humiliter supplicari feceris, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur;

Urbanus Facultates necessarias Cardinali ab Arria concedit augumentum hujusmodi etiam ecclesiast. imponendi.

§.4. Nos eximiorum circumspectionis tuæ in nos, & Sanctam Sedem prædictam, fidei, & devotionis meritorum, necnon peculiaris, quo gregem tibi commissum prosequeris, affectus condignam rationem habentes, ipsosque Senatum, & Sindicum, & Procuratorem amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum

serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut constito tibi de narratis, quodque conditiones in præinsertis nostris literis appositæ, præsertim circa insumptionem totius illius, quod ex prædicta triginta sex tarenorum gabella, deducto eo quod restituendum erat ecclesiasticis, ut præfertur, perceptum fuit, in extinctionem debitorum ex supradicta causa pestis contractorum adimpletæ fuerint, ac quod Senatus, ac Sindicus, & Procurator prædicti quotannis realiter, & cum effectu restituerint seu remiserint personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem, quam importavit dicta gabella pro rata quantitatis vini, quam pro suis, & familiarum suarum usibus, ac cultus divini servitio consumpserunt, & dummodo in primis, & ante omnia ad id Cleri tam secularis, quam regularis ejusdem Civitatis, & circuitus accedat assensus, personas ecclesiasticas tam seculares, quam cujusvis Ordinis regulares utriusque sexus dictæ Civitatis, ejusque circuitus per unum milliare circumcirca ad solutionem dictæ gabellæ duorum scutorum pro quolibet dolio vini, ut præfertur, ad octo annos proximos dumtaxat a die 18. prædicti mensis Febr. anni 1638. proximi præteriti computandos, & non ultra teneri, & obligatos esse auctoritate nostra decernas, ea tamen lege, & conditione, ut Senatus, & Sindicus, & Procurator prædicti quotannis realiter, & cum effectu restituant personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem, quam importabit dicta gabella duorum scutorum pro rata quantitatis vini, quam pro suis, & familiarum suarum usibus, ac cultus divini servitio consument, & consumere solent, quodque omne illud, quod ex prædicta gabella duorum scutorum, deducto eo, quod restituendum erit ecclesiasticis, ut præfertur, percipietur, omnino cedat, & insumatur in extinctionem debitorum ex supradicta causa pestis contractorum, & non in alios usus, alioquin in eventum contraventionis præmissorum, vel alicujus eorum præsens gratia nulla sit eo ipso, necnon quoscumque ecclesiasticos prædictos solvere recusantes opportunis juris, & facti remediis, juxta præsentium literarum continentiam, & tenorem, & non aliàs auctoritate prædicta cogas.

Adhibitis tamen conditionibus, quæ hic recensentur.

§.5. Ac Senatum, & Sindicum, & Procuratorem prædictos, eorumque Officiales, & Ministros, & eorum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis per eos, & eorum quemlibet, eo quod gabellam duorum scutorum, ut præfertur, impositam, etiam ab Ecclesiis, & ecclesiasticis personis, dictæ Civitatis, eiusque districtus, antequam nostra, & dictæ Apostolicæ Sedis licentia desuper accederet, exegerunt, seu exigi fecerunt, respective incursis, imposita ipsis arbitrio tuo pœnitentia salutari, eadem auctoritate absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiose remittas, & condones.

Necnon etiã Senatum a censuris absolvendi, si quid ante pontificiã concessionem ab ecclesiasticis accepit.

§.6. Decernentes etiam præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulas apponit.

§.7. Non obstantibus omnibus illis, quę in præinsertis literis nostris volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Obstantibus derogat.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Martii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Dat. die 4. Martii 1639. An.XVI.

DC.

Moniales Reformatæ Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Neapolitan. jurisdictioni, & correctioni pro tempore existentis Nuncii Apostolici subiiciuntur.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum, sicut dilectæ in Christo filiæ Moniales Reformatæ Monasterii Monialium S. Mariæ Ægyptiacæ Neapolitan. S. Claræ, seu alterius Ordinis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsæ jurisdictioni dilecti filii nostri, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis pro tempore existentis Nuncii, prout antequam Reformationem amplecterentur, suberant, subesse, sibique propterea in præmissis opportune ut infra providere summopere desiderent;

Expositio Monialium.

§.2. Nos casdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Moniales Reformatas S. Mariæ Ægyptiacæ Neapolitan. præfatas jurisdictioni, & correctioni pro tempore existentis in eodem Regno Nuncii Apostolici, prout aliæ Moniales S.Mariæ Ægyptiacæ non Reformatæ subiiciuntur, apostolica auctoritate, tenore præsentium subiicimus.

Quas Pontifex subiicit Jurisdictioni Nuncii pro tempore.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii, & Ordinis hujusmodi etiam juramento,

Contrariis derogat.

mento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 22. Martii 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Martii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Capitulorum Cameræ Apostolicæ Anno 1562. editorum, & a Pio Quarto confirmatorum pro felici, & celeri mercium per Tyberim in Urbem subvectione.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium ab ipsa materia sumptum.

QUamvis ad ubertatem in Alma Urbe nostra conservandam, & augendam, ac pro facili, & celeri mercium per Tyberim in eamdem Urbẽ aditu, & subvectione, alias de anno 1562. fuerint in Camera Apostolica facta, & edita nonnulla Capitula, seu Decreta, & Ordinationes, quæ, & quas etiam Mercatores Ripales acceptarunt, perpetuo inviolabiliter observanda, & observandas, quæ etiam per fel. rec. Pium PP. IV. Prædecessorem nostrum confirmata fuerunt;

Confirmatio Decretorum, ut in Rubric. in calce præsentium Literarum relatorum.

§.1. Nihilominus quoniam, ut accepimus, circa illa, & illas multi irrepserunt abusus, & inobservantiæ: idcirco, ut illi, & illæ e medio tollantur, dictaque Capitula, seu Decreta, & Ordinationes inconcusse serventur, providere volentes, etiamsi ad præsens Ecclesiæ Ostien., & Veliternen. Pastoris solatio destitutæ sint, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine eadem Capitula, Decreta, & Ordinationes in calce præsentium nostrarum literarum inserta, & insertas tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, eademque Capitula, Ordinationes, seu Decreta adversus quemcumque non usum, seu abusum, ac contrariam abrogationem quamcumque quavis auctoritate factam reponimus, & restituimus, illaque, quatenus foret opus, innovamus, perpetuisque futuris temporibus a quibuscumque Ministris, & Officialibus dictæ Cameræ, ac ab omnibus, & singulis aliis cujuscumque status, gradus, qualitatis conditionis, & dignitatis etiam ecclesiasticæ, etiam speciali nota dignæ, & præsertim a Venerabili Fratre nostro Cardinale Ostien., & Veliternen. Episcopo pro tempore existente, ejusque Ministris, & Officialibus, tam in Arce Ostiæ, quam alibi residentibus, inviolabiliter sub nullitatis pœna in contrarium quomodolibet factorum, & gestorum contentis, in eisdem Capitulis, seu Decretis, & Ordinationibus, aliisque etiam personalibus, & pecuniariis nostro, & Rom. Pont. Successorum nostrorum arbitrio infligendis pœnis servari mandamus.

Decretum irritans.

§.2. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Curiæ dictæ Cameræ generalem, & Palatii Apostolici Auditores, ac pro tempore existentes Cardinalem Camerarium, Thesaurarium, Clericos Præsidentes, aliosque Officiales, & Ministros dictæ Cameræ, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, easdemque præsentes Literas, ac Capitula, seu Ordinationes, aut Decreta prædicta omnes, & singulos prædictos, & quoscumque alios, quos illæ, & illa quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, affici, & ad sui observantiam arctare, nullumque earum ignorantiam prætendere posse, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatæ essent, volumus, & decernimus.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Urbis, & Cameræ prædictarum, & quorumvis aliorum locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam motu simili, & consistorialiter Urbi, & locis prædictis, ac Mercatoribus, dictæque Cameræ Officialibus, & Ministris, ac Cardinali Episcopo, ejusque Ministris, & Officialibus prædictis, & generaliter quibusvis personis quomodolibet nuncupatis, & qualitercumque qualificatis, etiam speciali mentione dignis, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritan. in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum teno-

tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Martii 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 26. Martii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Tenor autem Capitulorum suradictorum est, qui sequitur, videlicet.

Die 16. Maii 1562.

Sequitur tenor Capitulorum ... facto de an. 1561. & a Pio IV. confirmatorū

IL Signore Martino de Aiala Console della Nazione Spagnuola esibisce avanti il Signore Camerlengo l' infrascritti Capitoli da lui ottenuti in piena Camera, sottoscritti da Monsignore Reverendissimo Ludovico de Torres Presidente, e Chierico di Camera in favore de' Naviganti a Ripa di Roma, per evitar le frandi: & il Signore Camerlengo sedendo pro Tribunali nella Curia di Ripa ammesse li detti Capitoli, con il consiglio del Console, e de' Mercanti, ordinando la loro osservanza. Il tenore de quali Capitoli è il seguente, cioè: Ludovicus de Torres Cameræ Apostolicæ Clericus, & Riparum Almæ Urbis Præsidens. Per ovviare all' inconvenienzi, che nascono, e potriano nascere per l'avvenire, & alle querele de' Naviganti, che contrattano in Ripa di Roma per le coste d'Ostia, avendo avuto sopraciò il consiglio, e parere delli Consoli, e Mercanti delle Nazioni contrattanti in Ripa, ed altri uomini marittimi, si Decreta, Statuisce, ed Ordina, e si commanda si debbano inviolabilmente osservare l' infrascritte Ordinazioni, e Decreti sotto la pena di 500. ducati d'oro in oro d'applicarsi alla Rev. Camera Apostolica. Inprimis come sono entrate le Barche nella Fiumara, siano attacate, e tirate per ordine, cioe, la Barca, che prima arrivarà effettualmente al luogo detto Boaccino, dove al presente si è messa la guardia d' Ostia, rispetto alla nuova rottura, e via, che ha fatto il Tevere, di qua d'Ostia, quella sia la prima tirata, e così l' altre di mano in mano, come arrivano a vicenda senza rompere l'ordine per astuzie, ne favori, ne interessi. Secondo, che le Barche siano tirate con ogni prestezza, diligenza, servando l' ordine sopradetto, senza che a nessuno si faccia torto, ne stiano perdendo tempo per mancamento delle Bufale, del che ne risultaria grandissimo danno alli Mercanti, Marinari, alla Corte, al Popolo, e Dogana di Roma, perchè quanto più presto sono spediti, tornano con nuova abbondanza a beneficio commone. Terzo, che se frà trè giorni dopo l' arrivo della Barca al detto luogo del Boaccino non sarà attaccata, e messa in viaggio per Roma per mancamento de' Bufali, o negligenza, o diffetto dell' Appaltatore d' essi, finiti li trè giorni sia in libertà del Padrone, o Padroni delle Barche pigliar altri Bufali, o Piloricatori, o Cavalli, che tirano le Barche, senza che l' Appaltatore d' Ostia gli possa impedire, ne domandarli per tal tirata cosa alcuna. Quarto, che li Doganieri di Ripa, o vero per loro il Castellano d' Ostia debbano tenere in detto luogo del Boaccino riscontro alla nuova rottura del Fiume l' uomo deputato, che faccia le bollette del Manifesto alle Barche, che vengono a Roma con le mercanzie, e riceva quelle, che partono da Roma, e questo per la commodità della contrattazione, senza che li Marinari siano tenuti andare a Ostia: e per conto della rottura, e nuova strada del fiume non si paghi a Ostia, ne à Porto, ne ad altri cosa alcona, salvo il suo solito, & antico ancoraggio. V. che le Barche le quali, non vorranno Bofali, e possono esser tirate da uomini, non siano tenute a pigliare Bufali, ne ad aspettare tempo, ne orcenda, ma possano a suo beneplacito pigliar Piloricatori, e venirsene alla volta di Roma, senza esser perciò in conto alcuno impedite, ne pagar niente all' Appaltatore d' Ostia. Sesto, che le Barche, che sono cariche di vino, acciò non si tocchino le botti, paghino la foglietta in danari, cioè, baiocchi venticinque, come li Mercanti si sono contentati per lor cortesia, e non per obligo, e non siano tenuti dare al Castellano, ne ad altra persona, ne foglietta, ne bocale, ne fiasco di vino, e se la Barca sarà carica mezza di vino, e mezza d' altre mercanzie, non paghino più, che mezza foglietta, cioè, bajocchi dodeci, e mezzo, e così se sarà manco di mezza paghi al rispetto, e le Barche, che non portano vino, non paghino ne foglietta, ne parte d'essa. Settimo, che se per accidente di Fiume grosso, o di venti, ò intagliamento, ò altro qualsivoglia impedimento li Bufali, che tirano la Barca la lasciaranno per via frà Ostia, e Ripa, innanzi di arrivar à essa Ripa si debba pagare della tirata la rata per meglio, ò vero se il Padrone de' Bufali vorrà l'intiero pagamento, come se l' avesse tirata fino a Ripa, debba difalcare, e risare al Padrone della Barca quel tanto, che averà speso in Piloricatori, o Bufali per tirarla dal luogo, dove li Bufali d' Ostia l' averanno lasciata fino a Ripa di Roma. Ottavo, che li Bufali d' Ostia debbano tirare le Barche fino a Ripa nel modo, che tirano li Burchi, che portano sale, e legna massime ora, che la nuova rottura del Fiume ha abbreviata la tratta di quà da Ostia di quello era prima, pagando per la tiratura per ogni botte di barili nove un giulio, e non si debba dare alli Bufalari, ne Piloti, ne ad altro fiasco alcuno di vino. Nono, che gl' abitatori d' Ostia, e Porto, che per uso suo pigliaranno vino, ò altre cose dalle Barche vengono à Roma, debbano tenere il pagamento pronto, ovvero partendosi depositarlo, acciò il Padrone al tornar, che farà da Roma, sia subbito sodisfatto, e non perda tempo per tal pagamento, sottopena di pagar

gar tutte le spese della Barca, delli Marinari, ed interessi, che per tale aspettare patissero. Decimo, che nessuno officiale, o persona di qualsivoglia grado, e condizione tanto in Ripa, e Dogana di essa quanto Ostia, e Porto non levino altri diritti, ne salario, ne si faccino pagare più di quel tanto, che per il motu proprio, e patenti della Camera a loro concessi apparirà, non ammettendo le male introduzioni, ed abusi fatti in pregiudizio delli Contrattanti.

Data in Camera Apostolica li 15. di Maggio 1562.

DCII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Literarum Gregogii XIV. ad favorem Immunitatis Ecclesiasticæ emanatarum contra diversos abusus, qui in Diœcesim Seguntinam irrepserant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Literas a Gregorio XIV. emanatas.

§.1. ALias a fel.rec. Gregorio PP.XIV. Prædecessore nostro ad preces tunc existentis Episcopi Seguntin. emanarunt Literæ tenoris subsequentis videlicet: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Ven. Fratri Archiepiscopo Toletano, & dilectis filiis Thesaurario Ecclesiæ Seguntin., ac Officiali Seguntin. salutem, & apostolicam benedictionem. Hodie emanarunt Literæ tenoris subsequentis: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto Nobis desuper apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ ex Ecclesia Dei, indecentia quæque, & inconvenientia tolluntur, & quæ propterea a Congregatione S.R.E. Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini interpretum provide decreta sunt, ut firma perpetuo, & illibata persistant, cum a Nobis petitur approbamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus. Sane pro parte Ven. Fratris nostri Laurentii Episcopi Seguntin. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliis supradictæ Congregationi pro parte dicti Laurentii Episcopi exposito, quod cum in nonnullis Oppidis Seguntin. Diœcesis sub dominio temporali Nobilium, vel Illustrium laicorum existentibus quædam Collegiatæ, & Parochiales Ecclesiæ reperiuntur, prædicti laici tam occasione temporalis Dominii hujusmodi, quam Jurispatronatus, quod in dictis Ecclesiis habere prætendunt, quotiescumque Episcopi ad Ecclesias prædictas pro divinis officiis audiendis accedebant, Canonicos, & Clericos dictarum Ecclesiarum, qui illis diebus pluvialibus, & sceptis induerentur, ad loca, ubi Episcopi, & eorum uxores, & filii sedent, cum apparatu, & cœremoniis accedere, ac facta prius profunda inclinatione confessionem generalem, & quando incipiunt *Gloria*, *Credo*, *Magnificat*, & alias diversas Orationes tempore, quo in eisdem Ecclesiis divina Officia dicuntur, & cantantur, coram se recitare, & illis recitatis, factaque iterum inclinatione ad Chorum reversi, ac dicto Evangelio Diaconum vestibus sacris indutum eis librum deosculandum offerre, ac per eumdem Diaconum suis loco, & tempore incensum, & pacem sibi dari volebant: prætereaque sedes intra cancellos, & clericorum choros dictarum Ecclesiarum in præeminentiori loco existentes ab Episcopo deputatas tamquam sibi proprias etiam inter Canonicos occupabant. Unde cum hæc minus convenientia viderentur, dictus Laurentius Episcopus scire desiderabat, an tales cœremoniæ dictis Laicis, etiam Ecclesiarum hujusmodi Patronis deberentur, vel satis esset, pacem, & incensum illis per aliquem Cappellanum vestibus sacris non indutum dari facere, & an eisdem laicis Episcopales, vel alias Sedes intra cancellos, & Choros hujusmodi occupare liceret; fuerat per Congregationem hujusmodi, tales actus, & ceremonias non solum nullo modo coram dictis laicis, sed nec coram quocumque Principe seculari, vel etiam Ecclesiasticis Prælatis Episcopo majoribus fieri, cum soli Episcopo hæc in sua Diœcesi existenti conveniant; Incensum vero, & pacem eisdem laicis per Ministros, qui in illa Canonicis dare consueverunt, tribui, seu offerri oportere, sedente tamen Episcopo, illis nullo modo convenire: quin potius eorum sedes non intra, sed extra Chorum Ecclesiasticorum, in digniori tamen loco collocandas esse decretum, & resolutum. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ut imposterum de decreto hujusmodi appareat, illudque majoris sit roboris, & efficaciæ, & per dictorum Oppidorum pro tempore existentes Dominos temporales melius observetur, & ubique fidem faciant, neque aliquid contra præmissa ullo umquam tempore attentari contingat, idem Laurentius Episcopus cupiat decretum prædictum nostro, & Sedis Apostolicæ munimine, & patrocinio roborari; pro parte dicti Laurentii Episcopi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus desiderio suo in præmissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Laurentium Episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum, aliaque præmissa, & inde sequuta quæcumque apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, eadem præmissa per prædictos

dictos Nobiles, & Illustres laicos, & quoscumque alios quantacumque temporali dignitate fungentes, etiam dictarum Ecclesiarum Patronos in perpetuum observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictarum Ecclesiarum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, illarumque Capitulis, & aliis Superioribus personis, ac etiam Episcopis, & laicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, constitutionis, adjectionis, suppletionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimoprimo, nonis Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios literas prædictas, ac omnia, & singula in eis contenta, ubi, & quando expedierit, ac quoties pro parte dicti Laurentii, & pro tempore existentis Episcopi Seguntin. fueritis requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes præinsertas literas, & in eis contenta hujusmodi inviolabiliter observari; non permittentes dictum Laurentium, & pro tempore existentem Episcopum Seguntin. per quoscumque desuper impediri, seu molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, illa præsertim, qua inter alia cavetur expresse, ne quis extra suam Civitatem, & Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ Diœcesis, ad judicium evocetur, seu ne Judices ab eadem Sede deputan. extra Civitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium extra suam Civitatem, vel Diœcesim ad judicium non trahatur, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimoprimo, nonis Augusti, Pontificatus nostri Anno I.

Quas Rector, & Beneficiati Parochialis Ecclesiæ loci de Ariza petunt confirmari.

§.2. Cum autem, sicut dilecti filii Rector, & Beneficiati Parochialis Ecclesiæ loci de Ariza Seguntin. Diœces. Nobis nuper exponi fecerunt, iidem abusus contra immunitatem ecclesiasticam ad præsens etiam vigeant, cupiantque propterea ejusdem Gregorii Prædecessoris Literas pro illarum firmiori subsistentia, auctoritate apostolica, per Nos confirmari.

Confirmat Pontifex.

§.3. Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas dicti Gregorii Prædecessoris Literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.4. Decernentes illas, necnon præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis concessa sunt non

obsta-

obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. Aprilis 1639. An.XVI. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Aprilis 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Quod tam Indi, quam Mestizi, necnon Ætiopes, & Mauri, seu Mulatti nuncupati possint satisfacere præcepto Confessionis, & Communionis annuæ a Dominica Septuagesimæ usque ad Octavam Corporis Christi in Regno Peruano, & Paraguay.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Communitates Regnorum Peruani de Chile, & Paraguay exponunt causas pro hujusmodi concessione. §.1. CUm, sicut dilecti filii Communitas, Universitates, & Homines Regnorum Peruani de Chile, & Paraguay in Indiis Occidentalibus Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi ob eorum multitudinem, & Confessariorum penuriam inibi vigentem peccata sua infra breve tempus confiteri minime possint; Unde fit, ut quam plures illa nullatenus, aut minus accurate, & fructuose confiteantur, cupiantque propterea dicti Exponentes sibi per Nos, ut infra, opportune provideri;

Concessio, ut in Rubrica. §.2. Nos, qui omnium Christifidelium saluti pro pastorali nostra sollicitudine jugiter invigilamus, exponentes prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Ex sententia nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum hac super re specialiter a Nobis deputatorum; Quod in Regnis prædictis tam Indi, quam Mestizi vulgo nuncupati videlicet, qui ab Indis, & Europæis, necnon Æthiopes, seu Mauri, & Mulati, etiam vulgo nuncupati videlicet qui ab Europæis, & Mauris nati sunt, præcepto Ecclesiæ de confitendo peccata sua, & sumendo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum quotannis possint a Dominica Septuagesimæ usque, & per totam octavam festi Sanctissimi Corporis Christi satisfacere, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Derogatio contrariorum. §.3. Non obstantibus Apostolicis, ac Lateranen. sub Innocentio Papa III. Prædecessore nostro celebrati, aliorumque Conciliorum universalium, & provincialium, synodaliumque generalibus, & specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Apr. 1639. An.XVI. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Aprilis 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCIV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Commissio Collectori Portugalliæ, ut quibusvis personis inhibeat, ne quis Indos Occidentales, & Meridionales vendat, in servitutem redigat, vel uxoribus, filiis, & bonis suis privet.

Dilecto filio Jurium, & Spoliorum Cameræ nostræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium. COmmissum Nobis a Domino supremi apostolatus officii ministerium postulat, ut nullius hominis salutem a cura nostra alienam ducentes, non solum in Christifideles, sed etiam in eos, qui adhuc in ethnicæ superstitionis tenebris extra gremium Ecclesiæ versantur, paternæ nostræ charitatis affectum diffundamus, & quæ eis quominus ad christianæ veritatis, & fidei agnitionem perducantur, quoquo modo obstaculo esse possunt, quantum cum Domino possumus, amovere studeamus.

Paulus Tertius inhibuit Indos in servitutem redigi, aut bonis spoliari; §.1. Aliàs siquidem fel.rec. Paulus Papa III. Prædecessor noster statui Indorum Occidentalium, & Meridionalium, quos in servitutem redigi, suisque bonis privari, eaque de causa ab amplectenda Christi fide averti acceperat, consulere cupiens, universis, & singulis cujuscumque status, conditionis, gradus, & dignitatis existentibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrenda, a qua nonnisi ab eo, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, & satisfactione prævia absolvi possent, prohibuit, seu prohiberi mandavit, ne prædictos Indos quomodolibet in servitutem redigere, aut eos bonis suis spoliari quoquomodo præsumerent, & alias prout in eisdem Pauli Prædecessoris in simili forma Brevis die vigesimanona Maii 1537. desuper expeditis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Urbanus mandat prout in Rubr. §.2. Cum autem, sicut accepimus, causæ, propter quas Literæ Pauli Prædecessoris prædicti emanarunt, etiam de præsenti vigeant; Idcirco Nos ipsius Pauli Prædecessoris vestigiis inhærendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos prædictos, quos omnibus christianæ charitatis, & mansuetudinis officiis ad suscipiendam Christi fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus

bus ab illa deterrent, reprimere volentes, tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut per te, vel alium, seu alios omnibus Indis tam in Paraquariæ, & Brasiliæ Provinciis, ac ad flumen de la Plata nuncupati, quam in quibusvis aliis Regionibus, & locis in Indiis Occidentalibus, & Meridionalibus existentibus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, universis, & singulis personis, tam secularibus, etiam ecclesiasticis cujuscumque status, sexus, gradus, conditionis, & dignitatis, etiam speciali nota, & mentione dignæ existent., quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Religionis, & Instituti Mendican., & non Mendican. Monachalis Regularibus sub excommunicationis latæ sententiæ per contravenientes eo ipso incurrenda pœna, a qua nonnisi a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice præterquam in mortis articulo constituti, & satisfactione prævia absolvi possint, districtius inhibeas, ne de cætero prædictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab uxoribus, & filiis suis separare, rebus, & bonis spoliare, ad alia loca deducere, & transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere, necnon prædicta agentibus consilium, auxilium, favorem, & operam quocumque prætextu, & quæsito colore præstare, aut id licitum prædicare, seu docere, ac aliàs quomodolibet præmissis cooperari audeant, seu præsumant. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac tibi in præmissis non parentes in pœnam excommunicationis hujusmodi incidisse declarando, ac per alias, etiam censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim tibi desuper plenam, amplam, & liberam facultatem tribuimus, & potestatem.

Derogatque contrariis.

§.3. Non obstantibus similis memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri de una, ac Concilii generalis de duabus dietis, ac in Conciliis universalibus, provincialibusque, & synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, legibus quoque, etiam municipalibus, ac quorumcumque locorum piorum, & non piorum, & generaliter quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Dat. die 22. Aprilis 1639. An.XVI.

DCV.

Privilegia Molitoribus Urbis concessa.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motivà hujus Constit.

Cum, sicut accepimus, dilectis filiis Universitati, & Hominibus Artis Molitorum Almæ Urbis, nedum Molarum, ac domorum eisdem Molis contiguarum, ob necessitates repentinas necessariarum, ac Scalarum, & Turricularum earumdem pensiones, seu locationes quandoque augeri contingat; verum etiam permulti Molariam artem revera non exercentes, Molas, Domos, Scalas, & Turriculas hujusmodi Molitoribus locandas, seu sublocandas conducant, vel in socios sibi Molitores, qui suo nomine artem hujusmodi exerceant, assumant, hisce artibus lucrum ex alieno labore captando, & aliis pauperibus Molitoribus occasionem sibi quærendi victum subtrahendo;

Molæ, contiguæque Domus Molitoribus tantum locandæ.

§.1. Nos attendentes Molitorum operam Reipublicæ maxime necessariam, & utilem esse, ac proinde illorum commodis, & quieti, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus Molarum, tam in terra, quam in flumine existen., Turricularum, Scalarum, & Domorum ipsis Molis contiguarum, & pro illarum custodia commodarum, in quibus Molitores habitant, seu habitabunt, pensiones, seu locationes augeri nequeant, quodque locationes Molarum, Scalarum, Domorum, & Turricularum hujusmodi factæ illis, qui realiter, & cum effectu Molitores non sunt, & personaliter artem prædictam non exercent, licet patentes desuper ipsorum Universitatis, & Hominum literas obtinuerint, etiamsi de locationibus hujusmodi specialis mentio facienda foret, ipsæque etiam apostolica auctoritate confirmatæ sint, nullæ, & invalidæ sint, & esse, ac expirasse censeantur, inque illis in omnibus, & per omnia Molitores prædictas Molas, Scalas, Domos, & Turriculas hujusmodi inhabitantes, restituto tamen dictis locataris suorum bonorū mobilium valore, succedere debeant.

Ac

Eisque vendendæ.

§.2. Ac præterea, quod nullus cujusvis Molæ, aut illius partis dominus, qui vere, & actu non sit Molitor, possit illam per tertiam personam exerceri facere, nec ab illa Molitores actu exercentes ad effectum illam inhabitandi amovere, etiamsi prædictæ Molæ, Domus, Scalæ, & Turriculæ, ad quasvis Basilicas, Collegiatas, & alias Ecclesias, Loca Pia, & alias quasvis privilegiatas personas, etiam speciali nota, & mentione dignas, & hic forsan de necessitate exprimendas spectarent, & pertinerent, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ipsosque Molitores in emptione Molarum, Domorum, Scalarum, & Turricularum hujusmodi cæteris omnibus, & quibuscumque præferri volumus.

Causæ omnes contra illos motæ avocantur;

§.3. Et propterea omnes, & singulas lites, & causas hactenus forsan contra ipsos Universitatem, & Homines occasione augmenti pensionum, seu locationum Molarum, Scalarum, Domorum, & Turricularum hujusmodi, vel aliorum quorumcumque prædictorum, coram quibusvis Judicibus, seu Tribunalibus, etiam quantumvis privilegiatis, & supremis, etiam speciali, & individua expressione dignis motas, pendentes, & indecisas, in eisdem statu, & terminis, in quibus ad præsens reperiuntur, statum earum hujusmodi veriorem, & certum, ac merita, & causas, nominaque, & cognomina Judicum, Notariorum, ac Collitigantium, & Dominorum Molarum, Scalarum, Domorum, & Turricularum hujusmodi, aliorumque causam ab eis habentium, etiamsi Basilicæ, Ecclesiæ, Monasteria, Confraternitates, Hospitalia, & alia Loca Pia, ac etiam Viduæ, Pupilli, & Minores, aliique quantumvis privilegiati existant, præsentibus pro sufficienter expressis habentes ad Nos harum serie avocamus.

Annonæque Præfecti judicio committuntur.

§.4. Illasque sic avocatas, ac quascumque alias ratione præmissorum de cætero movendas dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Annonæ Præfecto privative quoad omnes alios, & singulos Rom. Curiæ Judices, Magistratus, & Tribunalia committimus, illique plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem per se, vel alium, seu alios ab eo deputandos, privative quoad alios quoscumque Judices, Magistratus, & Tribunalia, etiam supremos, & suprema, ac speciali mentione, & expressione dignos, & digna, cognoscendi, decidendi, & debito fine terminandi omnes, & singulas causas hujusmodi motas, & movendas, ut præfertur, cum omnibus, & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ac etiam cum clausula, quam, & quas, etiamsi contra ipsos Universitatem, & Homines ageretur, & procederetur vigore obligationum Cameralium juramento vallatarum, & cum expressa renunciatione præsentis indulti, necnon Domus, Scalæ, Molæ, & Turriculæ hujusmodi ab eis possessæ, seu conductæ, directe, vel indirecte ad quasvis personas, quantumvis privilegiatas, ac etiam Basilicas, & quasvis Ecclesias etiam Parochiales, Cappellas, Religiones, Præceptorias, seu Commendas, Monasteria, Conventus, Hospitalia, Confraternitates, & alia Pia Loca, etiam insignia, & pari privilegio suffulta, ac etiam ad quoscumque Pupillos, Minores, & Viduas, & quoscumque alios, quantumvis amplissimis privilegiis suffultos, etiam speciali mentione dignos spectarent, necnon etiam in eisdem causis, & litibus, ac illarum qualibet singulis diebus, & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, summarie, exequutive, simpliciter, & manu regia, sine strepitu, & figura judicii, sed sola facti veritate inspecta, & aliàs, prout eidem Annonæ Præfecto, & ab eo deputandis prædictis, ac secundum rei, & casus exigentiam visum fuerit expedire, omni, & quacumque appellatione, provocatione, & recursu postpositis, procedendi, cum facultate pariter avocandi, & reassumendi prædictas lites, & causas motas, & movendas, ac quibusvis Judicibus, Tribunalibus, & Magistratibus Ecclesiasticis, & secularibus, etiam Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & quibusvis aliis Judicibus, etiam supremis, ac privilegiatis, & necessario exprimendis, necnon omnibus, & singulis supradictis, & aliis, quibus opus fuerit, sub pœnis pecuniariis, & censuris eidem Annonæ Præfecto, & ab eo deputandis placitis, & benevisis inhibendi, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi concedimus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes, præsentes Literas nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, vel impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari posse, sed semper, & omni tempore contra, & adversus quascumque impugnationes validas, & efficaces existere, suosque effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & Cameræ Apostolicæ Auditores, ac ipsam Cameram, ejusque Camerarium, Vice-Camerarium, Thesaurarium, Decanum, & Præsidentes Clericos, necnon etiam Vicarium nostrum in Alma Urbe in spiritualibus generalem, ejusque Locumtenentes, & Auditores, Senatum, Collaterales, Viarum Magistros Urbis prædictæ, eorumque Assessores, & quosvis alios Romanæ Curiæ Judices, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritũ, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter &c.

Contraria tolluntur.

§.6. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac quod in illis interesse quomodolibet habentes, aut habere prætendentes, ad illa vocati, & auditi non fuerint, vel illis contradicant expresse, & se opponant, necnon quibusvis litis pendentia, & instrumentis factis, & de cætero faciendis, etiam cum obligatione in forma Cameræ prædictæ, & juramento, & cum præsentia indulti, & quavis alia renunciatione, & cautela, & quisbusvis aliis privilegiis, & facultatibus concessis quibusvis Tribunalibus, & Magistratibus dictæ Urbis, ipsique Cameræ, ejusque Camerario, & Clericis, etiam dictæ Cameræ Auditori Generali, dictoque Vicario nostro, Populo Romano, Magistris Viarum, eorumque Assessoribus, necnon Basilicis, Ecclesiis, Monasteriis, & Locis Piis supradictis, ac aliàs quomodolibet in genere, vel in specie, etiam ex titulo oneroso, ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac fel.record. Gregorii Papæ XIII. Prædecessoris nostri super jure congrui edita, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam Cancellariæ Apostolicæ regulis, & præsertim illa de jure quæsito non tollendo, ac prædictæ Urbis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, confirmationibus, stylis, & usibus, etiam Palatii nostri Apostolici, ac Decretis etiam consistorialibus, & conventionibus. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio de illis habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, periude ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, necnon forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus. cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Aprilis 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 30. Aprilis 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Die 9. Maii 1639. supradictum Breve fuit in plena Cam. Apost. exhibitum, & ex illius decreto commissum Illustriss. & Reverend. Domino Dongbo, prævia citatione contra Reverend. D. Commissarium Gener. ejusdem Cameræ Exequutorem, facta relatione in eadem plena Camera, & ex alio decr. illius fuit admissum, & lib. 12. Div. SS. D. N. sub fol. 159. registratam.

Jo: Cermoatianus.

DCVI.

Confirmatio Patentium Literarum Prioris Generalis Carmelitarum super concessione fundationis unius Eremi in Gallia cum conditionibus in ea insertis.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Henricus de Gournay primitivam Carmelit. Regulam cupiens promovere.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratius Prior Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo antiquæ observantiæ Regularis, quod Venerabilis Frater Henricus Episcopus Vasaten., ac dilectus filius Henricus de Gouruay Comes loci de Marcheville pro singulari, quem erga Beatissimam Virginem Mariam, dictumque Ordinem gerunt devotionis affectu summopere cupiunt, ut vetus illa reviviscat disciplina ejusdem Ordinis, secundum quam olim antiqui dicti Ordinis Fratres sub primitiva Regula a quondam Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita in Monte Carmelo, & in aliis Palestinæ locis solitariam heremiticam vitam in cellulis separatis ducebant. Quare dictus Henricus Comes e Gallia ad almam Urbem nostram non aliam ob causam magno suo impendio, & labore venit, quam ut suo, & dicti Henrici Episcopi nomine supplicaret ipsi Theodoro Priori generali, prout supplicavit, pro facultate fundandi in aliquo secessu, & solitario loco unam Domum regularem, in qua non ad tempus sed per totam vitam aliqui dicti Ordinis Fratres sub primitiva Regula præfati Alberti Patriarchæ Omnipotenti Deo, Deiparæque Virgini servirent, suis sumptibus ædificandam: Cui tam pio desiderio præfatus Theodorus Prior Generalis annuens per suas patentes literas in eadem alma Urbe 15. Aprilis anni proxime præteriti datas dilectum filium Andream Blanchard dicti Ordinis, & Provinciæ Narbonen. professorem Sacerdotem, & Doctorem Parisiensem in Commissarium Generalem ad id instituit, cum auctoritate fundandi servatis servandis unam Eremum in loco sibi a præfatis Henrico Episcopo, & Henrico Comite assignando, in qua in principio vivere possint sub prædicta Regula duodecim ad minus Eremitæ computatis clericis, & laicis cum infrascriptis pactis, & conditionibus, videlicet: Quod nimirum Religiosi ibi commorantes immediate subsint Generali, regantur que, & gubernentur per unum Commissarium a Priore Generali Ordinis pro tempore instituendum, qui super illis eamdem habeat auctoritatem, & jurisdictionem, quam Priores Provinciales in suarum Provinciarum Fratres habent; reservata temen ipsi Priori Generali libera facultate, & auctoritate, quoties ipse expedire judicaverit, aliquem alium dicti Ordinis

Heremum pro 12. Fratribus fundare curat.

Prior Gener. Ordinis fundationis acceptationem commisit Provinciali Narbonen.

Cum conditionibus, quæ exprimuntur.

dinis

dinis professorem sibi benevisum, qui Eremum, & Fratres hujusmodi cum io capite, tum in membris visitare, & corrigere possit, iustituendi. Quod Eremitæ prædicti vocem activam, vel passivam in Capitulis Proviocialibus non habeant, nec ad dicta Capitula proficisci, vel ad id compelli, nec ab ipsa Eremo sine licentia Prioris Generalis recedere possint; quodque ibi perpetuo serveot primitivam Regulam ab eodem Alberto Patriarcha traditam in suo rigore, nullaque admissa moderatione, & mitigatione fel. rec. Innoceutii IV., Eugenii IV., Pii II., Sixti IV., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum uostrorum, excepto quod bona immobilia juxta Sacri Concilii Tridentini sess.25. cap.3. de regularibus dispositiouem, possidere possiut, teneanturque horas canonicas diurnas, & nocturnas in Choro simul statis horis recitare. Et quia præcipuus eorumdem Eremitarum finis erit jugi oratiouis, ac vigiliarum studio, assidua corporis mortificatione, aliisque operibus piis omuibus Christifidelibus, ac toti Ecclesiæ Catholicæ prodesse; idem Theodorus Prior Geueralis mandavit, ut omuia sua sacrificia Deo offeraut pro felici Statu Sanctæ Rnmanæ Ecclesiæ, ac Summi Pontificis pro tempore existeutis, pro incolumitate, & conservatioue Christianissimi Fraucorum Regis, necnon, pro Muntis Carmeli patris dicti Ordinis recuperatione; præsertim vero pro præfatis Henrico Episcopo, & Heurico Comite, eorumque Successoribus, quod quo liberius præstare valeant, præcipit eisdem, ut eleemosynas a piis Chrisidelibus erogatas, quo pro illis Deo preces effuudaut recipere possint, nou tamen cum onere, & obligatione pro eisdem tot Missas celebraudi divinaque sacrificia offerendi.

Idque a Pontifice petit confirmari.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Theodorus Prior Generalis dictas suas patentes literas pro illarum firmiori subsistentia apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret:

Quod præstat Urbanus.

§.3. Nos eumdem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, ceusuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequeudum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis regularium præpositorum consilio coucessionem fuudationis præfatæ Eremi per præfatas ejusdem Theodori Prioris Generalis patentes literas cum omnibus, & singulis conditionibus inibi, ut præfertur, insertis, servata tamen in illius fundatione decreti felic. record. Gregorii Papæ XV. Prædecessoris nostri circa novorum conventuum erectionem editi, & à Nobis sub die 28. Augusti 1624. innovati forma, apostolica auctoritate, tenore præseutium confirmamus, & inoovamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & siogulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet iutervenerint, supplemus,

Clausulæ.

§.4. Decerneutes præmissa omoia, ac noo præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & siogulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit iu futurum, inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel iguoranter contigerit atteutari,

Derogatio contrariorum

§.5. Nou obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statotis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in coutrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficieoter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 4. Maii 1639. An.XVI.

Datum Romæ apod Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Maii 1639. Pontificatus nostri Auno XVI.

DCVII.

Declaratio, quod per alienationem quorumcumque locorum in Statu Ecclesiastico existentium non censetur translatus in acquirentem titulus Docatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, locis hujusmodi annexus, vel in eis erectus, vel illum transferendi data facultas, oisi in liceotia alienandi id expresse concessum fuerit.

Ne iam indicata otiose repetam, vide quæ nuper notavi ad Constit. DLI. hujus Pontificis, quæ incipit; Olim felicis. *ut supra fol.117.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CUm rationi minos conseotaneum sit, ut traoslato in alios dominio Civitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, aliorumque locorum in Statu nostro

Ecclesiastico existentium, ac honoris, & dignitatis titulis plerumque non tam sui, quam illa possidentium, vel majorum ipsorum intuitu, & contemplatione ob praeclara eorum erga Romanos Pontifices, & Sedem Apostolicam, christianamque rempublicam merita decoratorum, ipsi quoque tituli hujusmodi quasi accessoriè translati censeantur.

Causae hujus Constit.

§. 1. Hinc est, quod Nos motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, declaramus, & decernimus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus per quamcumque Civitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, aliorumque locorum in Statu nostro Ecclesiastico mediato, vel immediato existentium, venditionem, & quamvis alienationem, etiam alienationis latissime sumpto vocabulo, non censeatur in emptorem, & quemlibet alium quocumque titulo lucrativo, vel oneroso, & aliàs quomodolibet acquirentem translatus titulus Ducatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, nec titulum hujusmodi transferendi data facultas, etiamsi titulus hujusmodi Civitati, Oppido, Castro, Terrae, vel loco venditae, seu vendito, & alienatae, seu alienato annexus, seu in ea, vel eo erectus esset, nisi in licentia apostolica vendendi, & alienandi juxta Constitutiones felicis record. Sixti V., Clementis VIII., & Pauli V. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac nostras omnino prius obtinenda specifice, & verbis expressis translatio tituli hujusmodi concessa fuerit.

Clausula praeservativa.

§. 2. Praesentes quoque literas quovis praetextu, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, retractari, in jus, vel controversiam vocari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, plenamque roboris firmitatem obtinere.

Clausula sublata.

§. 3. Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & Curiae Camerae Apostolicae Generalem Auditores, & dictae Camerae Clericos Praesidentes, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, ac ejusdem S.R.E. Camerarios, Civitatumque, Oppidorum, Castrorum, terrarum, & locorum hujusmodi Gubernatores, & Magistratus quomodolibet nuncupatos nunc, & pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, nostra de jure quaesito non tollendo, ac aliis Cancell. r. e Apostolicae regulis, legibus quoque Imperialibus, & municipalibus, ac quorumvis locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apost. quibusvis locis, & personis quomodocumque nuncupatis, ac qualitercumq; qualificatis, etiam speciali nota, & mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praedictum effectum specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17 Maii 1639 An. XVI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Maii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo nono, die vero 13. mensis Augusti supradictae literae affixae, & publicatae fuerunt ad valvas Basilicae Sancti Petri de Urbe, ac Cancellariae Apostolicae, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per Nos Fulvium Marzitellum, & Carolum Pelosium Sanctissimi Domini Nostri Papae Curs.

Pro D. Magistr. Curs. Antonius Bardus Deput.

Prae-

DCVIII.

Præfinitio numeri Magistrorum Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. IN his apostolici nostri muneris partes libenter interponimus, per quæ felici regularium personarum statui opportune consuli judicamus.

Motiva. §. 1. Nuper siquidem pro parte dilecti Filii Michaelis Mazarini Sacræ Theologiæ Magistri, ac Romanæ Provinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Prioris Provincialis Nobis espositum fuit, quod in non mediocre dictæ Provinciæ bonum cederet, si quemadmodum in quibusdam aliis dicti Ordinis Provinciis sancitum est, certus, ac determinatus Magistrorum in Sacra Theologia Ordinis hujusmodi cum loco, & voce, qui acceptati communiter nuncupari solent, numerus in dicta Romana Provincia per Nos constitueretur: Nobis propterea dictus Michael Prior Provincialis hujusmodi humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Magistri sint tantum viginti. §. 2. Nos igitur ejusdem Provinciæ felici regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsumque exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatis Magistris acceptatis in Provincia Romana hujusmodi numerum vicenarium, qui nonnisi per eos, qui in Studio Generali dictæ Provinciæ Regentis munere functi fuerint, excedi possit, apostolica auctoritate, tenore præsentium, præscribimus, & præfinimus.

Nullus, nisi Regens fuerit in Magistrum accepietur. §. 2. Ac insuper, quod de cætero nullus, nisi Regens, ut supra fuerit, in ejusdem Provinciæ Magistrum acceptari valeat, donec, & quousque Magistri, qui modo sunt in dicta Provincia acceptati, quibus per præsentes nullum præjudicium inferre intendimus, ad numerum viginti redacti fuerint, auctoritate, & tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Decernentes irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tolluntur. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Capitulorum Generalium dicti Ordinis decretis, si quæ præmissis adversentur, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia espressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter espressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17 Maii 1639. An. XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Maii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCIX.

Quod Priores Provinciales Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum debeant esse biennales.

Vide de his Fratribus Constit. XVIII. Gregorii XI. Virtute. *Tom. III. Par. II. fol. 355.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constit. NUper pro parte dilecti filii Michaelis Mazarini in Sacra Theologia Magistri, ac Romanæ Provinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Prioris Provincialis Nobis espositum fuit, quod dictæ Provinciæ Priores Provinciales ante Capitulum Generale ejusdem Ordinis in alma Urbe nostra novissime de anno 1629. celebratum biennales erant, in eo autem Capitulo Generali statutum fuit, ut Priores Provinciales abinde quadriennales forent, esceptis tamen Provinciis speciali quoad hoc indulto apostolico gaudentibus. Verum, quia dubitari potest, an in prædicta Provincia Romana hujusmodi indultum vigeat, ad omnem scrupulum e medio removendum, statutum etiam fuit in dicta nuper in eadem alma Urbe in Domo regulari, seu Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam dicti Ordinis habita, supplicandum esse, prout idem exponens Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos

§. 1. Nos igitur felici Provinciæ hujusmodi gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, ac eumdem Michaelem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati;

Mandat, prout in Rubric. §. 2. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus d. Provinciæ Romanæ Priores Provinciales biennales sint, & esse debeant, nec ultra biennium in hujusmodi Provincialatus officio perdurare possint, & quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane existat, apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus, statuimus, & ordinamus respective.

Obstantibus derogat. §. 3. Non obstan. prædicta Capituli Generalis Ordinatione, seu Statuto, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Maii 1639. An. XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimaoctava Maii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCX.

Confirmatio concessionum Domorum Regularium de Observantia Fratribus Reformatis S. Francisci quomodolibet factarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. EX injuncti Nobis apostolici muneris debito Christifidelium sub suavi Religionis jugo, & Strictioris Observantiæ Regulis Altissimo famulantium votis, per quæ eorum quieti opportune consulitur, libenter annuimus, ac desuper ejusdem muneris partes propensis studiis interponimus, ut iidem Christifideles, sublata omni perturbationum materia, in pacis amœnitate, ac Justitia, & Sanctitate coram Deo felicioribus in dies proficiant incrementis.

Motiva. §. 1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Ascanius ab Assisio Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum, nonnullæ domus Regulares, quas Fratres Minores de Observantia nuncupati Ordinis prædicti possidebant, dictis Fratribus Reformatis apostolica auctoritate, vel a Superioribus Ordinis hujusmodi, aut aliàs alio modo assignatæ, & concessæ fuerint: ut autem litibus, & controversiis, quæ propterea fortassis excitari possent, via præcludatur, idem Procurator assignationes, & concessiones prædictas auctoritate nostra apostolica comprobari, & aliàs desuper, ut infra, provideri summopere desideret: Nos ejusdem Ascanii Procuratoris votis hujusmodi benigne annuere volentes, illumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Ascanii Procuratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati;

Confirmat prout in rubr. §. 2. Assignationes, & concessiones domorum regularium prædictarum dictis Fratribus Reformatis, apostolica auctoritate, vel a Superioribus Ordinis hujusmodi, vel aliàs quomodolibet factas, ut præfertur, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis perpetuæ firmitatis apostolicæ robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus. Mandantes propterea quibusvis dicti Ordinis Superioribus, & Fratribus quomodocumque nuncupatis, & qualificatis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrendis, aliisque arbitrii nostri pœnis, ne super assignationibus, & concessionibus prædictis litem, seu lites contra Reformatos hujusmodi movere, seu intentare, vel illos in jus vocare, aut aliàs quomodolibet eis desuper molestiam exhibere audeant, seu præsumant, & nihilominus ex nunc irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Domibus Regularibus, Superioribus, Conventibus, Fratribus, & quibusvis aliis in contrarium

rium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Mai 1639. An. XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Maii 1639. Pontificatus nostri Anno Decimosesto.

DCXI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Collegia Sancti Nicolai de Aneriaco, & de Ruvere in Civitate Avenionensi subiiciuntur regimini Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

URBANUS EPISCOPUS

Sarvus Saavorom Dai

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. INjuncti Nobis desuper apostolici muneris ratio postulat, ut Collegiorum ad Juventutis instructionem præsertim in Civitatibus nostræ ditioni subjectis institutorum paternam curam gerentes, ea, quæ ad eorum damnum incuria personarum illis præsidentium, & defectu debitæ provisionis irrepsisse comperimus, de medio tollamus, eisque pro illorum felici gubernio, ac jurium conservatione, nec non Alumnorum in eo pro tempore degentium tranquillitate, & bonis moribus, & disciplinis eruditione, novos Protectores, de quorum uti Cardinalatus honore fulgentium in rebus omnibus eximia solertia, & prudentia, singularique zelo, & charitatis affectu nusquam hæsitandum sit, constituamus, & deputemus, aliasque desuper disponamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Refert malũ horum Collegiorum statum. §.1. Cum itaque, sicut accepimus, in Civitate nostra Avenionen. unum Sancti Nicolai de Anesiaco magnum nuncupatum, & alterum della Rovere vulgo etiam nuncupatum Collegia pro recipiendis, alendis, & instruendis in eis Collegialibus, seu Alumnis ex Provinciis, & locis in eorum fundatione expressis evocandis a multis annis, apostolica auctoritate, aut aliàs instituta, erecta, & dotata reperiantur, & ex relatione visitationis prædictorum Collegiorum in Congregatione de Propaganda Fide in nostra præsentia habita Nobis innotuerit, bona tam libera, quam emphyteutica, & jurisdictiones, ac redditus prædictorum Collegiorum temporis successu, & malo Rectorum, & aliorum, qui curam illorum habuerunt, regimine, non solum deteriorata, & imminuta, sed etiam ex parte alienata fuisse, ipsorum quoque Collegiorum ædificia prædictorum ministrorum incuria, & negligentia pessundata, & disciplinam Collegialium, seu Alumnorum, ob Constitutionum prædictorum Collegiorum inobservantiam, fere penitus esse collapsam, & denique contra Fundatorum mentem, & dispositionem Pontificiarum Const. pro prædictis Collegiis editarum multos graves in eis, & præsertim circa gubernium prædictorum Collegiorum, seu Alumnorum irrepsisse abusus, quibus nisi celeriter provideatur, res prædictorum Collegiorum in deterius labi necesse est, & modica, seu nulla utilitas, aut fructus ex illis imposterum percipientur.

Quare ea subiicit regimini S. Congr. de Propag. Fide. §.2. Nos eorumdem Collegiorum reformationi, conservationi, & manutentioni, bonoque eorum regimini, ac prædictorum bonorum, & Jurisdictionum, ac redditnum eorum exactioni, ac fideli administrationi consulere volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, habito etiam super supradictis Collegiis, & eorum reformatione cum Ven. Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotio propagationis fidei in universum mundum præpositis maturo consilio, Collegia prædicta, & eorum quodlibet, necnon eorum, ac cujuslibet ipsorum Doctores, Magistros, Scholares, aliosque Ministros, & personas quascumque, necnon bona, jurisdictiones, proventus, jura, & emolumenta quæcumque quocumque nomine nuncupata, aliasque res omnes, & singulas tam ecclesiasticas, quam prophanas, necnon etiam Ecclesias, seu Cappellas omnino jurisdictioni, gubernationi, protectioni, & directioni nunc, & pro tempore existentium ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotio propagationis fidei præpositis hujusmodi privative quoad omnes alios quacumque dignitate fungentes, etiamsi specialem requirerent mentionem, qui super Collegii personis, rebus, & bonis prædictis, vel earum aliquibus similem gubernationem, protectionem, jurisdictionem, & directionem ex quacumque causa quomodolibet habent, seu habere, dici, aut prætendi possunt, seu poterunt quomodolibet in futurum, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo subiicimus, & submittimus.

Eidem Cong. facultatẽ concedit Rectorem aliosque Ministros deputandi. §.3. Eisdemque Cardinalibus negocio propagationis fidei hujusmodi præpositis nunc, & pro tempore existentibus prædicta Collegia, & eorum quodlibet, prout eis visum fuerit reformandi, regendi, & gubernandi, Rectoresque, Judices, Cappellanos, Œconomos, & alios Ministros eorumdem Collegiorum, & cujuslibet eorum deputandi, & constituendi, eosque, & quemlibet eorum ad eorumdem Cardinalium merum, liberum, & absolutum beneplacitum, etiam absque ulla causa amo-

Alumnosque admittendi, seu eiiciendi.

amovendi, in Collegiis prædictis Scholares, seu Alumnos ex Provinciis in fundationibus eorum espressis, & nominatis oriundis, qui testimonisles literas suorum Ordinariorum de vita, moribus, & idoneitate ad studia deferant, admittendi, eosque si discoli, aut inepti ad studia fuerint, vel aliàs in literis, vel bonis moribus non profecerint, & denique si Constitutiones prædictorum Collegiorum non observaverint, e Collegiis ipsis, & eorum quolibet eiiciendi; Necnon eorumdem Collegiorum, & cujuslibet eorum bona, jura, & jurisdictiones, & redditus hujusmodi administrandi, ipsosque redditus in alendis Scholaribus, & Ministris, ac in reficiendis, & reparandis fabricis eorum Collegiorum, & eorum cujuslibet, aut aliàs prout expediens videbitur circa manutentionem, & conservationem dictorum Collegiorum, & cujuslibet eorum, insumendi, bonaque, & jurisdictiones hujusmodi ad tempus a jure permissum locandi, & dislocandi, affictus exigendi, eosque insumendi, ut supra, ac de exactis quietandi, aliaque in premissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, exercendi, petendi, ac procurandi, & exequendi, etiam privative quoad omnes alios, ut supra, eisdem auctoritate, & tenore plenam, liberam, et omnimodam absolutsm licentiam, & facultatem, ac auctoritatem etiam perpetuo concedimus, & impertimur.

Bona administrandi.

Aliosque ad eadem delegandi.

§.4. Eisdem Cardinalibus, ut facultatem, & auctoritatem eis, ut supra concessam, & impertitam circa præmissa, vel eorum aliquod, ac in toto, vel in parte, prout eis videbitur nunc, & pro tempore esistentibus Legatis, vel Prolegatis Avenionen., aut Congregationi particulari in Civitate Avenionen. erectæ, seu erigendæ cummunicare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore hujusmodi de speciali gratia similiter perpetuo indulgemus.

Clausulæ pro præsentium literarum firmitate.

§.5. Nec non easdem præsentes etiam ex eo, quod Collegia ipsa, vel eorum alterum immediate protectioni hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ forsan subjecta sint, seu subjectum sit, & quicumque in præmissis, vel circa ea quomodolibet interesse habentes, aut habere prætendentes præmissis non consenserint, aut ad ea vocati, & causæ, propter quas illa fiant, coram loci Ordinsrio, aut quocumque alio Superiore verificatæ, vel justificatæ non fuerint, aut quovis alio prætextu quantumvis legitimo, & juridico, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut qoovis alio defectu notari, vel impugnari nunquam posse, sed eas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec eos sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut limitstionibus pro tempore quomodolibet etiam motu simili, ac ex certa scientis, ac de apostolicæ potestatis plenitudine factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties eas revocari, vel limitari, aut suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse, & fore; Sicque, & non aliàs ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, vel Vice Legatos, aut Sedis Apost. Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, & si secus super his a quoquam qoavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Exequutores deputatio.

§.6. Quocirca dilectis filiis csusarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Pro-Legato Avenionen., necnon Officiali Ven. Fratris nostri Archiepiscopi Avenionen. per apostolica scripta motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Cardinalium negocio propagationis fidei, ut præfertur, præpositorum, seu aliorum ab eis deputatorum, vel deputandorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectsbit, firmiter, & inviolabiliter observari, dictosque Cardinales, seu ab eis deputatos, seu deputandos illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque directe, vel indirecte quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac per censuras, & pœnas ipsas, legitimis super his habendis processibus, etiam iterstis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§.7. Non obstantibus dictorum Collegiorum fundationibus, & erectionibus, quatenus in aliquo obstent, quorum, ac literarum super eis confectarum tenores, ac dstss eisdem præsentibus haberi volumus pro espressis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis aucturitate earumdem præsentium ad judicium non trahatur, necnon nostra de jure quæsito non tollendo, & quatenus opus sit, piæ memoriæ Pii Papæ Qusrti etism Prædecessoris

cessoris nostri de gratiis interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus in eadem Camera registrandis, & insinuandis, alioquin illæ non valeant, aliisque apostolicis, aut in provincialibus, synodalibus, & universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Collegiorum prædictorum, & eorum cujuslibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Collegiis prædictis, & eorum cuilibet, necnon ipsorum, & cujuslibet eorum Magistris, Doctoribus, Scholaribus, aliisque Superioribus, & personis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter in contrarium forsan per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedis Apostolicæ de latere Legatos, & Vice-Legatos quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse motu pari derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Clausulæ pœnales. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ subjectionis, submissionis, concessionis, impertitionis, indulti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 10. Jun. 1639. An. XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo nono, quarto Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DCXII.

Erectio Custodiarum Fratrum strictioris Observantiæ S. Francisci Cismontanę familiæ in Provincias Reformatas.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. INjuncti Nobis per abundantiam divinæ gratię pastoralis officii ratio postulat, ut circa statum regularium personarum quarumlibet, præsertim illarum, quæ sub arctioris observantiæ norma gratum altissimo exhibent famulatum, jugiter invigilantes, ad ea, per quæ pium eorum institutum, ad majorem Dei gloriam, & ejus Ecclesiæ decorem propagetur, pax, & concordia inter eos conservetur, ipsique facilioribus in dies in via Domini proficiant incrementis, propensius intendamus, ac in his ejusdem officii nostri partes interponamus, prout conspicimus in Domino feliciter expedire. Motivum. Cum itaque, sicut accepimus, Custodiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum adeo excreverint, ut in Provincias erigi possint, distinctasque Fratrum Reformatorum hujusmodi, ab illis Fratrum de Observantia ejusdem Ordinis Provincias institui, pacis inter illos stabiliendæ plurimum intersit;

Erectio Provinciarum, prout in rub. §. 1. Idcirco Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Majoris, & Minoris Poloniæ, ac omnes alias Cismontanas Fratrum hujusmodi custodias, quæ duodecim saltem Conventus habent, in Provincias Fratrum Reformatorum Ordinis hujusmodi, tenore præsentium erigimus.

Protector pri ma vice eligit Ministros. §. 2. Ac dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato S. R. E. Vice-Cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano Nepoti, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, Ministros Provinciales Provinciarum hujusmodi, & Definitores, pro prima vice constituendi, & deputandi, Capitulis vero Provincialibus cæteros Officiales, facultatem concedimus.

§. 3. Necnon, quod Provinciæ sic, ut præfertur, per Nos erectæ retineant proprium nomen, addito solummodo, quod sunt Reformatæ.

§. 4. Ac habeant locum, & præcedentiam juxta consuetudinem dicti Ordinis post Provincias jam erectas; ita ut eo loco permaneant, quod dum Custodiæ nominabantur, erant.

Protector eligit Procuratorem Gen. §. 5. Ac insuper, quod Provinciæ Reformatæ hujusmodi habeant Procuratorem Generalem nominandum, & eligendum a dicto Francisco Cardinale, & pro tempore existente Ordinis prædicti Protectore.

Privilegia quibus gaudet Proc. Gener. Refor.

§.6. Qui Procurator Generalis in Capitulis, & Congregationibus, ac Definitoriis Generalibus ſedeat immediate poſt Procuratorem, & Commiſſarium Generalem dicti Ordinis, & in eis votum, ſeu ſuffragium habeat quemadmodum habent Procurator Generalis Ordinis, & Commiſſarius Curiæ. Finito autem ſuo officio remaneat Pater Ordinis perpetuus, cum omnibus privilegiis, exemptionibus, & precedentiis, quæ conceduntur Procuratori Fratrum de Obſerventia, & Commiſſario Curiæ ejuſdem Ordinis.

Commiſſarius Generalis ex qua famil. eligendus.

§.7. Ad hæc, quod quando Miniſter Generalis erit ex Ultramontana Familia, Commiſſarius Generalis eligatur ex Ciſmontana Familia: & idem ſervetur in electione Vicarii Generalis, quando Miniſter Generalis ex Ciſmontana Familia diſceſſurus eſt ultra montes: reſervata Nobis hac vice Commiſſarii Generalis hujuſmodi electione, & deputatione ſuo tempore per Nos declaranda.

Alia Decreta.

§.8. Deinde, quod Definitores Generales ex diverſis Provinciis, juxta formam Statutorum Generalium dicti Ordinis, eligantur, quorum tamen quatuor ex Familia, & duo Reformati eſſe debeant.

§.9. Dictique Reformati, & eorum Conventus, niſi per Patres alicujus ex Provinciis Reformatis hujuſmodi viſitari minime poſſint.

§.10. Gubernarique debeant cum ſolis Statutis Reformationum, quæ nec a Capitulo, nec a Miniſtro Generali poſſint alterari, ſeu immutari, ſed eorum moderatio fieri debeat a Reformatis tantum, in Capitulo, vel Congregatione Generali.

§.11. Nec Miniſter Generalis Conſtitutiones, vel Ordinationes perpetuæ, vel ad tempus, quæ Reformatos obligent, vel contra illos condere poſſit.

§.12. Ipſique Reformati ad peculiaria illius mandata, quæ Definitorum Provinciæ judicio, & dictorum Reformatorum Reformationi, & Obſervantiæ non fuerint congruentia, minime teneantur.

§.13. Inſuper, quod ad Viſitationes, & negotia Reformatorum nullo modo poſſint deputari Fratres de Familia, ſed ſolummodo ipſimet Reformati.

§.14. Ac demum, quod tranſitus ab Obſervantia ad Reformationem concedatur, prout hactenus obſervantes habuere: itaut dictæ Provinciæ Reformatæ inſerviant pro Reformatione obſervantium hujuſmodi.

§.15. Sublata eiſdem obſervantibus in perpetuum novam Reformationem erigendi, ſeu inſtituendi facultate.

§.16. Quodque Reformati prædicti poſſint etiam tranſire ad obſervantes, ex cauſis in Conſtitutione fel. rec. Pauli Papæ V. hac ſuper re emanata expreſſis. Et ſic tranſeuntes nequeant ab Obſervantibus reiici, earumdem tenore præſentium ſtatuimus, volumus, & ordinamus.

Præſentium Statutorum obſervantia.

§.17. Mandantes præterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque noſtris, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio pœnis, omnibus, & ſingulis Ordinis prædicti Superioribus, & Fratribus quomodocumque, & qualitercumque qualificatis, ut præſentes noſtras literas, ac in eis contenta quæcumque inviolabiliter obſervent, & ab eis ad quos ſpectat, adamuſſim ſervari curent, & faciant.

§.18. Et nihilominus ex nunc irritum, & inane decernimus, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutoris deputatio.

§.19. Quocirca eidem Franciſco Cardinali per præſentes injungimus, quatenus ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum prædictorum fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat illa auctoritate noſtra ab omnibus, ad quos ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Derogatio contrariorum

20. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, & in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, & illius Provinciarum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Provinciis, Superioribus, & Fratribus, & quibuſcumque aliis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 15. Maii 1639. An. XVI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Maii 1639. Pontificatus noſtri Anno XVI.

Quod

DCXIII.

Quod Secretarii Generales Ordinis Minorum de Observantia in Ministrum, seu Commissarium Generalem eligi non possint, nisi transacto sexennio ab expleto suo officio.

De vacantia officiorum Ordinis lege ad Constitutionem Militantis. *Greg.XV. Tom.V. Par.V., ac Theatrum Regularium, verb.* Vacantia.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PRospero, felicique dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum regimini, & gubernio, pro pastorali nostra sollicitudine, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine.

Mandat prout in rubrica. §.1. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ille, seu ex Fratribus dicti Ordinis, qui pro tempore existentis Ministri Generalis ejusdem Ordinis Secretarius, seu Secretarii fuerint, in Ministrum, seu Commissarium Generalem Ordinis hujusmodi immediate, & per sexennium post illum Ministrum Generalem, cui in officio Secretarii inservierint, ac pariter durante dicto sexennio, si novi Ministri Generalis immediate quocumque modo officium vacare contingat, in Vicarium Generalem nullo modo eligi possint, & valeant, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans. §.2. Sicque inviolabiliter observari, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, & Fratribus, ac Secretariis hujusmodi, & quibusvis aliis in contrarium præmissorum forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Junii 1639. An.XVI. Dat. Romæ apud S.M.M. sub annulo &c. die 12. Junii 1639. Pont. nostri An.XVI.

Bull. Rom. Tom.VI. Par.II.

DCXIV.

Confirmat omnia, & singula privilegia a Clem. PP. VIII. Provinciæ S. Jo: Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupat. Regularis Observantiæ S. Francisci in Hispania concessa.

*De hujusmodi Fratribus Discalceatis lege, quæ notavi ad Constit.*331. Regis pacifici. *Tom.VI. Par.I. fol.*221., *& ad Constitut.*494. Cum sicut. *ut supr. fol.*40.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm ea, quæ propter justas, & rationabiles causas aliquando stabilita sunt, ipsa rerum, & temporum experientia doceat provide oportere moderari, & immutari, superioribus vero annis per quasdam nostras in simili forma Brevis literas pro bono regimine Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum, Regularis Observantiæ Sancti Francisci in Hispania, quædam clausulæ quarumdam aliarum in eadem forma Brevis in favorem ejusdem Provinciæ a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanatarum, incipientium: *Ex injuncto Nobis apostolici muneris debito*, sub datum die 29. Nov. 1599. declaratæ, & aliæ limitatæ fuerint, ex præfata vero limitatione, seu moderatione; nonnulla gravia inconvenientia, quæ novis litibus, & inquietudinibus januam aperuerunt, in dies oriri videantur: Nobis propterea dilecti filii Michael Teruel Minister Provincialis, & Definitores dictæ Provinciæ Fratrum eorumdem per dilectum etiam filium Franciscum Seguer dicti Ordinis professorem eorum Procuratorem humiliter supplicari fecerunt, ut omnia, & singula gratias, & privilegia in prædictis Clementis Prædecessoris literis eidem S. Joannis Baptistæ Provinciæ alias concessa confirmare, & opportune sibi, ut infra providere, & indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Motiva hujus Constit.

§.1. Nos igitur, qui personarum quarumlibet, præsertim sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium quieti, & statui, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, omnem super præmissis inconvenientium hujusmodi materiam, & occasionem e medio submovere, ipsosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatas Clementis Prædecessoris literas in Confirmatio, prout in rubr.

favorem Provinciæ prædictæ S.Joannis Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum hujusmodi, cum omnibus, & singulis, in eis contentis, apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Quod possint erigere nova loca, cum sola Ordinarii licentia.

§.2. Et insuper modernis eidem Michaeli, & pro tempore existentibus MinistroProvinciali, Custodi, Definitoribus, Guardianis, & Fratribus dictæ Provinciæ, ut quascumque Domos, sive Heremitoria, seu loca, si quæ sibi a piis Christifidelibus in Hispaniæ partibus concedantur, recipere, & in illis Conventus sui Ordinis erigere, & fundare, servata tamen aliàs Sacrorum Canonum, & Decretorum Sacri Concilii Tridentini forma, de sola Ordinarii loci licentia, ac nullo quarumvis aliarum personarum cujusvis Ordinis, Congregationis, aut Instituti Regularium desuper requisito consensu, ac in Dumos sui Ordinis, & Provinciæ præfatæ, cum Ecclesia, sacrario, campana, seu campanis humilibus, cœmeteriis, claustro, refectorio, cellis, hortis, aliisque officinis, & ædificiis necessariis erigere, & fabricari facere, ac in illis Fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum Domorum Ecclesiis, postquam erectæ, & fabricatæ fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro infirmis asservare, ac divina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare, ut in cæteris Fratrum Discalceatorum eorumdem Domibus fieri solet.

Ac recipere ad habitum, & professionem.

§.3. Ac ejusdem Provinciæ nunc, & pro tempore existentibus Ministris Provincialibus, seu Guardianis, sive alio quovis nomine nuncupatis Prælatis, ad quos de jure, & juxta regularia ejusdem Ordinis statuta, apostolica auctoritate confirmata spectat, & pertinet, ut quoscumque prædictum Discalceatorum Ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum Domorum erigendarum tam Fratres professi, quam Novitii numerum triginta non excedant, juxta regularia ejusdem Ordinis instituta ad habitum, & professionem recipere, & admittere, ac cum aliis Religiosis professis incorporare libere, & licite valeant, licentiam, & facultatem perpetuo concedimus.

Quod moderentur cum solis statutis Reform.

§.4. Præterea, quod Provincia præfata, illiusque Fratres, & Conventus suis arctioribus Constitutionibus, & Statutis, quæ in pleno Capitulo Provinciali a majori parte Capituli recepta, & stabilita fuerint, gubernentur, nec ad observanda Statuta generalia a Capitulis, vel Congregationibus Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum jam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia ejusdem Ordinis Superiorum mandata, quæ Ministri Provincialis, Custodis, & Definitorum Provinciæ judicio fuerint dictorum Fratrum Discalceatorum reformationi, aut commodo dissentanea, teneantur.

Quod Congr. convocare possint.

§.5. Quod Ministri, seu Prælati Provinciales, Congregationes particulares, quas Definitoriales vocant, quando, & ubi commodius sibi visum fuerit, libere, & licite convocare, & celebrare, ac in eis quaslibet electiones Guardianorum, & aliorum Officiorum facere, & quascumque causas, sive civiles, sive criminales, & negotia ad eamdem Provinciam spectantia juxta formam Sacrorum Canonum, & regularium Statutorum, & suarum Constitutionum Provincialium tractare, definire, & sententiare possint. Quodque Prælati Generales ejusdem Ordinis hujusmodi Congregationes particulares Definitores, aut earum electiones, seu definitiones, vel decreta, & sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant.

Quod Provincia non possit visitari nisi per visitatorem Discalc.

§.6. Quod dicta Provincia, ejusque nunc, & pro tempore existentes Conventus, & Fratres, nisi per Fratres Visitatores alicujus Provinciæ Discalceatorum hujusmodi, a Prælatis tamen generalibus deputandos, nullatenus visitari, aut sindicari possint: quodque hujusmodi Visitatores Discalceati in dictam Provinciam ingredi, aut in ea aliquam jurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennii Ministri Provincialis, nempe post duos annos, & septem menses Provincialatus cujuslibet Ministri Provincialis ejusdem Provinciæ transactos, & non antea. Tales autem Visitatores omnia Statuta Provincialia ejusdem Provinciæ observare, & juxta illorum tenorem, & præscriptum Provinciam visitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu majoris partis Definitorii plene dispensare valeant, quamvis hoc idem in literis patentibus, & authenticis a Prælatis generalibus, aliisve Superioribus specialiter eisdem indultum, & concessum fuerit.

Punitiones fiant post celebrationem Capit.

§.7. Ut autem omnes ambitioni, & injustitiæ occasiones, quæ sub simulato, ac apparentis correctionis, & reformationis zelo obrepere solent, e medio penitus evellantur, postquam prædicti Visitatores Commissarii suam jurisdictionem, & Visitationem in Provincia hujusmodi cœperint exercere, nulli Guardiani, nullique Vocales, quibus concursus ad Capitulum proxime futurum de jure competit, possint ante ipsum celebratum Capitulum ob aliquam, seu aliquas causas ab officio removeri, nec voce activa, aut passiva privari; Si autem in ipsa visitatione aliquibus delictis, & culpis quidam præfatorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio, & correctio post omnes electiones Capituli factas differatur, vel aliis canonicis, & regularibus pœnis præter privationem officii, ac vocis activæ, & passivæ arbitrio Superiorum puniri debeant.

§.8. Insuper, quod Fratres ejusdem Pro-

Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ, ab ipsa sua Provincia per quoscumque Superiores abstrahi nequeant, ut ad Indos, vel alias partes, & Provincias remittantur, nisi de consensu Capituli Provincialis, vel Definitorii pleni ejusdem Provinciæ. Et quod hujusmodi Superiores, quicumque illi sint, non possint Fratres præfatos licentiare, ut in Domibus secularium, seu extra claustra habitent, nisi servata ad unguem forma a Clemente Prædecessore præfato præscripta in Bulla, seu Literis de Reformatione Regularium, incipientibus: *Nullus omnino prætextu cujuscumque privilegii*. sub anno 1599. nempe quod tales licentiæ nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica approbanda nullatenus concedantur, quæ vero aliter concessæ sint, ipso facto irritæ, & nullæ censeantur, & Religiosi talibus licentiis utentes statim ad claustra revocentur.

Quod gaudeant omnibus privil. aliarũ provinciarum

§.9. Quodque possint iidem Fratres Discalceati intra septa domus regularis suæ libros a bibliothecis de licentia Prælati abstractos habere, & illis uti, dummodo postquam illis usi fuerint, eisdem Bibliothecis illos restituere procureut; ac demum Ministro Provinciali, Custodi, necnon Guardianis, Conventibus, & Fratribus universis dictæ Provinciæ nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis gratiis, indultis, & privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis, & literis apostolicis, tam Provinciis S. Josephi, & S. Pauli, quam quibusvis aliis ejusdem Ordinis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum Provinciis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores, ac per S. Sedem Apostolicam hactenus concessis, & imposterum concedendis æque, ac si ipsimet Provinciæ S. Joannis Baptistæ nominatim concessa fuissent, frui, potiri, & gaudere perpetuo possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis pariter perpetuo concedimus, & indulgemus. Volumusque, statuimus, & ordinamus respective, & insuper præcipimus Ministro, & Commissario Generalibus Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, & quibusvis Commissariis, & Visitatoribus ad dictam Provinciam S. Joannis Baptistæ destinatis, cæterisque tam Prælatis, quam Subditis sub excommunicatione latæ sententiæ, ac privatione quorumcumque officiorum, & dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrendis; ne in præmissis Fratres præfatos Discalceatos Provinciæ S. Joannis Baptistæ hujusmodi litibus gravari, aut quovis modo molestari permittant, quinimo præfata omnia privilegia, & indulta illis inviolabiliter observent, & observari faciant, ac per suas proprias literas, quoties pro parte præfatorum Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, faveant, & assistant.

Exequutorũ deputatio.

§.10. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus Valentino, & Granatensi Archiepiscopis, necnon Carthaginensi, Guadixensi, Oriolensi, Dertusensi, & Illerdensi Episcopis, eorumque Vicariis Generalibus, seu Provisioribus, ac dilecto filio Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti solemniter publicent, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Prælatos Generales, & Visitatores præfatos quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas præfatas illos incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Decretum irritans.

§.11. Decernentes præsentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam eo quod in præmissis interesse habentes, vel Fratres de Observantia præfati, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in jus, vel controversiam revocari, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, per quam cavetur expresse, ne Professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum absque dictæ Sedis licentia speciali, de prohibitione hujusmodi expressam mentionem facientes recipiant, & de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium, non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis, quæ incipiunt: *In Cathedra B. Petri Apostolorum Principis*, de anno 1626. emanatis, ac quibusvis ejusdem Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam per Fratres Discalceatos hujusmodi acceptatis, præsertim Capitulorum, seu Congregationum generalium quibus cavetur expresse, ne Fratres Discalceati hujusmodi, domum aliquam dicti eorum Ordinis absque expressa licentia Capituli Generalis, aut infra quin-

quinque leucas a Domo eorumdem Fratrum Minorum erigere audeant, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini Fratrum Minorum, illiusque Superioribus, & quibusvis Religiosis particularibus, aliisque personis, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Ministro, Commissario Generalibus, aut Fratribus dicti Ordinis Minorum de Observantia, seu quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis credi mandat. §.12. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis earumdem præsentium, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 15. Jun. 1639. An.XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Junii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCXV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Erectio Alumnatus pro Abyssinis, ac Bracmanis in Collegio Urbano de Propaganda Fide.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium ab ipsa materia sumptum. ONerosa pastoralis officii cura Nobis meritis licet imparibus divinitus demandata, ad ea potissimum procuranda Nos jugiter impellit, per quæ exterarum nationum sub infidelibus Principibus non corporum servitutem tantum, sed, quod miserrimum est, animarum captivitatem sustinentur Juvenibus fœdissimis ignorantiæ tenebris absolutis, ad pietatem, & optimos mores, ac disciplinas, sacrasque literas, quibus mundus illuminatur capessendum mediantibus novorum Alumnatuum in hac nostra Urbe cæterarum omnium magistra erectionibus aditus aperiatur, ut hoc medio illis in fidei catholicæ hujuscumque Sanctæ Sedis cultu educatis, & instructis, ac ad eorum Regiones postea reversis frangendi illic esurientibus panem suum spiritualem, semitamque rectam, per quam ambulent, veritatisque lumen, & salutis viam edocendi, religionem catholicam in longinquis partibus, & earum efferatis gentibus restituendi, & propagandi possibilitas non negetur, unde Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, præsertim Nobis sanguine conjunctorum, in id facultates suas, etiam cum non modico ejusdem Urbis decore liberali manu erogare intendentium votis non solum apostolici favoris suffragium ultro adhibemus, sed etiam in tam eximiæ pietatis operis remunerationem eos, eorumque posteros condigna honoris prærogativa decoramus, aliasque desuper disponimus, & ordinamus, prout rerum, personarum, & temporum qualitatibus debite consideratis conspicimus in Domino salubriter expedire.

§.1. Aliàs siquidem, seu nuper Nos votis dilecti filii nostri Fratris Antonii Barberini tituli tunc Sancti Honuphrii, nunc vero Sancti Petri ad Vincula nuncupat. Presbyteri Cardinalis Sancti Honuphrii nuncupat. nostri secundum carnem Fratris germani Majoris Pœnitentiarii, & Bibliothecæ Apostolicæ Præfecti, uniusque ex ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus super negotiis de Fide Catholica propaganda deputatis annuere volentes unum Alumnatum pro duodecim pro tunc Alumnis certis modo, & forma tunc expressis qualificatis, & ex Gregorianorum, & Persarum, ac Nestorianorum, necnon Jacobitarum, & Melchitarum, atque Cophtorum nationibus, duobus videlicet pro qualibet, oriundis in Collegio de Propaganda Fide hujus Almæ Urbis perpetuo ereximus, & instituimus, eique sic erecto, & instituto pro illius Alumnorum sustentatione, aliorumque onerum supportatione redditus annuos per dictum Fratrem Antonium Cardinalem assignatos, & tunc expressos etiam perpetuo concessimus, & assignavimus, ac jus nominandi Alumnos prædictos eidem Fratri Antonio Cardinali, & certis aliis tunc expressis personis sub certis modo, & forma etiam tunc expressis similiter perpetuo reservavimus, concessimus, & assignavimus, aliaque decrevimus, & statuimus, prout in nostris sub dat. videlicet: decimo Kalen. Aprilis, Pontificatus nostri Anno quartodecimo confectis plenius continetur. — Refert duodecim Alumnatus a Card. Ant. Barberino aliàs erectos in Collegio Urbano, vide supra n.611. p.191.

§.2. Cum autem, sicut Nobis nunc innotuit, idem Frater Antonius Cardinalis Sanctissimum, & dictæ Romanæ Ecclesiæ utilissimum ejusdem Congregationis opus — Mentemque ejusdem Card. alios tredecim fundandi.

per

per amplius promovere deſiderans alium Alumnatum aliorum tredecim Alumnorum pro Æthiopica, ſive Abiſſina, & Bracmana Indiarum Orientalium, & in earum defectum Armena nationibus, quas non minori operariorum eccleſiaſticorum, quam priores, ſeu nationes ſupra expreſſas penuria laborare conſpexit, etiam fundare, eidemque competentem dotem aſſignare, necnon jus nominandi ſibi, & aliis, ut infra reſervare intendat, ſeu dotem hujuſmodi jam forſan aſſignaverit;

Urbe- §.3. Nos tam pium opus, quantum in Nobis eſt, confovere, & ad optatum finem perducere ſinceris affectibus deſiderantes, & ejuſdem Antonii Cardinalis ſanctiſſimum propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, noſtrarumque literarum prædictarum tenores etiam veriores, ac datas præſentibus pro expreſſis habentes, motu proprio non ad alicujus deſuper Nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in dicto Collegio de Propaganda Fide ultra alios jam ibi erectos, & inſtitutos etiam unum alium Alumnatum aliorum tredecim Alumnorum ſeptem videlicet pro Ethiopicæ, ſeu Abiſſinæ, ſex aliorum vero pro Bracmanæ Indiarum Orientalium nationum hujuſmodi Alumnis bonæ complexionis, ac mente, & corpore ſanis ſine ullo corporali defectu non minoribus quindecim, nec majoribus viginti, ſeu viginti unius annorum in latina, vel Italica lingua aliquo modo introductis, ita tamen, ut ſi aliquando contingat aliqua vice non poſſe ex altera nationum hujuſmodi pro explendis aliquibus, ſeu pluribus, vel etiam omnibus ejus locis vacantibus per triennium, a die vacationis hujuſmodi Alumnos haberi elapſo dicto triennio in locum vacantem, ſeu loca vacantia per neutrius nationis hujuſmodi Alumnos impleri nequiverit, vel nequiverint tunc, & eo caſu Alumni nationis Armenæ ad illum, vel illa aſſumantur, & admittantur, hoc tamen inter Alumnos nationis Armenæ præfatæ prælationis ordine ſervato, quod videlicet primo illi, qui Poloniam, & Ruſſiam, & deinde, qui Conſtantinopolim, & poſtea qui Præcopenſam, Tartariam, & ſucceſſive, qui Georgiam, demum vero, qui majorem, & minorem Armeniam, & Perſiam incolunt, ſeu inhabitant in Alumnos hujuſmodi aſſumantur.

Nationeſque aſſignat, unde deſumi debeant,

Ac qualitates recipiendorū.

Et quid agendum ſit, ſi contingat ex deſcriptis nationibus Alumnos deficere.

§.4. Qui quidem tam Ethiopicæ, ſive Abiſſinæ, & Bracmanæ, quam Armenæ nationum hujuſmodi, omnes, & ſinguli Alumni prædicti ſub Rectoris diſciplina, & regimine, necnon ſub Regulis, & Conſtitutionibus dicti Collegii de Propaganda Fide eo modo, quo cæteri illius Alumni, qui de præſenti in ipſo Collegio educantur, nulla prorſus inter eos conſtituta differentia vivere.

Alumnos regulis Collegii ejuſdem ſubjicit.

§.5. Et Bracmani videlicet juramentum a dicta Congregatione Alumnis Pontificiis præſcriptum eo modo, quo jacet, Ethiopici vero, ſeu Abiſſini, & Armeni cum infraſcripta moderatione, quod Ethiopici, ſive Abiſſini, ſcilicet Sancti Antonii, & Sancti Macharii, Armeni vero Sancti Antonii tantum Religiones reſpective ingredi, & in eis profiteri poſſint, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus;

Juramentum ab eis præſta- ri præcipit aliqua adhibita differentia.

§.6. Illoque ſic erecto, & inſtituto pro ejus dote, & illius Alumnorum pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, onerumque ei incumbentium ſupportatione redditus annuos, & perpetuos per eumdem Fratrem Antonium Cardinalem ad eum effectum, ut præfertur, aſſignatos, ſeu aſſignandos, & e manibus ipſius Fratris Antonii Cardinalis quoad vixerit, ſeu ab eo deputati capiendos, & exigendos tot videlicet loca montium non vacabilia de Urbe, ex quibus ad minus octingenta, & quadraginta tria annua ſcuta percipiantur, dicta auctoritate etiam perpetuo applicamus, & appropriamus.

Dotem pro illorum ſuſtentatione aſſignat.

§.7. Ac pro tempore exiſtentibus Alumnatus ſic noviter erecti hujuſmodi Alumnis, aliiſque perſonis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratiis, & indultis univerſis, quibus alii dicti Collegii Alumni in eo nunc, & pro tempore degentes de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut aliis pro tempore quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poterunt quomodolibet in futurum ſimiliter, & pariformiter, ac ſine ulla prorſus differentia, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam æque principaliter, uti frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant auctoritate, & tenore præmiſſis ſimiliter perpetuo de ſpeciali gratia indulgemus.

Cæterorum Alumnorum privilegiis participes facit.

§.8. Præterea jus nominandi Alumnos prædictos ex Ethiopica, ſive Abiſſina, & Bracmana, ſeu Armena nationibus, ut ſupra oriundos, ac juxta modum, & formam ſupradictos, & non aliàs ſub pœna nullitatis nominationum hujuſmodi eo ipſo ad tredecim pro nunc, & ſi aliquando illa tractu temporis augeri contingat, etiam ad alia ſic erecta loca Alumnatus noviter erecti prædicti tam hac prima vice a primæva illorum erectione, & inſtitutione hujuſmodi quatenus alias pro tempore quovis modo vacatura, in locis hujuſmodi, prævia tamen diligenti inquiſitione per Cardinales a prædicta Congregatione de Propaganda Fide deputandos facienda ſuper eorum qualitatibus, ut ſupra requiſitis, & quod illi in eis concurrunt per ejuſdem Congregationis Cardinales prædictos ad prædictam nominationem, & non aliàs confirmandos, ſeu inſtituendos, ac ponendos, & collocandos dicto Fratri Antonio Cardinali donec vixerit, eo vero defuncto, dilectis filiis noſtris Franciſco Sancti Laurentii in Damaſo Barberino nuncupato dictæ S.R.E. Vice-Cancellario, & Antonio S. Agathæ Diaconis reſpective nun-

Jus nominandi Familiæ Barbarinæ reſervat.

nuncupatis Cardinalibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario nostris secundum carnem ex Fratre Germano Nepotibus, qui per turnum alternis vicibus nominare debeant; ipsis vero deficientibus Cardinali, si tunc, vel quandocumque aderit de familia nostra Barberina ex linea dilecti filii nobilis viri Thaddei Barberini nostri etiam secundum Carnem ex fratre nepotis Urbis Præfecti, ac Principis Prænestin. descenden., & in defectum Cardinalis, Prælato, & non existente tunc Prælato, personæ ecclesiasticæ de eadem Familia descendenti, & si forte casus evenerit, quod eodem tempore extent plures Cardinales de ejusdem Thaddei Præfecti, & Principis Familia, & Descendentia, omnibus illis æqualiter, ita tamen, ut nominatio ipsius per turnum, & alternatim fiat, existentibus vero pluribus Prælatis, & personis ecclesiasticis, illi soli qui majorem obtinuerit Prælaturam, & inter æquales, qui ætate major erit, in defectum vero Cardinalium, & Prælatorum, & personarum ecclesiasticarum de linea dicti Thaddei Præfecti, & Principis, tunc ipsi Thaddeo Præfecto, & Principi, eoque non existente, vel quandocumque deficiente, vocatis, & comprehensis in jure succedendi per Nos ordinat., itaut inter omnes, sic supranominatos quoties casus evenerit assumptioni, & reassumptioni juris nominandi hujusmodi semper locus sit auctoritate hujusmodi perpetuo quoque reservamus, concedimus, & assignamus.

Regimen hujus, ac alterius alumnorum Cong. de Prop. Fide adjicit. §. 9. Præterea dicto Antonio Cardinali quoad vixerit, ac eo defuncto prædictæ Congregationi de Propaganda Fide tam per præsentes sic noviter erecti, quam alterius per dictum fratrem Antonium Cardinalem, ut præfertur, fundati, & per Nos in aliis nostris literis supradictis instituti Alumnatuum hujusmodi, cujus jus nominandi, etiam semper salvum sit, ut præfertur, omnimodam protectionem, regimen, gubernationem, & plenam superintendentiam, itaut tam ipsi Antonio Cardinali quoad vixerit, quam post ejus obitum dictæ Congregationi liceat corporalem possessionem locorum montium assignatorum, aut assignan. tam prædicto priori Alumnatui, quam huic posteriori propria auctoritate libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque ex eis provenientia percipere, exigere, levare, & in dictorum Alumnatuum usus, & utilitatem convertere, Vicarii Urbis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, necnon facultatem amborum Alumnatuum hujusmodi locorum vacantium redditus in Monte Pietatis de Urbe deponendi, & in necessitates eorum Alumnatuum impendi, vel iis cessantibus ad hoc, ut numerus Alumnorum arbitrio dictæ Congregationis habendæ coram Romano Pontifice pro tempore existente, tantum, augeri possit, investiri mandandi, ac deputandi in Rectorem dictorum Alumnatuum per ejus patentes Rectorem pro tempore dicti Collegii, cujus curæ immediate subsint eorum Alumni, quique prædictæ Congregationi, seu ab ea deputando singulo trimestri rationem dari, & expensi reddere debeat, & insuper curandi, ut Ministri, & Servientes Alumnatui prædicti Collegii de Propaganda Fide etiam Alumnis prædictorum duorum Alumnatuum ministrent, & inserviant exceptis duobus Præfectis pro Alumnis prædictorum duorum Alumnatuum ab eodem Fratre Antonio Cardinale dum vixerit, & post ejus mortem, ab eadem Sacra Congregatione de Propaganda Fide deputandis, qui Præfecti, ut supra deputandi inter cæteras qualitates habiles sint ad docenda prima rudimenta Grammaticæ latinæ Alumnis prædictorum duorum Alumnatuum idque efficere teneantur donec prædicti Alumni Scholas publicas adire, & frequentare valeant simili auctoritate itidem perpetuo tribuimus, & impertimur. *Rectoris munus, Ac Præfectorum.*

Clausula. §. 10. Decernentes præmissa omnia, & singula, ac easdem præsentes ullo umquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci non posse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, & Cammeræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, & ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, ac Vice-Cancellarios necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutorum deputatio. §. 11. Quocirca dilectis filiis moderno, & pro tempore existentibus Urbis Gubernatori, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, necnon nostro in eadem Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus generali per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte interesse habentium fuerint requisiti solemniter publicantes eisque efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit firmiter, & inviolabiliter observari, & nunc, & pro tempore interesse habentes prædictos illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia

media appellatione postposita compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas servata forma Concilii Tridentini, & iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum

§.12. Non obstantibus aliis nostris literis prædictis, si in aliqua huic nostræ gratiæ conformes non sint, aut contrarientur, necnon nostra de gratiis ad instar non concedendis, & quibusvis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Collegii, & Urbis prædictorum statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis præd. Congregationi, & quibusvis Universitatibus, Collegiis, eorumque Superioribus, Deputatis, Rectoribus, Alumnis, & aliis personis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, aut aliàs quomodolibet in contrarium concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse motu hujusmodi derogamus, cæterisq. contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§.13. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis, aut alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in Judicio, & extra, ubicumque opus fuerit, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausulæ pœnales.

§.14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, indulti, reservationis, concessionis, assignationis, tributionis, impertitionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 21. Jun. 1639. An. XVI.

Datum Romę apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1639. 11. Kalen. Julii, Pontificatus nostri Anno XVI.

DCXVI.

Abrogat omnia, & singula Privilegia personalia per Religiosos Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum obtenta, quæ eorumdem Constitutionibus adversantur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ROmanus Pontifex, æqui, bonique supernus assertor, gregi Dominico a Deo, & Salvatore nostro præpositus, ut juxta verbum propheticum noxia evellat, & destruat, utiliaque plantet, & ædificet, ea quæ rationabilibus ex causis etiam a Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis quibus præsertim felici Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui, & salubri gubernio consulitur, revocat, in hisque suæ solicitudinis studium interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causæ hujus Constit.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Capitulum Generale Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, aliàs diversi dictæ Congr. Clerici a Sede Apostolica, & a nonnullis, qui pro tempore fuerunt S. R. E. Cardinalibus ejusdem Congregationis apud Nos, & eamdem Sedem Protectoribus, frequentius vero a Nunciis Apostolicis varia privilegia, concessiones, & indulta, dispensationes a Regulis, necnon exemptiones a Constitutionibus, & aliis d. Congregationis Ordinationibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis minime conformia, imo contraria obtinuerint, nempe ut redditus administrare, eleemosynas certis usibus applicare, suffragium, sive votum perpetuum in Capitulis habere, ab aliqua domo non removeri, socium certum habere, & alia hisce similia facere possint: experientia vero compertum sit, præmissa omnia observantiæ regulari non leviter officere: Nobis propterea iidem dilecti filii Capitulū Generale communi omnium illius Vocalium nomine humiliter supplicari fecerunt, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Annullat privilegia prout in Rubrica.

§.2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa la-

tis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfata omnia privilegia, concessiones, & indulta, ac dispensationes, & exemptiones hujusmodi, & quævis alia hic non expressa, aliàs, ut præfertur, ab ipsius Congregationis Clericis obtenta quomodolibet, quæ quoquo modo ejusdem Constitutionibus, & Ordinationibus adversantur, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu vacuamus.

§.3. Et insuper, ne de cætero perpetuis futuris temporibus similia privilegia, concessiones, & indulta, aliaque supra expressa, cuiquam ullatenus concedantur, nec a quoquam absque Capituli Generalis dictæ Congregationis licentia impetrentur, statuimus, & ordinamus: & nihiluminus omnia, & singula aliàs quam, ut præfertur, concessa, & quomodolibet impetrata, nulla, & subreptitia fore, & censeri, nec cuiquam ullatenus suffragari.

Decretum irritans.

§.4. Ac præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogat contrariis.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis ipsius Congregationis Superioribus, & personis, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§.6. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi illorum pro sufficienti derogatione specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque: Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indultis hujusmodi mentionem.

Transumptis credi jubet.

§.7. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis, seu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus in judicio, & extra adhibeatur fides, quæ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 22. Junii 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 22. Junii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCXVII.

Declarat, quod in Monasteriis S. Basilii del Tardon, & S. Antonii de Gualliguillos Choristas, & Sacerdotes quartam Laici vero alias tres partes constituant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN his Pastoralis officii nostri partes libenter interponimus, per quæ Personarum regularium, quæ spretis Mundi vanitatibus totas se Deo devoverunt, statui, & quieti opportune consuli judicamus.

§.1. Aliàs siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster certior factus, quod ex duorum Eremitorum, videlicet Eremi del Tardon Cordubensis, & Vallis de Gualliguillos Hispalensis Diœcesis in Monasteria Ordinis S. Basilii Magni per piæ mem. Gregorium Papam XIII. etiam Predecessorem nostrum erectorum, cum alio Monasterio S. Mariæ de Oviedo Ginnensis, a similis rec.mem. Pio Papa IV. etiam Prædecessore nostro prius erecto in unam Provinciam S. Basilii Hispaniarum nuncupandam, necnon aliis Monasteriis in Hispaniarum Regnis imposterum construendis unione a prædicto Gregorio Prædecessore facta, multæ contentiones inter dictæ Provinciæ Monachos super modo vivendi exortæ fuerant; ut contentionibus hujusmodi finem imponeret, dicta duo Monasteria S. Basilii Eremi del Tardon, ac etiam S. Antonii de Gualliguillos in Monasteria reformationis, & veræ ejusdem S. Basilii Regulæ Observantiæ deputavit, constituit, & separavit, ad quæ se reciperent omnes, quotquot in dicta Provincia Monachi zelo Dei, & Spiritu sancto ducti tanti Patriarchæ præcepta, & instituta desiderarent observare, quæ juxta nonnullas Constitutiones pro dicta Reformatione a se tunc editas jussit in omnibus, & per omnia practicari, & aliàs, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis in simili forma Brevis hac super re emanatis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Cum

Præfinit numerum Choristarum.

§.2. Cum autem, sicut accepimus, licet idem Clemens prædecessor majorem, & principaliorem partem Monachorum hujusmodi ex laicis esse voluerit, & sufficientes Choristas, & Sacerdotes ad Chori, & divinorum officiorum ministeria haberi permiserit; quia tamen certum eorumdem Choristarum, & Sacerdotum numerum non præfinivit, nonnullæ inter laicos ex una, & Choristas, ac Sacerdotes hujusmodi ex altera partibus eapropter controversiæ exortæ fuerint;

§.3. Nos, ut semotis quibusvis perturbationibus, & dissensionibus Monachi prædicti juxta laudabile eorum institutum, & ad præscriptum literarum ejusdem Clementis prædecessoris in pacis amœnitate, & tranquillitate vivant, & felicioribus in dies in via Domini proficiant incrementis, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Motuproprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in prædictis S. Basilii del Tardon, & S. Antonii de Gualliguillos Monasteriis inter Choristas, & Sacerdotes non possint esse, nisi unus ex quibuslibet quatuor, itaut quarta pars Monachorum cujuslibet ex dictis duobus Monasteriis sit ex Choristis, & Sacerdotibus, & reliquæ tres partes sint laici, ac donec Choristæ, & Sacerdotes, qui ad præsens sunt in eisdem Monasteriis ad numerum prædictum redacti fuerint, alii in Choristas, & Sacerdotes hujusmodi recipi non possint, sub pœna nullitatis receptionis hujusmodi, & inde sequendorum quorumcumque tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Nihilominus prædictas Clementis prædecessoris literas innovantes, illas prout disponunt, etiam quoad Capit. 7. prohibens studium philosophiæ, & theologiæ, & alia in eo expressa sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis omnino observari præcipimus, & mandamus.

Decretum irritans.

§.4. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus in his, quæ præsentibus adversantur, prædictis Clementis prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinis, ac Monasteriis, illorumque Superioribus, Monachis, & personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 10. Julii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI. Dat. die 10. Julii 1619. An.XVI.

DCXVIII.

Indulgentia Plenaria perpetua pro Confratribus, & Consororibus Confraternitatis, sub invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis loci de Chaul Goensis Diœc. in Indiis Orientalibus.

De modo aggregandi Confraternitates lege Constitut. Clementis VIII. Quæcumque. *Tom.5. Par.5.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

CUm, sicut accepimus, in Ecclesia Sanctæ Barbaræ Domus Fr. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia loci de Chaul Goensis Diœcesis in Indiis Orientalibus una pia, & devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub Invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, & Consorores quamplurima pietatis, & charitatis opera exercere consueverunt.

Indulgentia plenaria in ingressu.

§.1. Nos, ut Confraternitas prædicta majora in dies, suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, postquam erit canonice instituta, die prima eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam; necnon tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu

In artic. mortis. Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam.

In festo principali. §.2. Ac eisdem nunc, & pro tempore existentibus Confratribus, & Consororibus, vere quoque pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Ecclesiam, vel Cappellam, seu Oratorium die festo principali ipsius Confraternitatis, a primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Sexag. dierum in p[...] quattuor operibus piis. §.3. Insuper eisdem vere etiam pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, Ecclesiam, vel Cappellam, seu Oratorium hujusmodi in Nativitatis, Purificationis, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis festis diebus, ut præfertur, visitantibus, & orantibus, quo die prædictorum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Missis, ac aliis divinis Officiis in dictis Ecclesia, vel Cappella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis ipsius Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum, & Consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut aliàs ubicumque, & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti, campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Consororum prædictorum, recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

§.4. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, & Consororibus præmissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint, quodque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, priores, & quævis aliæ Literæ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1639. Pontificatus nostri anno Decimosexto. Dat. die 20. Julii 1639. An.XVI.

DCXIX.

Abrogatio omnium privilegiorum personalium Fratribus Minorum concessorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter cæteras apostolicæ servitutis curas, quibus circa universalis Ecclesiæ regimen humilitati nostræ a Domino commissum assidue premimur, ea Nos non parum solicitos habet, ut personæ Regulares divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatæ, juxta Regularia earum instituta salubriter regantur, & propterea, si quæ felici earum statui obesse, aut in aliquod Observantiæ Regularis earum, & disciplinæ detrimentum vergere cognoscimus, ea, quantum Nobis ex alto conceditur, removemus, & prohibemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Const. §.1. Cum itaque, sicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci introductus fuerit abusus, ut passim a Superioribus Patres privilegiati efficiantur, ex quo magnum relaxationi ostium aperitur, & gravissimum paupertati, & humilitati, quas dictus Ordo profitetur, nocumentum infertur, & propterea unanimi vocalium in generali dicti Ordinis Capitulo nuper celebrato congregatorum voto abusum hujusmodi auctoritate nostra tolli desideratum fuerit;

Revocat privilegia hujusmodi Fratribus concessa. §.2. Nos, qui regularem disciplinam ubique vigere, & omnem illius relaxationi viam præcludi summopere cupimus, de opportuno in præmissis remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & quæcumque privilegia personalia quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ordinis Fratribus, cujuscumque dignitatis, qualitatis, & conditionis existant, charissimorum in Christo filiorum nostrorum Regis Romanorum in Imperatorem electi, ac aliorum Regum Prædicatoribus, & Confessariis dumtaxat exceptis, quocumque titulo, prætextu, causa, & occasione, & ad cujusvis instantiam, & supplicationem, tam a Nobis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, quam etiam a dilecto filio nostro Francisco Sancti Laurentii in Damaso Diacono Card. Barberino nuncupato

pato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostol. Protectore, aliisque ejusdem Ord.Protectoribus,ac quibuslibet Ordinis hujusmodi Superioribus hactenus quoquo modo contra, & praeter Regularia Ordinis praedicti instituta,& Apost.Const. concessa, harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illaque perpetuo revocata, annullata, cassata, abrogata, & abolita, jurisbusque, & effectu vacua esse, & fore, nemini que ullatenus suffragari, neque de caetero a quoquam concedi posse.

Et ita, & non aliter judicari decrevit.

§.3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Executores deputat, & contrafacientibus poenas imponit.

§.4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena excommunicationis, privationisque suorum officiorum, vocisque activae, & passivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis Ministro, ac Vicario, seu Commissario Generalibus, & Ministris Provincialibus, aliisque dicti Ordinis Superioribus, ut quamprimum praesentes nostrae literae ad eorum notitiam pervenerint, omnes, & singulos Patres, & Fratres Ordinis hujusmodi similia privilegia habentes, illis eo ipso privatos, & spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti finant, vel permittant, inobedientes quomodolibet, & rebelles opportunis juris, & facti remediis juxta Regularia ejusdem Ordinis statuta, apostolica auctoritate confirmata, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recursu remotis, compescendo.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Literis Apostolicis, super concessione, seu confirmatione concessionis privilegiorum hujusmodi emanatis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, & scientia, ac potestatis plenitudine similibus, in genere, vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personae alicujus in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Dat. die 23. Julii 1639. An.XVI.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Julii 1639. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DCXX.

Restitutio Patrum Provinciae, & revocatio, seu moderatio Motus proprii Gregorii XV. pro tota Familia Ultramontana Ord. Min. S.Franc. de Obsev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Onerosa pastoralis officii cura Nobis ex alto,meritis licet imparibus,commissa crebro Nos admonet, ac inducit, ut ad statum Christifidelium quorumlibet, praesertim regularem vitam profitentium salubriter dirigendum operosis studiis intendentes, ea, quae pro felici eorum gubernio, prosperaque directione provide statuta, & ordinata esse comperimus,apostolicae confirmationis robore communiamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Constit.

§.1. Nuper siquidem ad aures nostras pervenit, quod deficientibus in Definitoriis omnium Provinciarum Ultramontanae Familiae Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, qui Ministro Generali ejusdem Ordinis subiiciuntur, iis, qui Provinciae Patres nuncupantur, & inibi praestantiores Judices, electoresque habentur, magna totus Ordo praedictus sustinet incommoda, & subditorum regimen, & officiorum provisio difficiliora in dies efficiuntur: ideoque communi Vocalium in Generali dicti Ordinis Capitulo nuperrime celebrato congregatorum assensu decretum fuit Nobis supplicandum esse, ut omnes Patres Provinciarum, quos felicis recordationis Gregorius XV. Praedecessor noster per suas in simili forma Brevis literas abstulit, & abolevit, Nos de benignitate apostolica restituere dignaremur. Verumtamen re in Definitorio Generali ejusdem Ordinis maturius deliberata, de consensu dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarii,nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac Ordinis praedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris statutum fuit, ut duo tantum Patres Provinciae in praedicto singula-

gularum Provinciarum Ultramontanæ familiæ hujusmodi Definitorio introducantur, unus scilicet, qui in Provincia reliquis dignior sit, ille nimirum, qui inter Patres Provinciæ primum locum sibi vendicat, qui quidem semper in Definitorio assistat; alter vero, qui immediate triennio dumtaxat eam obtineat dignitatem, & in Definitorio assistat, ea lege tamen, ut si iste ex qualibet causa deficiat, in ejus locum subrogatus eo ipso sit, qui ante ipsum Minister Provincialis immediate extiterit; triennio autem hujusmodi transacto alius, qui Ministri Provincialis officio etiam immediate functus fuerit, subsequatur, & sic deinceps de triennio in triennium dumtaxat servetur, ita quod numquam hi duo Patres in dictarum Provinciarum Definitoriis desiderentur. Quod si contingat, ut qui erit dignior, & perpetuus in Definitorio hujusmodi vigore præsentium literarum assistens alio titulo de eodem Definitorio existat, sibique jus in illud ingrediendi competat, tunc in ejus locum ipso facto subrogatus sit ille Pater Provinciæ, qui eidem dignitate proximus fuerit.

Instituit duos Patres pro defunct. in Provinciis Ultramontanæ. §.2. Quare Nos attendentes ea ratione, & multitudinem Patrum Provinciæ auferri, ac de iis, qui pro felici Provinciarum hujusmodi directione, & gubernio necessarii sunt, sufficienter provideri, ac prædictarum Gregorii Prædecessoris hujusmodi literarum tenoribus, & datis præsentibus pro expressis, & insertis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris institutionem, seu restitutionem prædictorum duorum Patrum Provinciæ pro Definitoriis Provinciarum prædictarum in dicto Definitorio generali, ut præfertur, factam apostolica auctoritate, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Præmissa observari mandat. §.3. Decernentes illa, & præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Aliter judicari non posse decernit. §.4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat, & pœnas contra facientibus addit. §.5. Quocirca dilectis filiis Ministro, & Vicario, seu Commissario Generalibus dicti Ordinis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut præsentes literas, & in eis contenta quæcumque a sibi subditis omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet, sub excommunicationis, privationisque suorum officiorum, & vocis activæ, & passivæ pœnis eo ipso incurrendis, debitæ executioni demandari, ac inviolabiliter observari curent, & faciant.

Contrariis derogat. §.6. Non obstantibus quoad præmissa dumtaxat præfati Gregorii Prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum, etiam motu, scientia, & deliberatione similibus quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §.7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Julii 1639. An.XVI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Julii 1639. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DCXXI.

Declaratio, quod quæcumque pactiones particularium personarum super Montibus, vel Locis Montium quorumcumque factæ absque Sanctæ Sedis, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendum literas patentes deputatorum licentia, non attendantur, nec afficiant Montes, & Loca hujusmodi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Decet nos ex pastoralis officii nostri debito providere, ne privatorum pactionibus utilitati publicæ quoquomodo officiatur.

Causa hujus Constit. §.1. Quapropter, cum, ut accepimus, in Camera Apostolica, & forsan aliis Urbis nostræ Tribunalibus fuerit prætensum, ac

inter partes diversas controversum super articulo, an pacta, & obligationes particularium personarum afficiant loca Montium, sive Vacabilia, sive non Vacabilia;

Declarat non esse attendas obligationes privatorum super Locis Montium.

§.2. Nos ad tollendam omnem prætensam ambiguitatem, & litium, quantum cum Domino possumus, occasionem, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque attributæ Nobis potestatis plenitudine, quaslibet dispositiones, & pactiones inter particulares personas, tam quoad hypothecas, & obligationes, quam quæcumque alia onera, seu vincula realia, vel in rem scripta, aut rei persecutoria super montibus, vel eorum locis cujuscumque generis tam vacabilibus, quam non vacabilibus, sive sint Camerales, sive Communitatum, vel Baronum, aut aliorum quorumcumque etiam Ducum, & Principum factas absque nostra, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendum literas patentes deputatorum licentia in eisdem literis patentibus exprimenda non esse attendendas, ac dispositiones, pactiones, & obligationes privatorum hujusmodi afficere dumtaxat personas, ac quoad ipsas sustineri ad effectum, ut quando promissa, & conventa servare nollent, vel non possent, ad damna, & interesse teneantur, non autem ut jus, vel onus aliquod reale adjectum, seu impositum ipsis locis montium censeatur, neque illis vinculis, obligationibus, pactionibus, & oneribus ullatenus loca montium prædicta sint obnoxia ad instar Romanæ Curiæ officiorum, in quibus similium pactionum nulla ratio habetur, sed solum nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis decreti, tenore præsentium declaramus, & ita imposterum etiam quoad præterita non decisa per rem judicatam servari, interpretari, & definiri debere volumus, & mandamus.

Clausulæ præservativæ.

§.3. Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interresse habentes, seu habere prætendentes, illis minime consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi, ac causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, vel justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quocumque alio defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controversiam revocari, aut aliter quomodolibet infringi, vel limitari, & adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam uti, vel se juvare in judicio, vel extra posse, sed semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Clausula sublata.

§.4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ generales Auditores, ipsiusque Cameræ Præsidentes Clericos, ac S. R. E. Camerarium, & alios Card. etiam de latere Legatos nunc, & pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans super addit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, nostra de jure quæsito non tollendo, ac aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, & almæ Urbis nostræ, ac Cameræ prædictæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apost. eidem Cameræ, illiusque Officialibus, & Ministris, ac Montistis Montium prædictorum, & generaliter quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium, ac quarumcumque litium, & eorum statum, aliorumque hic exprimendorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Julii 1639 An. XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaoctava Julii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Anno a Nativit. D. N. Jesu Christi 1639. die vero 13. mensis Augusti, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis Basilicæ S. Petri de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per nos Fulvium Marzitellum, & Carolum Pelosinum Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Pro D. Mag. Curs. Antonius Bardus Dep.

Con-

& magni Magiftri hujufmodi, fed illa omnia prout funt, & erunt juxta ftatutorum, feu ftabilimentorum, ac ordinationum capitularium ejufdem Hofpitalis, apoftolica auctoritate confirmatorum difpofitionem, & poffeffionem ipfi magno Magiftro quæfitam remanere debere apoftolica auctoritate tenore præfentium ftatuimus, volumus, & ordinamus.

Claufula.

§.4. Decernentes præfentes literas validas, firmas, & efficaces exiftere, & fore fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, & ab omnibus, & fingulis, ad quos fpectat, & pro tempore fpectabit inviolabiliter obfervari; ficque, & non aliter in omnibus, & fingulis præmiffis per quofcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores, ac pro tempore exiftentes magnum Magiftrum, & confilium, aliofque Judices, & Tribunalia dicti Hofpitalis judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obftantibus Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, ac dicti Hofpitalis, etiam juramento, confirmatione apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis ftatutis Capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis eorum tenores præfentibus pro plene, & fufficienter expreffis, ac de verbo ad verbum infertis habentes, illis aliis in fuo robore permanfuris, hac vice dumtaxat fpecialiter, & expreffe derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Dat. die 2. Augufti 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub Annulo Pifcatoris die fecunda Augufti 1639. Pontificatus noftri Anno XVI.

DCXXIV.

Quod Miniftri Provinciales Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francifci de Obfervantia pro tempore exiftentes poffint mittere Commiffarios, qui eorum nomine in Capitulo Generali fuffragium ferant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumfpecta Romani Pontificis providentia ea, quæ in perfonarum Regularium Capitulis Generalibus interdum fancita, & auctoritate apoftolica comprobata fueruut, ipfa fubinde rerum experientia fuadente, præfertim cum felici earumdem perfonarum ftatui, & quieti opportune confulitur, immutat, in hifque fuæ follicitudinis partes favorabiliter interponit, prout confpicit in Domino falubriter expedire.

Caufa hujus Conftit.

§.1. Aliàs fiquidem in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S.Francifci de Obfervantia nuncupat. de Anno 1625. celebrato, inter alia conditum fuit ftatutum tenoris fequentis, videlicet. Caveant ex Indianis Provinciis Miniftri Provinciales, ne ad Capitulum Generale, vel, aut ipfi, vel Commiffarios fuo nomine mittant, folis Cuftodibus veniendi facultate conceffa. Nofque ftatutum hujufmodi, illius teuore inferto confirmavimus, & approbavimus, prout in noftris defuper in fimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præfentibus pro expreffis haberi volumus, plenius continetur.

Gen. fupplicat Pontif. pro indulto, prout in euot.

§.2. Cum autem, ficut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Joan. Merinero d. Ordinis Minifter Generalis, Patres in Capitulo Generali ejufdem Ordinis in hac Alma Urbe noftra noviffime celebrato congregati Miniftris Provincialibus prædictarum Provinciarum Indiarum antiquum jus, quod habebant, ut ad Capitulum Generale Commiffarios eorum nomine fuffragium laturos mittere poffent, juftis ex caufis reftituendum effe cenfuerint: Nobis propterea dictus Joannes Minifter Generalis humiliter fupplicari fecit, ut in præmiffis opportune providere de benignitate apoftolica dignaremur.

Cui Pont. annuit,

§.3. Nos igitur ejufdem Joannis Miniftri Generalis votis annuere volentes, illumque fpecialibus favoribus, & gratiis profequi volentes, & a quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occafione, vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit, ad effectum præfentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, hujufmodi fupplicationibus inclinati, Miniftris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore exiftentibus, quod ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere poffint Commiffarios, qui eorum nomine fuffragium ferant, ea tamen lege, ut tam Commiffarii, qui mittentur, quam etiam Cuftodes, filii earum Provinciarum refpective fint, pro quibus mittentur, vel in eis incorporati, five in Indiis, five in aliis Europæ partibus exiftant, dummodo ad electionis effectum non incorporentur; ac ut tam Commiffarii, quam Cuftodes prædicti a fuis Provinciis non aliter, quam juxta Conftitutiones Generales Segobienfes eligantur; quodque fi Commiffarii, & Cuftodes hujufmodi in itinere decedant, fuffragium fuum nemini, etiam tamquam Procuratori abfenti, vel præfenti committere poffint, ac idem in aliis etiam Prælatis, & Vocalibus juxta laudabilem dicti Ordinis confuetudinem fervetur, apoftolica auctoritate, tenore præfentium concedimus, & indulgemus.

Conftit. Clement. VIII. confirmat.

§.4. Et infuper pro commodiori præmifforum exequutione Conftitutionem felicis recordationis Clementis Papæ Octavi Prædecefforis noftri, quæ incipit: His quæ

ad Regularium personarum statum, die 4. Martii 1600. Pontificatus sui Anno Nono editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, præsertim in Limensi Provincia ad Magistratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quam illi, qui ejusdem Provinciæ Alumni sunt, vel ad eam expresse, ac nominatim missi in Hispaniis, & cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, innovamus, approbamus, & confirmamus. Declarantes sub illis verbis: Seu quodlibet aliud dignitatis officium, in dicta Constitutione expressis Ministri Provincialis, tam pro regenda Provincia, quam pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati, Vicarii Provincialis, Custodis, Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum, officia comprehendi, & comprehensa intelligi.

Nec aliter judicari posse decernit.

§.5. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præmissa observari jubet.

§.6. Quocirca dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus dicti Ordinis Commissariis Generalibus in Indiis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, privationisque suorum Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, ut præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter servent, & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit, quomodolibet servari curent. Alioquin si eos hac in parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant, injungentes, & districte præcipientes dicto Joanni, & aliis pro tempore existentibus Ordinis prædicti Ministris Generalibus, ut citra conniventiam quamcumque pœnas prædictas contra transgressores debitæ exequutioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias.

Derogat contrariis.

§.7. Non obstante statuto, & literis nostris prædictis, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Ministris Generalibus, ac Provincialibus, & Commissariis prædictis, aliisque Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 6. Aug. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die sexta Augusti 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCXXV.

Confirmatio Decreti Congregationis Regularium circa delationem Habitus Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Commiss. Gener. instantia.

NObis pro parte dilecti filii Marci Antonii Bottoni Bononiensis Tertii Ordinis Sancti Francisci Commissarii Generalis, & Procuratoris nuper expositum, fuit, quod inter generalia dicti Ordinis Statuta, apostolica auctoritate confirmata reperitur infrascriptum, videlicet:

Decr. Congr. Regularium.

§.1. Religioni consulentes decernimus, ut juxta nostra Apostolica privilegia, nostrorũ habitus sit tunica talaris cum scapulari, veste, sive cucullo utrinque angulari, posteriori tamen angulo funiculum tangenti: Pallium vero instar Impluviæ, nulla, vel coloris, vel formæ differentia, ut eodem modo, & colore, quem vulgo Beretinum appellamus, omnes vestiantur.

Cujus petitur confirmatio.

§.2. Verum, quia Fratres dicti Ordinis alicubi aliquando a Fratribus Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum super hoc de facto perturbantur: Nobis propterea dictus Exponens ad obviandum controversiis, & litibus quibuscumque humiliter supplicari fecit, ut præfatum decretum pro illius

illius firmiori subsistentia, apostolicæ confirmationis patrocinio communire, de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur eumdem Expouentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicatiouibus inclinati.

Confirmatio Decreti, de quo in Rubr.

§.4. De Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio, decretum præfatum cum omnibus, & singulis in eo contentis apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.5. Decernentes illud, necnon præsentes Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac primodictis Fratribus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter observari, nec eos a quoquam quavis auctoritate fungente, quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari posse, vel debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Septem. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Septembris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCXXVI.

Facultas Georgio Conæo Scoto conceditur nominandi Præpositum pro Catholicis Angliæ.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Georgio Conæo Clerico, seu Presbytero Scoto.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Rom. Pontif. semper soliciti de Catholicis Angliæ.

ROm. Pont. gerentes in terris vices ejus, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserta, abiit ad unam, quæ perierat, postquam Regnum Angliæ ab ovile Ecclesiæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ secessit, anxii semper, & soliciti fuerunt, ne pusillus grex, quem sibi in eo Regno præservavit Dominus, a caulis catholicæ fidei, aut christianæ unitatis, & charitatis aberret; ac proinde aliquos pro temporum diversitate Catholicis in eo Regno degentibus præfecerunt, qui eos in spiritualibus dirigerent, & prout opus esset, alios in fide stabilirent, & confirmarent, alios humeris impositos ad gregem deportarent.

Urban. Georgio Conæo Præpositum eis præficiendi potestatem facit.

§.1. Nos, quos pro officii nostri ratione eadem solicitudo urget, attendentes, nullum ad præsens in Anglia existere, qui commissa a Nobis auctoritate simile munus exerceat, volentes propterea aliquem in eo Regno esse, qui sub Præpositi nomine interea, dum Sanctæ Sedi Apostolicæ ita expedire videbitur, catholicos in spiritualibus dirigat, quærentibusque, aut indigentibus spirituale solamen prompte impendat, de tua fide, prudentia, integritate, catholicæ religionis zelo, & doctrina plurimum in Domino confisi, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi facultatem nominandi Præpositum in Angliæ Regno prædicto, qui omnibus catholicis in dicto Regno existentibus, sive iis, quos pro tempore existere contigerit, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum præsit in spiritualibus, & tamquam director spiritualis cum facultatibus prope diem submittendis præsideat, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Derogatque contrariis.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Septem. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Sept. 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Sequitur Breve deputationis favore personæ a prædicto Conæo seligendæ.

Dilecto filio Georgio Conæo Clerico, seu Presbytero Scoto.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium prout in præcedenti.

ROmani Pontifices gerentes in terris vices ejus, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit ad unam, quæ perierat: postquam Regnum Angliæ ab ovile Ecclesiæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ secessit, anxii semper, & soliciti fuerunt, ne pusillus grex, quem sibi in eo Regno præservavit Dominus a caulis catholicæ fidei, aut christianæ unitatis, & charitatis aberret; ac proinde aliquos pro temporum diversitate catholicis in eo Regno degentibus præfecerunt, qui eos in spiritualibus dirigerent, & prout opus esset, alios in fide stabilirent, & confirmarent, alios humeris impositos ad gregem deportarent.

Deputatio, de qua in rubrica.

§. 1. Nos, quos pro officii nostri ratione eadem solicitudo urget, attendentes, nullum ad præsens in Anglia existere, qui commissa a Nobis auctoritate simile munus exerceat, volentes propterea aliquem in eo Regno esse, qui sub Præpositi nomine interea, dum Sanctæ Sedi Apostolicæ ita expedire videbitur, Catholicos in spiritualibus dirigat, quærentibusque, aut indigentibus spirituale solamen promptè impendat, de tua fide, prudentia, integritate, catholicæ religionis zelo, & doctrina plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, te Præpositum in Angliæ Regno prædicto constituimus, & nuncupari volumus, tibique, ut omnibus Catholicis in d. Regno existentibus, sive iis, quos pro tempore existere contigerit ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum in spiritualibus præsis, et tamquam director spiritualis cum facultatibus propediem submittendis præsideas, licentiam, et potestatem, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Septem. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Sept. 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

In locum Episcopi Pisauren. subrogatur Gaspar Archiepiscopus Athenarum, apud Ferdinandum Rom. Regem in Imperatorem electum Nuncius, ut ipse Archiepiscopi Treveren. processum videat, et consideret.

Ven. Fratri Gaspari Archiepiscopo Athenarum apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Recenset mandatum sub die 30. Jun 1635. Episcopo Pisauren. datum.

§. 1. POstquam annis retroactis non sine animi nostri molestia Nobis innotuerat, Venerabilem Fratrem Philippum Christophorum Archiepiscopum, et Electorem Treveren., ac Episcopum Spiren., Monasteriique Sancti Maximini Ordinis Sancti Benedicti ejusdem Diœcesis Treveren. Commendatarium per Milites charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici fuisse captum, et detentum; Nos pro nostri pastoralis officii debito providere volentes, ut personæ, dignitatique pontificali, libertatique ecclesiasticæ, ac justitiæ consuleretur, jussimus, et mandavimus Venerabili Fratri Malatestæ Episcopo Pisauren. tunc nostro apud piæ mem. Ferdinandum Secundum in Imperatorem Electum residenti Nuncio, ut eumdem Philippum Christophorum Archiepiscopum, et Electorem Treveren., et Episcopum Spiren., qui etiam tunc de facto detinebatur, imposterum nomine nostro, et Sedis Apostolicæ in custodiam reciperet, et detineret, prout latius in nostris literis in simili forma Brevis sub Annulo Piscatoris, die ultima Junii Anno 1635. expeditis continetur.

In cujus executionem idem Episcopus per aliquot annos in custodiam detinuit Archiepiscopum Treviren.

§. 2. Præterea idem Malatesta Nuncius in executionem prædictarum nostrarum literarum ipsum Philippum Christophorum, etiam ad instantiam ejusdem Ferdinandi II. in Imperatorem electi in custodiam recepit, & per aliquot annos detinuit.

Cum tamen usque tunc nihil probatum fuisset.

§. 3. Cumque detentio, & custodia prædicta spatio Biennii, ac majoris temporis perdurasset, & tamen usque tunc nihil deductum, nec minus probatum fuisset, propter quod ipse Philippus Christophorus Archiepiscopus Elector, & Episcopus juxta canonicas sanctiones esset detinendus.

Ideo Pontifex mandavit, ut dimitteretur.

§. 4. Nos calamitatibus, ac damnis tam personæ dignitatis pontificialis, & electoralis, quam suis Ecclesiis insignibus prædictis, ut per suas literas Nobis pluries scriptas idem Philippus Christophorus affirmabat, de facto illatis paterna charitate compatientes, ipsiusque, & suarum Ecclesia-

clesiarum prædictarum indemnitati, quantum Nobis ex alto concedebatur, consulere volentes, eidem Malatestæ Nuncio dedimus in mandatis, ut eumdem Philippum Christophorum aperta defensione, & custodia dimitteret, & liberaret, ut apud suas Ecclesias residere animasque Christifidelium sibi commissas verbo, & exemplo pascere posset, prout latius in literis nostris in simili forma Brevis sub Annulo Piscatoris sub die decimaseptima Decembr. 1637. continetur.

Cum facultatibus eidem Malatestæ Episcopo lites in Rom. Cur. non pendentes componendi.

§.5. Insuperque per alias nostras literas, eidem Malatestæ Nuncio directas facultatem decidendi, & componendi lites, ac defferentias ejusdem Philippi Christophori, illasque non tamen in Romana Curia pendentes, terminandi concessimus.

Cum tamen idem Episcopus nihil hucusque gesserit.

§.6. Verum, quia inimico hominis Zizania disseminante, hæ nostræ adhuc effectum suum non sunt sortitę; Idcirco, ut tandem post lapsum quinque annorum prędicta detentio juxta reiteratas instantias ejusdem Philippi Christophori Archiepiscopi Electoris, & Episcopi suis literis Nobis factas cesset cum etiam hactenus coram Nobis non fuerit aliquid deductum, nec probatum, propter quod ipse Philippus Christophorus de jure detineri debeat,

Deputat Archiep. Athenarum.

fraternitatem tuam in locum ejusdem Malatestæ quoad præmissa in omnibus, & per omnia, etiam quoad ipsam Philippi Christophori Archiepiscopi Electoris, & Episcopi prædicti consignationem subrogamus, ac remota omni, & quacumque appellatione, etiã non frivola procedendi, ac quæcumque omnia, & singula faciendi, & exercendi, ac exequendi, quæ super præmissis omnibus, & singulis, eorumque incidentibus, emergen., annexis, & connexis erunt quomodolibet necessaria, & opportuna facultatem, & auctoritatem plenam, & amplam, tenore præsentium fraternitati tuæ concedimus, & impertimur.

Derogat obstantibus.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac quibuslibet Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus, ac alias editis etiam Cancellariæ nostræ Apostolicæ regulis, etiam individuam derogationem requiren., ac re: me: Bonifacii PP. VIII. Prędecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, privilegiis quoque, indultis, ac statutis, etiam juramento confirmatis, ac confirmatione apostolica roboratis, consuetudinibusque, etiam immemorabilibus, cæterisque contrariis quibuscumque, quorum omnium, & singulorum tenores pro plene expressis, & insertis habentes, illis ad præmissorum effectum plenissime derogamus.

Dat. die 23. Septem. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die 23. Septembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXXVIII.

Episcopo Civitatis Castelli committitur Inquisitio in RempublicamLucanam super nonnullis atteutatis coutta libertatem Ecclesiasticam.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili Fratri Cæsari Episcopo Civitatis Castelli.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Antiani, & Ministri Reipublicæ Lucanæ immunitatem ecclesiasticam violavant.

§.1. CUm, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, Antiani, Vexillifer, Justitiæ, & Reipublicæ Lucan. aliqua fecerint, seu per eorum Officiales, & Ministros fieri jusserint in spretum Cardinalitiæ, & Episcopalis, quæ in dilecto filio nostro Marco Antonio tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbytero Cardinali Franciotto nuncupato Ecclesiæ Lucan. ex concessione, & dispensatione apostolica Præsule residet, dignitatis, ex quibus immunitas, & libertas Ecclesiastica cum Christifidelium scandalo, Sacrorum Canonum, ac Conciliorum universalium, & Apostolicarum Constitutionum etiam in die Cęnæ Domini legi solitarum transgressione pœnarum, & censurarum in illis comminatarum, etiam inflictarum incursu læditur, & violatur.

Hujus Causæ cognitionem Episcopo Civitatis Castelli committit Urbanus.

§.2. Nos, qui dictam Rempublicam ob ejus singularem catholicæ religionis zelum, & erga personam nostram, ac Sanctam Sedem hanc observantiam, & obedientiam, semper sincere in Domino dileximus, & diligimus, valde dolemus, cogi nos propter indebitos Magistratuum, & Officialium ipsius Reipublicę propriæ salutis oblitorum actus nonnullorum iniqua consilia, contra istos, & illam canonice animadvertere, sed cum immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ supremi Judices, & defensores a Domino constituti simus, impunitam perturbatorum, & violatorum ejus audaciam nequaquam relinquere debemus; Itaque de expectata tua in nostris, & Sanctæ Sedis negotiis tibi pro tempore commissis fide, prudentia, integritate, & doctrina plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolice potestatis plenitudine, tibi harum serie committimus, & mandamus, ut quamprimum ad Civitatem Lucan., aut alium locum prout tibi expedire videbitur, & placuerit, & extra temporale dominium Reipublicæ hujusmodi te conferas, & inibi causam, & causas super omnibus, & singulis præmissis, cæterisque in derogationem, & violationem immunitatis, & liberatis ecclesiasticæ quomodolibet perpetratis, & forsan, quod Deus avertat, perpetran., ac inde sequutis, & forte sequen. rebusque aliis ex processu desuper facien. quomodolibet resultan. cum omnibus suis, & il-

& illarum incidentibus, emergen., connexis, & annexis, tam conjunctim, quam divisim, & tam ad instantiam dilecti filii Francisci Castagnacci, quem in procuratorem seu promotorem, in causa, & causis hujusmodi deputavimus, & quatenus opus sit, etiam deputamus, quam ex Inquisitione, & Officio, & aliàs prout tibi videbitur motas, & movendas contra Antianos, Vexilliferum Justitiæ, Consiliarios, Judices, Ministros, & Officiales quoscumque Reipublicæ, & Civitatis Lucan. prædictarum, cæterosque quoslibet tam Laicos, quam Clericos seculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, ac Militiæ, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, regulares quantumlibet exemptos, etiam speciali nota, & individua expressione dignos, quoquo modo in præmissis culpabiles, eorumque complices, & fautores, & qui in præmissis opem, auxilium, consilium, & favorem, quovis modo præstiterunt, vel præstiterint, ac etiam, ut præmissa hujusmodi fierent, vel fiant mandaverunt, vel mandaverint, aut commissionem, vel mandatum tam verbo, & oretenus, quam in scriptis, & aliàs quomodolibet dederunt, vel dederint, quacumque dignitate mundana, vel ecclesiastica fulgeant, ac cujuscumque status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existant, & si tales sint, qui in generali dispositione non comprehendantur, sed speciali, & individua mentione indigeant, quorum omnium, & singulorum nomina, cognomina, dignitates, qualitates, & præeminentias hic haberi volumus pro expressis aliosque in exequutione præsentium nominandos, etiam summarie, simpliciter, & de plano, ac sine figura, & strepitu Judicii non servatis quibusvis juris communis, & municipalis, ac legum, statutorum, & stilorum quorumlibet, solemnitatibus, & formalitatibus, etiam substantialibus, ipsisque Reipublicæ, Antianis, Vexillifero, Consiliariis, Judicibus, Ministris, & Officialibus, aliisque prædictis etiam per edictum publicum, constito etiam summarie extrajudicialiter, ac quantum tibi sufficere videbitur de non tutu accessu, tam conjunctim, quam divisim citatis cognoscas, audias, decidas, & fine debito termines, ac Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, Judices, Ministros, & Officiales Reipublicæ, & Civitatis Lucan. prædictarum, & quoscumque alios culpabiles in præmissis repertos, in pœnam etiam excommunicationis majoris, a qua nonnisi a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, & tunc cum reincidentia ipso jure, quatenus convalescat, absolvi possint, aliasque pœnas, & censuras ecclesiasticas a Sacris Canonibus, & Conciliorum universalium, & Apostolicis Constitutionibus, etiam in die Cœnæ Domini legi solitis contra similia perpetrantes, eorumque complices, fautores, &, cœteros, qui illis, vel eorum alicui consilium, auxilium, favorem quomodolibet præstiterunt, vel præstiterint, seu ut talia fierent, vel fiant jusserunt, & mandaverunt, seu jusserint, & mandaverint, ut præfertur, latas, comminatas, & inflictas, necnon amissionis, & privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum, ac etiam jurium, & bonorum quorumcumque, si quæ forsan a Romana, vel aliis Ecclesiis, & Locis Piis, in feudum emphiteusim, aut alias quomodolibet concessa habent, incidisse, & incurrisse declares, & publices, ac sic declaratos, & publicatos ab omnibus tamquam membra putrida, ac a communione fidelium, & mistico Ecclesiæ corpore recisa, omnino vitare debere decernas.

Cum facultatibus contra non parentes ad alias graviores pœnas procedendi

§.3. Sicque Antiani, Vexillifer, Consiliarii, Judices, Officiales, & Ministri Civitatis, & Reipublicæ prædictæ, infra terminum a Te eis præfigendum sententiæ per Te contra illos tam conjunctim, quam divisim ferendæ, vere, realiter, & cum effectu non paruerint, & excommunicationem sic a Te declaratam animo, quod absit, substinuerint indurato, tunc eãdem sententiam agravant Civitatem Lucan., ac quæcumque Oppida, Terras, Castra, & loca, universumque temporale dominium dictæ Reipublicæ, Ecclesiastico supponas, & subiicias interdicto, ac supposita, & subjecta esse, & fore nuncies, & declares, ac decernas, aliaque omnia, & singula in præmissis, necessaria, & quomodolibet opportuna geras, facias, & exequaris, ac exequi cures, etiam omni, & quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis.

Necnon etiam facultatẽ concedit compellendi, quoslibet ad testimonium perhibẽdum.

§.4. Nos enim tibi in præmissis, necnon ad eruendam rerum gestarum, & forsan gerendarum veritatem, quoscumque tam laicos quavis dignitate, ut præfertur, præditos, quam Clericos seculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, ac Militiæ, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, regulares, & qualitercumque exemptos, cæterasque quascumque personas ecclesiasticas, etiam speciali nota dignas non solum in dicta Civitate Lucan. ejusque districtu, & ditione, sed etiam in aliis Civitatibus, & locis finitimis, seu contiguis, & vicinis, ac alibi etiam extra temporale Dominium dictæ Reipublicæ commorantes, & ubivis locorum existentes, ad perhibendum testimonium veritati super præmissis omnibus, & singulis per opportuna juris, & facti remedia, ac per censuras, & pœnas ecclesiasticas, cum iis nimirum personis, cum quibus ita expedire judicaveris cogendi, & compellendi, plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, & potestatem, earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Mandatum de ei parendo.

§.5. Mandantes propterea omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Eccle-

Ecclesiarum Prælatis, & personis ecclesiasticis quibuscumque, cæterisque Nobis, & Sedi prædictæ in spiritualibus, aut temporalibus quoquomodo subjectis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis arbitrio nostro declarandis, ut Tibi, tamquam nostro, & dictæ Sedis Commissario, in præmissis, & nominatim in illis, in quibus tu eos ex parte nostra hanc ob rem requisiveris, pareant, faveant, & assistant, necnon ad exequen. mandata nostra hujusmodi auxilium, & favorem opportunum prompte præstent, & exhibeant.

Obstantibus derogat.

§.6. Non obstan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Militiarum quarumlibet, ac ipsius Reipublicæ, & Civitatis Lucan., ac quarumvis aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis dictæ Civitati, & Reipublicæ Lucan. Antianis, Vexillifero, Consiliariis, Judicibus, & Ministris, aliisque prædictis tam conjunctim, quam divisim, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, vel alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo, ad verbum insererentur præsentibus pro expressis, & insertis, & formam hujusmodi pro servata habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Civitati, & Reipublicæ Lucan. hujusmodi, ac Antianis, Vexillifero, Consiliariis, Judicibus, Officialibus, & Ministris, aliisque prædictis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi, vel compelli, aut quod citari, seu Judicium coram Judicibus de eorum consensu non deputatis etiam a Sede Apostolica evocari, vel quod interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualitercumque alia ejusdem Sedis indulgentia generali, vel speciali per quam præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, ejusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Dat. die 24. Septem. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Septembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

In idem Argumentum, addita nonnullarum facultatum concessione eidem Episcopo Pisauren. Judici delegato.

Ven. Fratri Cæsari Episc. Civitatis Castelli.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. frater salutem, & apost. benedictionem.

Causa inter Card. Franciottum, & Remp. Lucanam super violatione immunitatis ecclesiasticæ pendens

§.1. CUM, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, inter dilectos filios nostrum Marcum Antonium tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbyterum Cardinalem Franciottum nuncupat. Ecclesiæ Lucanæ ex concessione, & dispensatione apostolica Præsulem ex una, necnon Antianos, Vexilliferum Justitiæ, & Rempublicam Lucanam partibus ex altera, nonnullæ simultates, & controversiæ versantur, quarum occasione quædam in odium ipsius Marci Antonii Cardinalis, ejusque Cardinalitiæ, & seu Pontificalis dignitatis contemptum per Antianos, Vexilliferum, & Rempublicam hujusmodi, seu ipsorum jussu, vel permissu per eorum Officiales, & Ministros commissa esse dicuntur, de quibus fama, & clamor ad Nos jam pervenit, & ex quibus jurisdictio, & immunitas ecclesiastica cum Christifidelium scandalo, Sacrorumque Canonum, & Conciliorum, & Apostolicarum Constitutionum transgressione, pœnarumque, & censurarum in illis comminatarum, & inflictarum incursu læditur, & violatur.

Episcopo Civitatis Castelli dijudicanda committitur.

§.2. Nos pro pastoralis officii nostri ratione de præmissis diligenter inquiri, ac jurisdictionem, & libertatem ecclesiasticam, cujus custodes, & defensores a Domino constituti sumus, adversus quoscumque violatores, & perturbatores, opportunis juris remediis tueri, & asserere volentes, de spectata tua in nostris, & hujus Sanctæ Sedis negotiis tibi pro tempore commissis fide, prudentia, integritate, & doctrina plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, te nostrum, & Sedis prædictæ Commissarium, ad inquirendum super præmissis omnibus, & singulis, cæterisque in derogationem jurisdictionis, & libertatis ecclesiasticæ quomodolibet per-

perpetratis, & forsan perpetrandis, & quibusvis inde sequutis, & forte sequendis, ac ad infrascripta etiam faciendum, & exequendum, tenore præsentium ad nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum facimus, constituimus, & deputamus;

Mandatum eidem Episcopo de se statim Lucam conferendo.

§.3. Mandantes tibi, ut assumpto te, cum aliquo Notario dilecti filii causarum Curiæ Cameræ nostræ Apostolicæ generalis Auditoris, necnon aliquo viro probo, & perito, qui dilecti pariter filii Procuratoris Fisci nostri vices hac in causa gerat, & aliis tibi benevisis quamprimum ad Civitatem Lucan. recto tramite, ac omni mora, & impedimento sublatis, te conferas, & ibi, vel in alia Civitate, & loco per te ad hoc, arbitrio tuo eligendo, super præmissis omnibus, & singulis diligentem, & fidelem informationem, & inquisitionem capias, processus quoscumque contra ipsos Antianos, & Vexilliferum, & alios dictæ Reipublicæ Consiliarios, Officiales, Judices, & Ministros, necnon particulares personas, tam laicos, quam clericos seculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti Regulares quantumlibet exemptos, etiam speciali nota, & expressione dignos, & cæteros quoscumque in præmissis culpabiles, eorumque complices, & fautores, & qui in præmissis hujusmodi auxilium, consilium, & favorem, quovis modo præstiterint, quavis dignitate mundana, vel ecclesiastica fulgeant, etiamsi tales sint, qui in genarali dispositione non comprehendantur, sed speciali mentione indigeant, quorum omnium, & singulorum nomina, cognomina, dignitates, & præeminentias hic haberi volumus pro expressis tam conjunctim, quam divisim formes, fabrices, atque perficias indicia, probationes, informationes, tam verbo, & oretenus, quam aliàs in scriptis, & per inspectionem ocularem, vel tamquam super notorio, necnon examen, & depositiones testium super eisdem sumas, atque recipias.

Et ibi, vel alibi processus fabricando.

Facultas quoscumque ad testimonium perhibendum compellendi.

§.4. Ac quoscumque tam laicos quavis dignitate, ut præfertur, præditos, quam clericos seculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti Regulares, etiam quaotumlibet exemptos, cæterasque quaslibet personas ecclesiasticas, etiam speciali nota dignas, ut præfertur, non solum in dicta Civitate, ejusque districtu, & ditione, sed in aliis Civitatibus, & locis finitimis, seu illi contiguis, & viciuis, ac alibi, etiam extra dominium dictæ Reipublicæ commorantes, & ubicumque locorum existentes ad perhibendum testimonium veritati super præmissis, & aliis supradictis per opportuna juris, & facti remedia, ac per censuras, & pœnas ecclesiasticas, cum his nimirum personis, cum quibus tu ita opus esse judicaveris, auctoritate nostra cogas, & compellas.

Nonnullæ aliæ facultates.

§.5. Dantes tibi insuper facultatem, & potestatem, tam conjunctim, quam divisim, Antianos, Vexilliferum, & Consiliarios hujusmodi dictæ Civitatis, & Reipublicæ Officiales, Judices, & Ministros, aliosque culpabiles quoscumque citandi, monendi, & requirendi, ad personaliter, seu legitime, per Procuratorem respective comparendum, & se etiam præsentandum, infra terminum aliquem competentem, arbitrio tuo præfigendum, coram dilecto filio Magistro Octaviano Raggio Causarum Curiæ dictæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditore literarumque, & Sententiarum Apostolicarum, ac censurarum Ecclesiasticarum, exequutore ad ostendendum, & docendum se citationi, monitioni, & requisitioni hujusmodi realiter, & cum effectu paruisse, alioquin ad audien., & declarari videndum ipsos, pœnas, sententias, & censuras prædictas, respective incurrisse, vel ad dicendum, & allegan. causam si quam habent rationabilem, ob quam præmissa facere minime teneantur, & quare ad exequutionem dictarum pœnarum, & ad alia etiam graviora juris remedia per Nos, cum opus fuerit, declaranda, propter præmissa contra eos procedi, & deveniri non debeat, cum monitione, quod ipsis non comparentibus in terminis præfigendis, procedatur ad declarationem incursus excommunicationis, & interdicti respective illorum contumacia non obstan., & successive ad publicationem, & invocationem quatenus opus erit, auxilii brachii secularis sine remissione.

§.6. Quatenus vero ad Civitatem Lucan. prædictam, & alia loca dictæ Reipublicæ subjecta tutus accessus non pateat, per easdem præsentes tibi præcipimus, & mandamus, ut constito de hoc, quantum tibi sufficere videbitur, te ad aliquem locum proximum, & securum arbitrio tuo conferas, & ibi prædicta omnia, & singula de expressis mandato, & auctoritate nostris apostolicis facias, geras, & exequaris, & supradictos omnes, ac ipsorum quemlibet etiam absentes, & contumaces, ipsosque adeo Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, Officiales, Judices, & Ministros hujusmodi aliosque culpabiles cites, moneas, & requiras, ut præfertur, per affixionem ad valvas, aut per publica edicta in duobus vicinioribus locis ubi tutus erit accessus per te eligan. ad se præsentandum, & excusandum, ut præmittitur, coram dicto Magistro Octaviano Auditore, & ad omnes, & singulos actus in eadem causa usque ad sententiam inclusive faciendos, cum eadem monitione, quod ipsis non comparentibus procedatur, ut supra, ipsorum contumacia non obstan., & contra quoscumque super præmissis, ut præfertur, inquiras, & procedas, culpabiles vero repertos respective carceres, detineas, & sufficientibus præcedentibus judiciis rigoroso examini subiicias, vel in dicta Civitate, aut alibi captos, sub bona, & fida custodia teneas, vel si ita tibi expedire videbitur, ad Almam Urbem nostram transmittas, seu ad præstandum fidejussores de se præsentando in eadem Urbe, coram eodem

dem Magistro Octaviano Auditore, & inde fine illius expressa licentia non recedendo, & alias arbitrio tuo cavendum similiter cogas, & compellas, aliaque geras, facias, & exequaris, quæ pro habenda rei veritate necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna; Quidquid autem in præmissis repereris, in scriptis redigas, & processum manu Notarii prædicti conficias, confectumque, & in autenticam formam redactum ad Nos quamprimum transmitti cures. Nos enim super omnibus, & singulis prædictis plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, & potestatem, ac eam quam Nos ipsi, si præsentes essemus, in præmissis exerceremus, eisdem auctoritate, & tenore tibi concedimus, & impertimur.

Mandatum de eidem Episcopo parendo.

§.7. Mandantes propterea omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac aliis Ecclesiarum Prælatis, & personis ecclesiasticis quibuscumque, cæterisque Nobis, & Sedi prædictæ in spiritualibus, & temporalibus quoquo modo subjectis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis arbitrio nostro declarandis, ut tibi tamquam nostro, & dictæ Sedis Commissario in præmissis, & nominatim in illis, in quibus tu eos ex parte nostra hanc ob rem requisiveris pareant, faveant, & assistant, necnon ad exequendum mandata nostra hujusmodi auxilium, & favorem opportunum, prompte præstent, & exhibeant.

Obstantium derogatio.

§.8. Non obstan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali de duabus dietis, aliisque Apostolicis, & in Conciliis Universalibus Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, & specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, & Institutorum quorumcumque, ac ipsius Civitatis, & Reipublicæ Lucan., & quarumvis aliarum Civitatum, terrarum, & locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, legibus, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis dictæ Civitati, & Reipublicæ Lucan., ac Antianis, Vexillifero, Consiliariis, Officialibus, Judicibus, & Ministris, aliisque prædictis, tam conjunctim, quam divisim sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & formam in illis traditam pro servata habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Civitati, & Reipublicæ Lucan. hujusmodi, ac Antiano, Vexillifero, Conciliariis, Officialibus, & Ministris, aliisque prædictis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi, & compelli, aut quod moneri, requiri, & citari, seu in judicium coram judicibus ab ipsis non deputatis evocari, vel interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia ejusdem Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quam præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, ejusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Septembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

Dat. die 24. Septem. 1639. An. XVII.

DCXXX.

In Idem Argumentum cum additione aliarum facultatum.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Cæsari Episcopo Civitatis Castelli

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Causā aliā. a se Episcopo Civitatis Castelli commissam.

§.1. Nuper a Nobis accepto, quod occasione nonnullarum simultatum, & controversiarum inter dilectos filios nostros Marcum Antonium tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbyterum Cardinalem Franciottum nuncupatum, Ecclesiæ Lucan. ex concessione, & dispensatione apostolica Præsulem ex una, necnon Antianos, Vexilliferum Justitiæ, & Rempublicam Lucan. ex altera partibus vertentium, quædam in odium ipsius Marci Antonii Cardinalis, ejusque Cardinalitiæ, & Sacræ Pontificalis dignitatis contemptum, per Antianos, Vexilliferum, & Rempublicam hujusmodi, seu ipsorum jussu, vel permissu per eorum Officiales, & Ministros commissa esse dicebantur, ex quibus jurisdictio, & immunitas ecclesiastica violatur; Nos de præmissis diligenter inquiri, ac jurisdictionem, & libertatem ecclesiasticam adversus quoscumque viola-

violatores, & perturbatores asserere volentes; Te nostrum, & Apostolicæ Sedis Commissarium, ad inquirendum super præmissis omnibus, & singulis, aliisque in derogationem jurisdictionis, & libertatis prædictæ perpetratis, & forsan perpetrandis, ac inde sequutis, & forte sequen. ad nostrum, & Sedis Apostolicæ prædictæ beneplacitum constituimus, & deputavimus, tibique, ut quamprimum ad Civitatem Lucan. te conferres, & ibi, vel in alia Civitate, & loco per te ad hoc arbitrio tuo eligen. super præmissis diligentem informationem caperes, ac processus contra Antianos, Vexilliferum prædictos, & alios dictæ Reipublicæ Consiliarios, Ministros, & Officiales, & cæteros in præmissis culpabiles, eorumque complices, & fautores tam conjunctim, quam divisim formares, atque perficeres; ipsosque Antianos, Vexilliferum, & alios prædictos tam conjunctim, quam divisim, etiam per edictum, si liber ad dictam Civitatem non pateret accessus, citares, moneres, & requireres, ad comparendum per se, vel legitime per Procuratorem coram dilecto filio Magistro Octaviano Raggio causarum Curiæ Cameræ nostræ Apostolicæ generali Auditore, ac Literarum Apostolicarum, & censurarum, pœnarumque ecclesiasticarum exequutore, ad docendum se citationi, monitioni, & requisitioni hujusmodi paruisse, alioquin ad audien., & declarare videndum se pœnas, sententias, & censuras ecclesiasticas contra similia perpetrantes comminatas, & inflictas incurrisse, vel ad dicendum causam, quare præmissa facere non tenerentur, & ad declarationem hujusmodi contra eos procedi non deberet, & ad omnes, & singulos actus in causa hujusmodi usque ad sententiam inclusive faciendos; Utque processum super præmissis scribi, & confici per Notarium dicti Auditoris Generalis ad hoc per te assumptum, ac confectum, & in authenticam formam redactum ad Nos quamprimum transmitti curares, mandavimus, & aliis prout in nostris in simili forma Brevis die 24. Septembris proxime præteriti desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes uberius continetur.

Alias addit facultates.

§. 2. Nunc autem quo causa hujusmodi celerius cognoscatur, & fine debito terminetur, providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi harum serie, committimus, & mandamus, ut causam, & causas prædictas super omnibus, & singulis præmissis, rebusque aliis ex processu ante fabricando quomodolibet resultantibus cum suis, & illarum incidentibus, emergentibus, annexisque, & connexis, tam conjunctim, quam divisim, & tam ad instantiam prædicti Procuratoris, seu Promotoris Fiscalis, quam ex Inquisitione, & Officio, & aliàs, prout tibi videbitur, motas, & movendas, contra Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, Judices, Officiales, & Ministros prædictos, aliosque in dictis nostris literis nominatos, & expressos, & cæteros omnes alios in exequutione præsentium nominandos in præmissis culpabiles, summarie, et de plano, ac sine figura, et strepitu Judicii, solaque facti veritate inspecta, ipsisque tam conjunctim, quam divisim, etiamsi per edictum publicum, constito etiam summarie, et extrajudicialiter, et quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, citatis cognoscas, audias, decidas, et fine debito termines, ac Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, Judices, Officiales, & Ministros dictæ Civitatis, et Reipublicæ Lucan., ac quoscumque alios culpabiles in præmissis repertos in pœnam excommunicationis majoris, a qua nonnisi a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice præterquam in mortis articulo constituti absolvi possint, aliasque pœnas, & censuras ecclesiasticas prædictas, necnon amissionis, & privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum, & indultorum, ac etiam jurium, & bonorum quorumcumque, si qua forsan a Romana, vel aliis Ecclesiis, & Locis Piis in Feudum, aut aliàs quomodolibet concessa habent, incidisse, & incurrisse declares, & publices. Et si Antiani, Vexillifer, Consiliarii, Judices, Officiales, & Ministri Civitatis, & Reipublicæ hujusmodi infra terminum competentem a te eis præfigendum declarationi, & publicationi per te faciendæ non paruerint, & excommunicationem sic a te declaratam animo, quod absit, sustinuerint indurato, tunc sententiam hujusmodi aggravans, Civitatem Lucan., & quæcumque alia Oppida, Terras, Castra, & loca, universumque temporale dominium dictæ Reipublicæ Ecclesiastico interdicto supponas, ac suppositam esse, & fore nuncies, & declares, aliaque omnia, & singula in præmissis necessaria, & quomodolibet opportuna geras, facias, & exequaris, etiam omni, & quacumque etiam non frivola appellatione, reclamatione, recursu, nullitate, etiam ex tribus aliisque remediis ordinariis, & extra ordinariis penitus, & omnino remotis. Nos enim tibi desuper plenam, amplam, liberam, & omnimodam facultatem, & potestatem concedimus, & impertimur.

§. 3. Non obstant. quoad ea, quæ præsentibus adversantur, literis nostris prædictis, ac omnibus illis, quæ in eisdem literis voluimus non obstare, necnon stylo Curiæ Romanæ, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Septembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII. Dat. die 30. Septem. 1639. An. XVII.

Decla-

DCXXXI.

Ex Regest. in Secret. &c.

Declarat Lapides Cogoli vulgo nuncupatos, conflandæ Cryſtalli maſſæ aptos, qui in Agro Romano ubivis etiam ſub terra, ſeu lapidicinis reperiuntur, comprehendi inter regalia Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD Romani Pontificis ſpectat officium boni Patrisfamilias exemplo, jura Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ ſarta tecta, quantum cum Domino poteſt, conſervare, & ne a quoquam indebite uſurpentur, ſedulo providere.

Declaratio, prout in rubr.

§.1. Cum itaque Nos artem conflandi maſſas Cryſtalli, & inde ſpecularia, Cyathos, & alia opera conficiendi in Alma Urbe noſtra, benedicente Domino, ad utilitatem publicam introducere intendamus, & ſicut accepimus, in variis tenimentis, & caſalibus in Agro Romano exiſtentibus Lapides Cogoli vulgo nuncupati conflandis Cryſtalli maſſis inſervientes reperiantur, qui de regalibus Sedis, & Cameræ prædictæ eſſe dignoſcuntur; ne tamen hac de re apud imperitos dubitari contingat, & ut omnes prætextus ignorantiæ, quo lapides hujuſmodi contra fas, & æquum uſurpare, & ſibi appropriare volentes cupiditatem ſuam palliare poſſent, plane removeantur, motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & quoſcumque Lapides Cogoli nuncupatos hujuſmodi, qui in caſalibus, & tenimentis Agri Romani prædicti ad quaſvis perſonas, & loca etiam pia, & quantumvis privilegiata, & privilegiata ſpectantibus, & pertinentibus, ſive hinc illinc ſparſi, ſive coacervati, & tam in ſuperficie terræ, quam intra illam, & ſub illa, ac in fodinis, & lapidicinis exiſtunt, & reperiuntur, ac in futurum exiſtent, & reperientur, fuiſſe, & eſſe, ac reſpective fore de Regalibus Sedis, & Cameræ hujuſmodi, & ad eam pleno jure ſpectaſſe, & pertinere, itaut nemini prorſus liceat dictos Lapides ex tenimentis, & caſalibus, ac fodinis, & lapidicinis hujuſmodi abſque ſpeciali noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, ac Miniſtri ad exercitium artis prædictæ, & ad aperiendum fornacem, ſeu fornaces in dicta Urbe pro ejuſdem artis introductione, & exercitio deputandi licentia colligere, effodere, evehere, extrahere, ac auferre, tenore præſentium declaramus, & quatenus opus ſit, decernimus.

Prohibitio dictos Lapides colligendi.

§.2. Inhibentes propterea omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ſub pœnis etiam perſonalibus, et pecuniariis arbitrio perſonæ in ſuperintendentem artis hujuſmodi per Nos deputandæ infligendis, & applicandis, ne abſque dicta licentia Lapides hujuſmodi in locis præfatis quovis prætextu, colore, & ingenio colligere, effodere, vel ex illis evehere, extrahere, & auferre audeant, vel præſumant.

Clauſulæ.

§.3. Ac decernentes, præſentes literas etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, minuſve ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes literæ emanarunt, adductæ, & ſufficienter, aut etiam nullatenus juſtificatæ, & verificatæ fuerint, & ex quocumque alio capite, cauſa, occaſione, & prætextu de ſubreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quocumque defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, reſcindi, in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ac ſic conceſſo quæpiam in judicio, vel extra uti minime poſſe, ſed eaſdem præſentes ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, plenamque roboris firmitatem obtinere, & inviolabiliter obſervari; Sicque deſuper per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac quoſvis alios quacumque auctoritate fungentes in qualibet inſtantia ſemper, & ubique, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis alirer judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit noſtra de jure quæſito non tollendo, necnon legibus, & municipalibus, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſt., quibuſvis perſonis, & locis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, et ſingulorum tenores, præſentibus pro plene, et ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter,

liter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Septem. 1639. An.XVII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima octava Septembris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCXXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Deputatio Francisci Castagnacci in Procuratorem Fiscalem Causæ, & Causarum contra Antianos, Vexilliferum, & alios Officiales, & Ministros Reipub. Lucanæ.

Dilecto filio Francisco Castagnaccio J. V. D.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Motivum deputationis faciendæ refert.

§.1. CUM Nobis nuper innotuisset occasione nonullarum simultatum, & controversiarum inter dilectos filios nostrum Marcum Antonium tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbyterum Cardinalem Franciottum nuncupat. Ecclesiæ Lucan. ex concessione, & dispensatione apostolica Præsulem ex una, ac Antianos, Vexilliferum Justitiæ, & Rempublicam Lucanam ex altera partibus verteutium, quædam in odium ipsius Marci Antonii Cardinalis, ejusque Cardinalitiæ, & seu Pontificalis dignitatis contemptum, per Antianos, Vexilliferum, & Rempublicam hujusmodi, seu ipsorum jussu, vel permissu, per eorum Officiales, & Ministros, commissa fuisse, ex quibus jurisdictio, & immunitas ecclesiastica violatur.

Narrat commissionem Episcopo Civitatis Castelli iampridem datas.

§.2. Nos de præmissis diligenter inquiri, & jurisdictionem, ac libertatem ecclesiasticam adversus quoscumque violatores asserere volentes, Venerabilem Fratrem Cæsarem Episcopum Civitatis Castelli in nostrum, & Apostolicæ Sedis Commissarium ad inquirendum super præmissis, & aliis in derogationem jurisdictionis & libertatis ecclesiasticæ quomodolibet perpetratis, & forsan perpetrandis, ac inde sequutis, & forte sequendis, ad nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum coustituimus, & deputavimus, mandantes eidem Cæsari Episcopo, ut assumpto aliquo Notario dilecti filii causarum Curiæ Cameræ nostræ Apostolicæ generalis Auditoris, & aliquo viro probo, & perito, qui dilecti pariter filii Procuratoris Fisci nostri vices in causa hujusmodi ageret, quamprimum se ad Civitatem Lucan. conferret, et ibi, vel in alio loco sibi beneviso diligentem super præmissis informationem caperet, processusque contra Antianos, Vexilliferum prædictos, aliosque dictæ Reipublicæ Consiliarios, Judices, Officiales, et Ministros, et cæteros in præmissis hujusmodi culpabiles formaret, et perficeret; et subinde eidem Cæsari Episcopo commisimus, et mandavimus, ut causam, & causas super præmissis, et aliis ex processu per eum faciendo resultantibus cum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, tam conjunctim, quam divisim, & tam ad instantiam Procuratoris, seu Promotoris Fiscalis, quam ex inquisitione, & officio, & aliis prout sibi videretur motas, & movendas contra Antianos, Vexilliferum, & alios prædictos, cæterosque in exequutione commissionis nostræ hujusmodi nominandos cognosceret, audiret, decideret, & fine debito terminaret, & aliàs prout in binis nostris in simili forma Brevis diebus 24. & 30. Septembris proximi præteriti respective expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§.3. Nnnc autem de viro probo, & perito, qui in causa, & causis hujusmodi partes Procuratoris, seu Promotoris Fisci nostri agat, & sustineat providere volentes, ac de tua fide, prudentia, integritate, & doctrina, plurimum in Domino coufisi, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine te in causa, & causis huiusmodi Procuratorem, seu Promotorem Fisci nostri, tenore præsentium ad nostrum, & Sedis prædictæ beneplacitum facimus, constituimus, & deputamus, mandantes tibi, ut quamprimum eumdem Cæsarem Episcopum convenias, & cum illo ad dictam Civitatem, & alia loca, ad quæ ipse Cæsar Episcopus ibit, vel te mittet accedas, ac Procuratoris, seu Promotoris Fisci nostri partes in causa, & causis hujusmodi contra Antianos, & Vexilliferum prædictos, & alios in dictis nostris literis nominatos, ac in illarum exequutione nominandos agas, & substineas. Nos enim tibi desuper plenam amplam, & liberam facultatem concedimus, & impertimur. — Nunc autem, deputat, prout in Rubr.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur literis nostris prædictis, ac omnibus illis, quæ in eisdem literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 4. Octobr. 1639. An.XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die quarta Octobris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Decla-

DCXXXIII.

Declarat Religiosos Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, circa nullitatem professionis reclamantes, esse veros professos: Et qui professionem aote vigesimumprimum annum emiserunt, esse veros Clericos.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. Religiosos viros, qui spretis hujus sæculi vanitatibus divini numinis obsequiis sub suavi religionis jugo sese maocipaverunt, pastorali charitate complectimur, utque in vocatione, qua vocavit eos Dominus, permaneant, ibique sublatis quibusvis perturbationibus tranquille famulentur, juxta creditum Nobis apostolicæ servitutis munus, sedulo intendimus, ac desuper ejusdem muneris partes propensis studiis interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. §.1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli Religiosi Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatarum, circa nullitatem Professionum regularium per eos emissarum, prætextu non servatæ formæ Constitutionum ejusdem Congregationis, apostolica auctoritate confirmatarum reclament, ac in eadem Congregatione circa distinctionem inter Clericos, & Laicos nonnullæ differentiæ vigeant.

Declaratio, prout in rub. §.2. Nos in præmissis, quantum Nobis ex alto coocediitur, opportune providere volentes, de nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, & Theologorum, qui pluries auditis partibus negotium hujusmodi mature jussu nostro discusserunt, consilio dictos Religiosos reclamantes circa nullitatem professionum, sub prætextu non servatæ formæ Constitutiooum prædictarum, non esse audiendos, & maxime post quinquennium, ac insuper omnes Religiosos reclamantes hujusmodi, qui emiserunt Professionem ante vigesimumprimum annum elapsum, esse veros Clericos, & si infra tempus a dilecto filio nostro Alexandro S. Eustachii Diacono Cardinali Cæsarino nuocupato Congregationis prædictæ apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore assignandum, fuerint idonei reperti, posse ad omnes etiam Sacros Ordines promoveri, apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.

Validat professiones. §.3. Et quoniam, sicut pariter accepimus, aliqui ex prædictis Religiosis minime tuti sibi videntur de validitate suæ professionis propter defectum solemnitatum ex suo Instituto requisitarum, eorum conscieotiæ, & quieti consulere volentes, quandocumque aliquis, vel aliqui ex istis Professiones suas ratas habere voluerint, Nos eas ex oune acceptamus, & validamus, atque ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque inhabilitates, quas, si ab initio valide professi fuissent, haberent, & obtinerent, restituimus, ac restitutos eo ipso esse, & censeri decernimus, itaut habeaot eumdem locum, sessionem, & votum, pront haberent, si priores professiones validæ fuissent, & nondum promoti ad omoes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, servatis aliàs servandis, promoveri, & tam ipsi, quam alii ad eosdem Ordines jam promoti in susceptis Ordinibus hujusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite valeant, oecnon omnes actus, quos contraxerunt, & legitime contraxissent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius Religionis viris, si oullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quia ioiti, aut contracti sunt invalide ab eis qui sine prædictis solemnitatibus professi sunt, auctoritate nostra prædicta confirmamus, & approbamus, ac valida omnino esse volumus, & declaramus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque pleoarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omuibus, & singulis, quos illa coneernunt, & concerneut, quomodolibet io futurum, in omnibus, & per omoia plenissime suffragari, eosque præmissorum occasione, vel prætextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, nec debere; sicque, & non aliter ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, in quavis causa, & iostautia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.5. Noo obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinatiooibus Apostolieis, oecnon Coogregationis etiam juramento Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apost. illi, ejusque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in coutrarium, motu proprio, & ex certa scientia, & apostolicæ potestatis plenitudine, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habeoda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter

cienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentium notitia ad omnes facilius perveniat, volumus ut harum exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 22. Octobris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Dat. die 22. Oct. 1639. An. XVII.

DCXXXIV.

Ex Regest. In Secret. Brev.

Comitem de Olivares hortatur, ut curet reditum in Portugalliæ Regnum Collectoris spoliorum, utque ille munere suo absque ullo impedimento fungi valeat.

Dilecto filio nobili viro Gaspari de Guzman Comiti de Olivares, & Duci de Sanlucar.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili Nobilis vir salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium ab ipsa materia sumptum.

CLamores tot gravaminum, quæ in Regno Portugalliæ, & Algarbiorum magno cum animarum Christifidelium detrimento contra Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ejusque Sedem Apostolicam in dies magis excitantur, & fiunt, statim atque ad nostras aures pervenerunt, Nos de illis juste conqueri coegerunt.

Refert violentias Collectori spoliorum per Regios Ministros illatas.

§.1. Accepimus enim Officiales, & Ministros Regios, eorumque complices temere, nulliter, ac indebite in Civitate Ulixbonen. contra Ven. Fratrem Alexandrum Episcopum Neocastren. Jurium, & Spoliorum Cameræ Apostolicæ debitorum, in eisdem Regnis Collectorem generalem cum facultate Nuncii Apostolici, nulli, nisi Nobis, & Sedi Apostolicæ subditum, procedere tentasse, ac de facto etiam processisse eo sub prætextu, quod pro officii sui debito ad evitandum, ne Ecclesiæ, Monasteria, etiam Sanctimonialium, & pia loca suis bonis a tempore antiquo possessis, & ad sustentationem, ac victum necessariis spoliarentur, sua generali monitione turbantes, & spoliantes de incursu censurarum monuerat, & excommunicaverat; Insuperque maligno spiritu ducti, juraque tam spiritualia, & ecclesiastica, quam naturalia, & gentium violando, pertinaciaque in deterius utendo, eumdem Collectorem eorum Superiorem Ecclesiasticum violentis actibus nedum inter christianos inauditis, sed ab omni humanitate alienis, tractasse, etiam domi obsidendo, & suorum famulorum servitio, alimentisque etiam spiritualibus, ac libertate naturali privando; cumque in Monasterium Fratrum Sancti Francisci prædictæ Civitatis ad evitandas tot persequutiones per fenestram elapsus se recepisset, ausos, etiam fuisse eumdem Collectorem. Nuncium, & Episcopum, non sine maximo sacrilegio, etiam satellitibus, & militibus armatis associatos a prædicto Monasterio, & loco ecclesiastico violenter extrahere, ineumque tamquam inimicum, & criminosum sævire, & extra ipsa Regna ducere, censuras, & pœnas a Sacris Canonibus, Sacrorumque Conciliorum Universalium decretis, & Constitutionibus Apostolicis etiam in die Cenę Domini legi solitis inflictas contemnendo, interdictaque ecclesiastica ab eo posita in aliquibus Parochialibus Ecclesiis ejusdem Civitatis Ulixbonen. non timendo, ab illicita ejus ejectione non abstinuerunt in maximam suarum animarum damnationem, primariique Officiales, & Ministri Apostolici in illis Regnis oppressionem, jurisdictionisque, & immunitatis Ecclesiasticæ gravamen, & læsionem, ac Sedis Apostolicæ, Sanctęque Matris Ecclesię gravissimum damnum, & inter Principes Catholicos pessimum exemplum, ac in eadem Civitate Ulixbonen., ad quam ratione commercii ex aliis nationibus etiam infideles, & Hæretici confluere solent, in maximum Christifidelium scandalum, infideliumque, & hæreticorum in non modicam derisionem. Quas innovationes præsertim hoc tempore nobilitatis tuæ oriri parum decebat, cum æmulis gloriæ tuæ detrahendi ansam præstent, nec credendum videtur, te in illis partem habuisse, quia pie educatus fuisti, & te non nisi virum probum exhibuisse percepimus.

§.2. Cupientes igitur tot scelera, ut decet puniri, & interim scandala quantocitius removeri, cum aliquando ex parva favilla magnum incendium sequi contingat, nisi celeri remedio obviam eatur, nobilitatem tuam hortamur, requirimus, & paterne in Domino monemus, ut gratia, & auctoritate, qua apud charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum, & Portugalliæ, & Algarbiorum Regem Catholicum pollet prędicta omnia, & singula impedimenta ipsi Alexandro Collectori ejusque muneri quomodolibet præstita, tolli, & removeri studeat, ut quamprimum ipse Alexander Collector debita cum dignitate ejus officium, ut prius continuare, & exercere possit, & valeat; Quod si nobilitas tua, ut confidimus, egerit, Nobis rem apprime gratam præstabit, & afficiet, ut prædicti Officiales, & Ministri ac eorum complices, qui propter præmissa, quæ perpetrarunt, seu perpetrantibus auxilium, consilium, vel favorem dederunt, in prædictas censuras, & pœnas eo ipso inflictas inciderunt, suarum animarum saluti consulant, & alii imposterum illas evitent.

Monet, prout in Rubric.

§.4. Cœterum Ven. Frater Cæsar Archiepiscopus Damiaten. Nuncius noster tecum

cum de his plenius differet, & iterum benedictionem apostolicam nobilitati tuæ paterne elargimur.

Dat. die 31. Octobr. 1639. An.XVII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Octobris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Nuncio Hispaniarum, & Collectori Portugalliæ absolvendi eos, qui Collectorem Spoliorum, ac ejus familiam, res, & bona, necnon ipsius officium verbo, aut factis offenderunt, eorumque complices, & fautores.

Ven. Fratri Cæsari Archiepiscopo Damiaten. nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater, salutem, & apostolicam benedictionem.

Cum nonnulli Regii Ministri in Port. & Algarbior Regnis in censuras incurrissent ob offensam personam Alex. Episcopi Neocastren.

CUM, sicut accepimus, nonnulli etiam Officiales, & Ministri Regii in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis propriæ salutis obliti, ac Dei timore postposito, personam Ven. Fratris Alexandri Episcopi Neocastren. jurium, & spoliorum Cameræ Apostolicæ in dictis Regnis Collectorem generalem, & ejus familiam, res, & bona, ac ipsius officium verbis, vel facto male tractaverint, & offenderint, aut male tractan., & offenden. opem, auxilium, consilium, vel favorem præstiterint, censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Universalibusque Conciliis, ac Constitutionibus Apostolicis etiam in die Cœnæ Domini legi solitis contentas, & inflictas propterea incurrendo, fieri vero possit, ut illi, seu aliqui ex eis ad cor reversi a censuris, & pœnis hujusmodi per eos incursis absolvi desiderent;

Earum absolutionis facultatem Hispaniarum Nuncio Pont. concedit.

§.2. Nos cum illis, qui pœnitentiam petierint clementer agere volentes, Fraternitati Tuæ, Officiales, & Ministros Regios, & quoscumque alios, qui prædicta commiserunt, aut committen. opem, auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstiterunt, si, & postquam omnia in pristinum, & eum, in quo, antequam præmissa committerentur, erant statum, restituta, reposita, & plenarie reintegrata, vel ad nostrum, & Sanctæ Sedis Apostolicæ judicium remissa fuerint, aut aliàs desuper pro interim ad effectum recurren. ad Nos, & eamdem Sedem pro terminando bonorum Ecclesiasticorum Cappellæ inibi nuncupatorum negocio, concordatum fuerit, ipsique id a te humiliter petierint, imposita illis arbitrio tuo aliqua pœnitentia salutari, aliisque injungen. injunctis, a quibusvis censuris, & pœnis ecclesiasticis, & in Constitutione in die Cœnæ Domini legi solita contenta, quas præmissorum ratione quomodolibet incurrerunt in forma Ecclesiæ consueta, auctoritate nostra absolvendi facultatem eadem auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 31. Octobr. 1639. An.XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die ultima Octobris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Ven. Fratri Alexandrino Episc. Neocastren. Jurium, & Spoliorum Cameræ Apost. debitorum in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater, salutem, & apostolicam benedictionem.

CUM, sicut &c., postposito personam tuam, & familiam res, & bona tua, ac officium tuum &c. *Reliqua ut in praecedenti.*

Datum Romæ &c. *ut supra &c.*

Ex Regest. in Secret. Brev.

In Idem Argumentum Philippo Regi.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Catholico.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charifs. in Christo fili noster, salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

PAstoralis muneris nostri debitum, & honoris Domus Dei zelus, quibus pro tuendis Sanctæ Ecclesiæ juribus assidue premimur, Nos impellunt, ut in silentio non prætereamus, quæ maxima cum Dei offensione in ipsius Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ detrimentum per Officiales, ac Ministros Majestatis Tuæ in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum nedum contra Sacrorum Canonum dispositionem, sed etiam contra jus naturale, & gentium nuper commissa fuerunt, & forsan ipsi committere non desinunt.

Nonnullas sævitias in personam Episc. Neocast commissas refert.

§.1. Cum itaque non sine gravi animi nostri molestia accepimus Ven. frater Alexander Episcopus Neocastren. Jurium, & Spoliorum Cameræ Apostolicæ debitorum in dictis Regnis Collector Generalis cum facultate Nuncii Apostolici existens ad consulendum saluti animarum, & ad evitandam usurpationem legatorum piorum, & bonorum a Christifidelibus pro suarum animarum suffragio diversis Ecclesiis, ac Monasteriis, etiam sanctimonialium, & locis piis relictorum, ab eis per plures annos pacifice possessorum, quæ inibi Cappellæ

pellæ nuncupantur a Majestatis Tuæ ministris tunc comminatam, & fortasse inceptam fecisset generalem monitionem contra spoliantes, spoliareque volentes ipsas Ecclesias, Monasteria, & loca pia, monendo illos de incursu censurarum, & pœnarum ecclesiasticarum ex ipsis occupationibus resultante, ipsi Officiales, & Ministri, ut quosdam laicos potentiores ditarent, Dei timore postposito, nedum easdem Ecclesias, Monasteria, & loca pia suis bonis etiam ad victum, & sustentationem respective necessariis spoliarunt, sed etiam in prædictum Alexandrum eorum Superiorem Ecclesiasticum, ac Beati Petri, nostrumque, & Sedis Apostolicæ Officialem præcipuum, & Episcopum inhumaniter sævire ausi fuerant, nulliter enim, ac de facto contra ipsum, nulli, nisi Nobis, & Sanctæ Sedi subditum processerunt, & sua pertinacia in deterius utendo, ipsum propria libertate etiam naturali, ac cibariis, commoditateque Missam audiendi, & confessarium sibi necessarium habendi privarunt, famulosque ab ejus servitiis violenter amoverunt, ac etiam per milites, & satellites in ejus propria domo obsederunt, ac etiam eidem ad se deiiciendum e fenestra cum vitæ periculo, ne talia pateretur, causam dederunt, & interdictum Ecclesiasticum ab eo positum, Dei iracundiam provocando parvi fecerunt, ac deinde a Monasterio Fratrum Ordinis Sancti Francisci Civitatis Ulixbonen., ad quam ex exteris nationibus etiam infideles, & hæretici causa commercii confluunt, non sine catholicorum scandalo, ac orthodoxæ fidei inimicorum derisione sacrilege extraxerunt, illumque invitum extra prædicta Regna ad instar facinorosi, & hostis duxerunt in ipsios vilipendium, & Sedis Apostolicæ contemptum, sententias, censuras, & pœnas ab iisdem Sacris Canonibus, & Conciliorum Universalium Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, etiam in Bulla in die Cœnæ Domini legi solita, ipso jure inflictas damnabiliter una cum complicibus suis incurrendo.

Allequutio Regi Catholico ut impedimenta, & sævitias eidem Episcopo factas removeat

§.2. Nos autem, ut Deus ab Ecclesia sua hujusmodi gravem afflictionem avertat, ad eum levabimus oculos nostros, & Religiosi cœtus orationes fundere non intermittent, donec in Domino faciamus virtutem. Interim vero cum non videatur credendum a Rege Catholico scienter talia emanasse; Idcirco sperantes Majestatem Tuam omnia esse in integrum reposituram, & contra delinquentes animadversuram, quantumque adverso animo illa acceperit patefacturam, eamdem Majestatem Tuam paterne in Domino hortamur, & enixe rogamus, ut avitæ virtutis, ac pietatis æmulatrix, Regumque Portugalliæ, & Algarbiorum, qui in similibus negociis pro opportuno remedio ad Sedem Apostolicam recursum habuerunt, vestigiis inhærens, prædicta omnia, & singula impedimenta, & oppressiones removeat, ac removeri faciat, ut idem Alexander Collector debita cum dignitate ad eadem Regna quamprimum reverti, & in exercitio sui muneris continuare, & prosequi, ut prius possit, & valeat: Nos enim prædictorum innovatorum remotionem a Majestate Tua sedulo postulamus; Sedes enim Apostolica, sicuti semper facere consuevit, ab æquitate non recedet, Nobis etiam persuadentes, illam gloriam, quam Tua Majestas pietate in Deum, et propensa voluntate in Sedem Apostolicam, aliisque magnis meritis hucusque assequuta est, inde non parvum augmentum esse recepturum; Et quidquid in favorem prædicti Collectoris a Tua Majestate gestum fuerit Nobis tam gratum erit, quam quæ gratissima accidere possunt. Et super hoc gravissimo negocio cum Majestate Tua fusius differet Ven. Frater Cæsar Archiepiscopus Damiaten. Nuncius noster, ac dum nostram apostolicam benedictionem Majestati Tuæ iterum impertimur, suis ad Deum precibus petimus, ut cœlestium gratiarum dona eidem jugiter elargiatur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die ultima Octobris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo. *Dat. die 31. Octob. 1639. An. XVII.*

In Idem Argumentum Margaritæ a Sabaudia Pro-Reginæ. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

Dilectæ in Christo filiæ Nobili Mulieri Margarithæ à Sabaudia Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Pro-Reginæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecta in Christo filia Nobilis Mulier, salutem, & apostolicam benedictionem.

Super militantis Ecclesiæ specula Dei benignitate constituti, ex nostro pastorali debito non potuimus, nec possumus non improbare, vehementerque damnare tot oppressiones, & gravamina in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nobilitatis Tuæ gubernio commissis per Officiales, & Ministros Regios, contra Venerabilem Fratrem Alexandrum Episcopum Neocastren. in eisdem Regnis Jurium, & Spoliorum Cameræ nostræ Apostolicæ debitorum Collectorem Generalem cum facultate Nuncii Apostolici eorum Superiorem Ecclesiasticum, & spiritualem, & nulli nisi Nobis, & Sanctæ Sedi subditum, ausu temerario, de facto etiam cum insolita violentia temere, & sacrilege gesta, quæ non recensemus, tum quia ob eorum inhumanitatem animus abhorret, tum etiam quia Nos non latet, illa Nobilitati Tuæ fuisse, & esse nimis nota, quæ quanto cum scandalo etiam publico, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ detrimento, & Christifidelium eorumdem Regnorum afflictione, ac hostium catholici nominis gaudio facta fuerint nemo non vidit, sed præceteris Nobilitatem Tuam, de quo valde *Exordium ab ipsa materia sumptum.*

de dolemus, fertur nedum scivisse, sed etiam ad illa indebite facienda auctoritatem Tuam interposuisse; ex illis autem processisse nedum maximam, & notoriam transgressionem sacrorum Canonum, Conciliorum Universalium, & Constitutionum Apostolicarum etiam in die Cœnæ Domini legi solitarum, inauditamque violationem juris spiritualis, & ecclesiastici, ac naturalis, & gentium, sed etiam incursum censurarum, & pœnarum ab illis ipso jure inflictarum, a quibus ipsi transgredien., & complices nonnisi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, non autem a quocumque alio, etiam in vim sanctæ cruciatæ præterquam in mortis articulo absolvi posse, omnibus notum esse volumus, ut quisque suæ animæ saluti consulere possit.

Hortatio de qua in Rubr.

§.1. Interim vero ne tot scandala confoveantur, & in deterius augeantur, Nobilitatem Tuam hortamur, requirimus, & paterne in Domino monemus, ut eos, qui prædicta scelera commiserunt, Tuæque Jurisdictioni subsunt, puniri facias, omniaque impedimenta ipsi Alexandro Collectori præstita, removeas, ut ipse ad prædicta Regna quamprimum cum dignitate reverti, & suum officium ut prius exercere possit. Quod si feceris, obligationi Tuæ satisfacies, & Nobis rem gratam, & rationi congruam prestabis, & iterum Nobilitati Tuæ apostolicam benedictionem impertimur;

Dat. die 31. Octobr. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris diè 31. Octobr. 1739. Pontificatus Nostri Anno XVII.

DCXXXVI.

Ex Regest. in secret. Brev.

Confirmatio Decreti S.P.Q.R. quo statuitur, Notarios Capitum Regionum Urbis ex Collegio Notariorum Capitolinorum esse eligendos.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Decr. S.P.Q.R.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Collegii Notariorum Curiæ Capitolinæ Nobis expositum fuit, quod alias usque de anno 1622. per decretum, & publicum Populi Romani Consilium, decretum fuit, quod Notarii Collegii Capitolini hujusmodi de cætero forent, esseque deberent Notarii Capitum Regionum Almæ Urbis nostræ; quodque Capita Regionum hujusmodi pro tempore existentia nullatenus possent eligere, nec deputare in eorum Regionum Notarios alios, quam ex dicto Collegio pro tempore Notarios, & in eventum, in quem aliquis ex dictis Capitibus Regionum alium, quam ex dicto Collegio deputaret, deputatio præfata nulla, & invalida esset, & dilecti filii ejusdem Almæ Urbis Cameræ Conservatores pro tempore existentes aliquem ex dicto Col-

legio in Notarium Capitum Regionum hujusmodi, ex officio deputare deberent, & alias prout in dicto Decreto plenius dicitur contineri.

Quod apostolica confirmatione roboratur.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Decretum hujusmodi pro illius firmiori subsistentia apostolica auctoritate nostra roborari summopere desiderent; Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præfatum cum omnibus, & singulis in eo contentis per secretum, & publicum Populi Romani Consilium, ut præfertur, factum, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas addit.

§.3. Decernentes illud, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque exponentibus in omnibus, & per omnia suffragari; Sicque per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cameræ, & Almæ Urbis præfatarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 29. Novem. 1639. An. XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Novembris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCXXXVII.

Erectio Provinciæ S. Antonii Regni Portugalliæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum ad instar Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum in Hispania.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

CUm, sicut dilecti filii Franciscus Ulisbonensis Minister Provincialis, & Definitores Provinciæ S. Antonii Regni Portugalliæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum, & illorum nomine Bernardus a Martyribus Commissarius Provincialis, & Guardianus Collegii S. Antonii Colimbriensis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi negotium Reformationis dictæ Provinciæ iisdem fere modis, & modis, quibus Provincia S. Joannis Baptistę Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Regularis Observantiæ ejusdem S. Francisci in Hispania reformata existit, promovere summopere desiderent;

Quod possint recipere nova loca.

§. 2. Nos, qui personarum quarumlibet, præsertim sub suavi Religionis jugo altissimo famulantium quieti, & statui, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, super præmissis opportune providere, ipsosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; Supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis eidem Francisco, & pro tempore existentibus Ministro Provinciali, Custodi, Definitoribus, Guardianis, & Fratribus dictæ Provinciæ Sancti Antonii, ut quascumque Domos, sive heremitoria, seu loca, si quæ sibi a piis Christifidelibus in Portugalliæ partibus concedantur, recipere, & in illis Conventus sui Ordinis erigere, & fundare, servata tamen aliàs Sacrorum Canonum, & Decretorum Sac. Concil. Trident. forma, de sola Ordinarii loci licentia, ac nullo quarumvis aliarum personarum cujusvis Ordinis, Congregationis, aut instituti regularium desuper requisito consensu, ac Domos sui Ordinis, & Provinciæ Sancti Antonii prædictæ, cum Ecclesia, Sacrario, campana, seu campanis humilibus, cœmeteriis, claustro, refectorio, cellis, hortis, aliisque officinis, & ædificiis necessariis erigere, & fabricari facere, ac in illis Fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum domorum Ecclesiis, postquam erectæ, & fabricatæ fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro infirmis asservare, ac divina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare, ut in cæteris Fratrum Discalceat. eorumdem domibus fieri solet ejusdem S. Antonii Provinciæ nunc, & pro tempore existentibus ministris Provincialibus, seu Guardianis, sive alio quovis nomine nuncupatis Prælatis, ad quos de jure, & juxta regularia ejusdem Ordinis statuta apostolica auctoritate confirmata spectat, & pertinet, ut quoscumque prædictum Discalceatorum Ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum domorum erigendarum tam Fratres professi, quam Novitii numerum triginta non excedant, juxta Regularia ejusdem Ordinis instituta, ad habitum, & professionem recipere, & admittere, ac cum aliis Religiosis professis incorporare libere, & licite valeant, licentiam, & facultatem perpetuo concedimus.

Quod utantur solis statutis municipalibus

§. 3. Præterea quod Provincia S. Antonii prædicta, illiusque Fratres, & Conventus suis arctioribus constitutionibus, & statutis, quæ in pleno Capitulo provinciali a majori parte Capituli recepta, & stabilita fuerint, gubernentur, nec ad observanda statuta generalia a Capitulis, vel Congregationibus generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, jam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia ejusdem Ordinis Superiorum mandata, quæ Ministri Provincialis, Custodis, & Definitorum Provinciæ judicio fuerint dictorum Fratrum Discalceatorum reformationi, aut commodo dissentanea, teneantur.

Quod possint celebrare Congreg. juxta morem Religionis.

§. 4. Quod Ministri, seu Prælati Provinciales Congregationes Particulares, quas Definitoriales vocant, quando, & ubi commodis sibi visum fuerit, libere, & licite convocare, & celebrare, ac in eis quaslibet electiones Guardianorum, & aliorum Officiorum facere, & quascumque causas, sive civiles, sive criminales, & negotia ad eamdem Provinciam spectantia, juxta formam Sacrorum Canonum, & regularium statutorum, & suarum Constitutionum Provincialium tractare, definire, & sententiare possint. Quodque Prælati Generales ejusdem Ordinis hujusmodi Congregationes particulares Definitoriales, aut earum electiones seu definitiones, vel decreta, & sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant.

Quod Visitator sit ex Discalceatis.

§. 5. Quod dicta Provincia Sancti Antonii, ejusque nunc, & pro tempore existentes Conventus, & fratres, nisi per Fratres Visitatores Provinciæ Discalceatorum hujusmodi, a Prælatis tam generalibus deputandos nullatenus visitari, aut sindicari possint, quodque hujusmodi visitatores Discalceati in dictam Provinciam ingredi, aut in ea aliquam Jurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem trien-

triennii Ministri Provincialis, nempe post duos annos, & septem menses Provincialatus cujuslibet Ministri Provincialis ejusdem Provinciæ transactos, & non antea; tales autem Visitatores omnia statuta Provincialia ejusdem Provinciæ observare, & juxta illorum tenorem, & præscriptum Provinciam visitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu majoris partis Definitorii plene dispensare valeant, quamvis hoc idem in literis patentibus, & authenticis a Prælatis generalibus, aliisve Superioribus specialiter iisdem indultum, & concessum fuerit.

Vocales ante Cap.tum possint privari voce activa.

§.6. Ut autem omnes ambitionis, & injustitiæ occasiones, quæ sub simulato, ac apparentis correctionis, & reformationis zelo obrepere solent, e medio penitus evellantur, postquam prædicti Visitatores, & Commissarii suam jurisdictionem, & visitationem in Provincia hujusmodi cæperint exercere, uulli Guardiani, nullique Vocales, quibus concursus ad Capitulum proxime futurum de jure competit, possint ante ipsum celebratum Capitulum ob aliquam, seu aliquas causas ab officio removeri, nec voce activa, aut passiva privari. Si autem in ipsa visitatione aliquibus delictis, & culpis quidam prædictorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio, & correctio post omnes electiones Capituli factas differatur, vel aliis canonicis, & regularibus pœnis, præter privationem officii, ac vocis activæ, & passivæ, arbitrio Superiorum puuiri debeant.

Quod Fratres non transferantur ad alias Provincias.

§.7. Insuper, quod Fratres ejusdem Proviuciæ S. Antonii ab ipsa sua Proviucia per quoscumque Superiores abstrahi nequeaut, ut ad Indos, vel alias partes, & Provincias remittantur, nisi de consensu Capituli Proviucialis, vel Definitorii pleni ejusdem Provinciæ, & quod hujusmodi Superiores, quicumque illi sint, non possint Fratres prædictos licentiare, ut in domibus secularium, seu extra claustra habitent, nisi servata ad unguem forma a Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro præscripta in Bulla, seu literis de Reformatione Regularium, incipientibus: *Nullus omnino prætextu cujuscumque privilegii*, sub anno 1599. nempe, quod tales licentiæ nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica approbanda nullatenus concedantur, quæ vero aliter concessæ sint, ipso facto irritæ, & nullæ censeantur, & Religiosi talibus licentiis utentes statim ad claustra revocentur.

Possint uti libris Bibliothecæ.

§.8. Quodque possint iidem Fratres Discalceati intra septa domus Regularis suæ libros a Bibliothecis de licentia Prelati abstractos habere, & illis uti, dummodo postquam illis usi fuerint, iisdem Bibliothecis illos restituere procurent.

Communicat eis privilegia aliarum Provinciarum.

§.9. Ac demum Ministro Provinciali, Custodi, necnon Guardianis, Conventibus, & Fratribus universis dictæ Provinciæ, nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis gratiis, indultis, & privilegiis, exemptiouibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis, & Literis Apostolicis, tam S. Josephi, & S. Pauli, quam quibusvis aliis ejusdem Ordinis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum Provinciis per quoscumque Rom. Pont. Prædecessores nostros, ac per Nos, & Sedem Apostolicam prædictam hactenus concessis, & imposterum concedendis, æque ac si ipsimet Provinciæ Sancti Antonii nominatim concessa fuissent, frui, potiri, & gaudere perpetuo possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis pariter perpetuo concedimus, & indulgemus. Volumusque, statuimus, & ordiuamus respective, & insuper præcipimus Ministro, & Commissario Generalibus Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, & quibusvis Commissariis, & Visitatoribus ad dictam Provinciam S. Antonii destinatis, cæterisque tam Prælatis, quam Subditis, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis quorumcumque officiorum, & dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrenda pœna, ne in præmissis Fratres prædictos Discalceatos Provinciæ Sancti Antonii hujusmodi litibus gravari, aut quovis modo molestari permittant, quin immo prædicta omnia privilegia, & indulta illis inviolabiliter observent, & observari faciant, ac per suas proprias literas, quoties pro parte prædictorum Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, faveant, & assistant.

Executores deputat.

§.10. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus Ulisbonensi, Bracharensi, & Elborensi Archiepiscopis, & Conimbriensi Episcopo, eorumque Officialibus, ac dilecto filio Causaram Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicent, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Prælatos generales, & Visitatores prædictos quomodolibet molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, aoxilio brachil secularis.

Clausula.

Decernentes præsentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes, vel Fratres de Observantia, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in jus,

vel controversiam revocari, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E.Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.11. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. pariter Prædecessoris nostri, per quam cavetur expresse, ne professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum absque dictæ Sedis licentia speciali, et de prohibitione hujusmodi expressam mentionem faciente recipiant, et de una, ac Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac nostris Literis, quæ incipiunt: *In Cathedra Beati Petri Apostolorum Principis*, de anno 1626. emanatis, ac quibusvis ejusdem Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam per Fratres Discalceatos hujusmodi acceptatis, præsertim Capitulorum, seu Congregationum generalium, quibus cavetur expresse, ne Fratres Discalceati hujusmodi domum aliquam dicti eorum Ordinis absque expressa licentia Capituli Generalis, aut infra quinque leucas a domo eorumdem Fratrum Minorum erigere audeant, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini Fratrum Minorum, illiusque Superioribus, et quibusvis Religiosis particularibus, aliisque person s, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet præmissorum concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Ministro, et Commissario Generalibus, aut Fratribus dicti Ordinis Minorum de Observantia, seu quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§.12. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis earumdem præsentium impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 1. Decembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII. — Dat. die 1. Decem 1639. An.XVII.

DCXXXVIII.

Pro qua summa Moniales Ordinis S. Claræ Hispaniarum exemptæ sint a Decimarum solutione. — *Ex Regest. in Secret. Brev.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Literas a se an. 1632. editas;

§.1. Alias postquam emanarunt a Nobis literæ tenoris subsequentis videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod dudum fel.rec. Sixtus IV., Leo X., Nicolaus III., Bonifacius VIII., Joannes XXII., Clemens III., Alexander IV., Benedictus XI., Eugenius IV., Nicolaus etiam IV., aliique Romani Pontifices Prædecessores nostri dilectis in Christo filiabus Abbatissis, seu Priorissis, & Monialibus tam Ordinis Sanctæ Claræ, quam aliorum omnium Monasteriorum dilectis filiis Superioribus dicti Ordinis, illorumque curæ, & gubernio subjectis, quod decimas omnium suorum agrorum, quos tam ipsæ, quam eorum affictuarii coli facerent solvi non tenerentur, concesserant, prout exequutioni demandatum fuit; subinde vero Salamantino, & aliis Episcopis in Regno Castellæ constitutis pro modificatione concessionis hujusmodi instantibus piæ memoriæ Clemens PP. VII. etiam Prædecessor noster voluit, quod hujusmodi decimæ pro summa sexdecim ducatorum auri de Camera tantum pro unaquaque Monialis victu, & vestitu minime solverentur, & ita exequutioni tunc similiter demandatum fuit; Verum nonnullis post annis cum summa hujusmodi nequaquam sufficeret, rec. mem. Gregorius PP. XIII. similiter Prædecessor noster, attenta ipsarum Monialium paupertate, summam prædictam ad vigintiquinque ducatos similiter pro unaquaque Moniali hujusmodi extendit, & ampliavit, & aliàs, prout in eorumdem Prædecessorum literis desuper expeditis, qua-

quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat ab eo tempore citra pretium rerum duplo adauctum sit, redditus vero, & census decreverint, itaut Moniales hujusmodi summa rerum inopia laburent, ac in Hispaniarum Regnis omnia duplo, quam in Italia vendantur, proindeque Vicarius prædictus per Nos desuper opportune provideri summopere desideret. Nos Monialium prædictarum necessitatibus hujusmodi consulere, illasque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejusdem Vicarii illarum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Abbatissis, seu Priorissis, & Monialibus præfatis, quod de cætero perpetuis futuris temporibus decimas prædictas pro summa quinquaginta scutorum monetæ tantum pro uniuscujusque earum victu persolvere minime teneantur, nec ad id a quoquam quavis auctoritate quomodolibet cogi, vel compelli possint, nec debeant, irritumque, & inane existat, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus, ac decernimus, & declaramus. Quocirca Venerabili Fratri Cæsari Patriarchæ Antiocheno moderno, & pro tempore existenti in Regnis Hispaniarum nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Monialium præfatarum fuerit requisitus, sulemniter publicans, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra easdem Moniales præsentium nostrarum commodo, & effectu pleue, & pacifice frui, & gaudere, non permittens illas desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haben. servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetndinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis locorum ordinariis, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; necnon aliis omnibus, quæ dicti Prædecessores in suis literis prædictis voluerunt non obstare. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, oon autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majurem sub Annulo Piscaturis, die 12. Julii 1632. Pontificatus nostri Anno IX.

Quibus Moniales S. Claræ in Regnis Hispaniarum exemptas declaravit a solutione Decimar pro summa sc. 50. pro unaquaque.

§.2. Subinde pro parte dilectorum filiorum universi Cleri Regnorum Castellæ, & Legionis Nobis exposito, quod in præinsertis Literis nulla facta fuerat mentio Literarum fel. rec. Pauli Papæ III. similiter Prædecessoris nostri, per quas præfatæ Prædecessorum nostrorum tunc suorum literæ revocatæ, & ad terminos juris reductæ fuerant, Nobisque propterea humiliter supplicato, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur; Nos ex sententia aliquorum Romanæ Curiæ Prælatorum, qui hoc negocium partibus auditis jussu nostro discusserant, & examinaverant, præinsertas nostras literas subreptitie ob non factam de præfatis Pauli III. Prædecessoris literis mentionem impetratas, & concessas, apostolica auctoritate revocavimus, cassavimus, irritavimus, annullavimus, viribusque, & effectu omnino evacuavimus, ac pro revocatis, cassis, irritis, annullatis, viribusque, & effectu vacuis haberi voluimus, & declaravimus, necnon concessionem Abbatissis, seu Priorissis, & Monialibus præfatis, quod dictas decimas pro summa quinquaginta scutorum monetæ tantum pro uniuscujusque earum victu persolvere minime teneantur, per easdem nostras literas factam, ad terminos Literarum Gregorii XIII. Prædecessoris præfati pro vigintiquinque ducatis auri de Camera pro qualibet Moniali Monasteriorum præfatorum paupertate laborantium reduximus, & aliàs prout in aliis nostris in eadem forma Brevis desuper sub die 21. Decembr. 1638. expeditis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi voluimus, uberius continetur.

Hanc vero summam anno 1638. per aliud Breve redactam fuisse ad ducat. 25.

§.3. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Joannis Merinero Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. Ministri Generalis Nobis nuper expositum fuit, ob monetarum variationem controversum fuerit, quæ monetæ quantitas summam vigintiquinque ducatorum

Oborta postmodum controversia super monetarũ diversitate, ac valore;

rum auri de Camera conficiat, proindeque dictus Joannes Minister Generalis per Nos in præmissis peramplius opportune, ut infra provideri summopere desideret;

Urbanus easdem Moniales eximit pro summa 25. sc. auri in auro, & 25. jul.

§.4. Nos Monialium prædictarum necessitatibus consulere, ipsasque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis Ministri Generalis hujusmodi illarum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati ex sententia pariter nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, qui hoc negocium partibus auditis jussu nostro discusserunt, & examinarunt; Abbatissis, seu Priorissis, & Monialibus prædictis, quod ipsæ de cætero perpetuis futuris temporibus decimas prædictas in secundodictis nostris Literis ad vigintiquinque ducatos auri de Camera pro qualibet Moniali Monasteriorum prædictorum paupertate laborantium, ut præfertur, redactas, pro summa vigintiquinque scutorum auri in auro, & vigintiquinque juliorum monetæ Romanæ, seu Regalium monetæ Hispaniarum dumtaxat pro uniuscujusque earum victu persolvere minime teneantur, nec ad id a quoquam quavis auctoritate fungente tam ex causa de præterito, quam in futurum, non tamen quoad jam per sententiam judicatam, & exequutioni demandatam, ac alias hactenus solutū, quomodolibet cogi, vel compelli possint, nec debeant, irritumque, & inane existat, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus, ac decernimus, & declaramus.

Nuncio Apostolico harum Literarum executionem delegat.

§.5. Quocirca dilecto filio nunc, & pro tempore existenti in Regnis Hispaniarum nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictarum Monialium, seu aliorum earum nomine requisitus fuerit, solemniter publicans faciat illas ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus eisdem nostris literis, ac omnibus illis, quæ in eis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Decemb. 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

Dat. die 9. Decem. 1639. An. XVII.

DCXXXIX.

Regulares in Aquen. Provincia Provinciæ quoad curam animarum sunt subjecti Jurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Episcoporum.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Nonnulli Pontifices Domū S. Maximini ab Ordinarii Jurisdictione, etiam quoad curam animarum exemptā fecere.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Archiepisc. Aquen. in Provincia Provinciæ, quod aliàs fe. re. Bonifacius VIII., Benedictus XI., Sixtus IV., & forsan alii Romani Pontifices Prædecessores nostri diversa privilegia, & exemptiones Priori, & Fratribus Domus Regularis S. Maximini, & de Belme Ordinis Prædicatorum Aquen. Diœces. dictæ Provinciæ, in quibus inter alia continetur expresse, quod eidem Priori, & suis Successoribus cura animarum habitatorum Villæ dicti Loci Sancti Maximini, & illic advenientium, quæ primum per Presbyteros seculares idoneos instituendos, & destituendos, ac demum per Religiosos ejusdem Ordinis ad nutum præfati Prioris amovibiles valeat exerceri, & quod ratione dictæ curæ animarum Prior, & Religiosi prædicti Jurisdictioni Ordinarii in nullo penitus sint subjecti, concesserunt.

Successores Pont. regularium exemptioné in his, quæ pertinent ad curam animarum, sustulerunt.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, privilegia hujusmodi Regularibus, circa curam animarum concessa, justis, & legitimis de causis per diversorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, & Sacri Concilii Tridentini Decreta penitus sublata, & abrogata sint.

Sed reluctantibus Fratribus S. Maximini,

§.3. Nihilominus Prior, & Religiosi supradictæ Domus Regularis prætextu privilegiorum hujusmodi Jurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Ordinarii in his, quæ ad curam animarum spectant, & concernunt, subjacere resistunt, ex quo varia scandala in animarum detrimentum, & Sacrorum Canonum contemptum in dies oriuntur. Nobis propterea idem Archiepiscopus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Archiepiscop. Aquen. petit sua consuli auctoritati.

Urb. Regulares Ordinariorum Jurisdictioni in his, quæ pertinent ad curam animarum, subjectos declarat

§.4. Nos igitur eumdem Archiepiscopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes,

sentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, Regulares quoad curam animarum esse subjectos Jurisdictioni, Visitationi, ac Correctioni Episcoporum, apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus.

Clausulas apponit.

§.5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & quatenus opus sit, dictæ Domus Regularis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & quibusvis illius Religiosis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Dec. 1639. An.XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die duodecima Decembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCLX.

Ex Regest. in Secret. Brevi

Facultas Episcopo Neocastren. Collectori Generali in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis exercendi suam Jurisdictionem tam in subditos, quam non subditos ubivis locorum, etiam extra dicta Regna.

Ven. Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Spoliorum, & Jurium Cameræ nostræ Apostolicæ debitorum Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert violentias a Regiis Ministris Collectori spoliorum illatas.

§.1. Cum nuper, sicut non sine gravi animi nostri molestia, accepimus Ministri Regii in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum, Dei timore postposito, in suarum animarum damnationem, Christi fidelium etiam ipsorum Regnorum scandalum, jurisdictionisque, & immunitatis Ecclesiasticæ violationem, ac Sedis Apostolicæ contemptum, ausi fuerint in Civitate Ulixbonen. nedum absque jurisdictione contra fraternitatem tuam in dignitate Episcopali existentem, ac munus primarii Officialis, & Ministri nostri, & Sedis Apostolicæ, nempe Collectoris Generalis jurium Cameræ Apostolicæ, cum facultatibus Nuncii in eisdem Regnis exercentem, & nulli nisi Nobis, & Sanctæ Sedi Subditum procedere, sed etiam eamdem fraternitatem tuam temere, sacrilege, ac non sine maxima violentia, actibusque valde inhumanis tractare, cibariisque tam animæ, quam corporis, ac servitio solito famulorum, quos etiam carceribus mancipare fecerunt, privare, teque in Domo tua obsidere, & in duobus illius cubiculis, etiam militibus, ac satellitibus armatis obsessum retinere, ac deinde in Monasterio Fratrum Ordinis Sancti Francisci dictæ Civitatis capere, & ab illo etiam pro delinquentibus immuni violenter extrahere, ac ab eisdem Regnis expellere, & invitum ipsa Regna invitum abducere, & in loco a Civitate Pacensi Regni Castellæ octo milliaribus circiter distante injuriose dimittere.

Ideoque posse illa contra eos dem ubique locorum agere.

§.2. Idcirco cum pro vindicandis tot gravaminibus, & injuriis Sanctæ Ecclesiæ illatis, eadem fraternitas tua juxta Sacrorum Canonum, Conciliorumque Universalium, & Constitutionum Apostolicarum etiam in die Cœnæ Domini legi solitarum, dispositionem ad censurarum, & pœnarum ecclesiasticarum tam in eis inflictarum, quam a Te forsan promulgatarum declarationem, ac etiam aliarum pœnarum Tibi benevisarum fulminationem, condemnationem, & denunciationem procedere debeat, & minister apostolicus, præcipue facultatibus Nuntii munitus ubicumque existens possit in expulsores animadvertere, facultatesque, & jurisdictiones sibi in certa Provincia, Civitate, seu loco concessas in ejus subditos exercere, ac si expulsus non fuisset. Et propterea ambigendum non videatur; quin tu etiam a tua Provincia, ut præfertur, expulsus, possis in alia Provincia tam Hispaniarum, quam ubique locorum, ubi secure commorari valeas, ad prædicta juris remedia, ac alia necessaria, & opportuna, ac tibi benevisa, etiam ad propulsandas offensiones, & injurias tibi illatas, nedum extrajudicialiter devenire tam contra præfatos expulsores, & illos, qui eis, & cuilibet eorum auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstiterunt, quam quoscumque alios etiam participes, seu complices, & fautores, etiam sub generali, & universali sermone non comprehensos, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, & dignitatis etiam ecclesiasticæ sint, vel fuerint, ac aliàs quomodolibet speciali, & individua expressione dignos, etiam ultra duas, ac tres, & quotcumque dietas legales degentes, seu moram trahentes, & habitantes, sed contra quoscumque etiam

etiam judicialiter procedendo inquirere.

Suam tamen Pontif. addit auctoritatem.

§.3. Nihilominus Nos ad omnem dubitaudi occasionem amovendam, & abundantiorem cautelam adhibendam, facultatesque facultatibus addere volentes, motu proprio, certaque scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omniumque expulsionis prædictæ, & excessuum quorumcumque a prædictis, & complicibus contra te, jurisdictionemque, & immunitatem ecclesiasticam, ac Sedis Apostolicæ superioritatem, & jura perpetratorum, ac circumstantiarum, & qualitatum quomodolibet aggravantium, aliorumque præsentibus forsan inserendorum, vel exprimendorum quorumcumque tenores etiam majores, & veriores pro sufficienter insertis, & expressis habeotes, Fraternitati Tuæ præsentium tenore committimus, & mandamus, ac concedimus, ut tam intra, quam extra prædicta Regna, & ubivis locorum, etiam in quacumque aliena Provincia, Civitate, Diœcesi, & Jurisdictione ubi nunc, & pro tempore te, etiam itinerando, vel transeundo existere, seu morari contigerit, omnibus, & singulis tam conjunctim quã divisim Juris remediis opportunis, etiam ex officio, seu per inquisitionem, etiam non requisito Episcopo Diœcesano, Metropolitano, Primate, & quocumque alio cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis etiam ecclesiasticæ, & speciali nota, ac mentione individua digna, nullaq. petita nec obtenta licentia illorum, nec aliorum quorumcumque nedum facultates, & jurisdictiones a Nobis tibi in, & pro eisdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis concessas in Jurisdictionis tuæ subditos, ac si expulsus non esses, & in prædictis Regois moraveris, ac & in alios non Subditos tibi vim aliquam infereutes, seu quomodolibet Te offendentes exerceas, exercereque libere, & licite possis, & valeas, sed etiam contra expulsores, eorumque complices, & fautores, aliosque prædictos etiam summarie, simpliciter, & de plano, etiam sine strepitu, & figura Judicii, sola facti veritate inspecta, omni, & quacumque appellatione remota procedas super præmissis, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi a tuo procuratore fiscali vel ab alio per te loco illius deputando, exprimendis, ac deducendis contra præfatos, omnesque alios quantumlibet magnum, & maximum numerum constituentes, & quomodolibet qualificatos, quotcumque, & qualescumque sint, & fuerint, senteotiasque, censuras, & pœnas ad tui defensionem, & injuriarum etiam illatarum propulsationem, & vindictam, nedum extrajudicialiter procedendo infligas, & fulmines, inflictasque, & fulminatas etiam a jure, vel etiam a Constitutionibus Apostolicis declares, ac denuncies, aggravesque, & reaggraves, aliaque desuper necessaria, & opportuna, etiamsi speciali expressione indigerent, facias, decernas, & exequaris toties quoties opus erit, vel tibi videbitur, necnon quæcumque interdicta ecclesiastica tam personalia, quam localia, & mixta in una, seu pluribus Civitatibus, ac Terris, et locis, ac etiam in toto Regno, seu Regnis Portugalliæ, et Algarbiorum, et Cappella Regia ipsorum Regnorum, cessationemque a divinis decernas, et ponas. Nos enim ad præmissorum effectum plenam, amplam, et sufficientem facultatem Fraternitati Tuæ desuper tribuimus, et impertimur cum facultate deputandi ubique alium, vel alios cum simili, vel limitata facultate, prout tibi videbitur, ad faciendum, gerendum, et exequendum omnia, et singula prædicta, ac alia, quæ tibi videbuntur, et quæ erunt quomodolibet necessaria, et opportuna, illumque, et illos mittendi ad Civitates, Terras, et loca quæcumque tibi benevisa tam intra, quam extra præfata Regna consisten., et etiam cum facultatibus citandi præfatos, omnesque alios, etiam per Edictum publicum, constito etiam summarie, quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, illisque toties quoties opus fuerit, inhibendi etiam sub sententiis, censuris, et pœnis etiam pecuniariis per te, vel tuos Deputatos tuo, vel eorum arbitrio infligendis, applicandis, & moderandis, & quæcumque alia quomodolibet necessaria, & opportuna gerendi, decernendi, mandandi, & exequendi.

Eique dat facultatem contra illos et am extra Regnũ Portugalliæ procedendi.

Obstantia tollit.

§.4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, & in Conciliis universalibus, provincialibusque, & synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictorum Regnorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Militiarum quorumlibet, ac quarumvis Civitatum, Terrarum, & Locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, legibus, usibus, naturis, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Regnis, illorumque incolis, & quibusvis aliis locis, & personis tam conjunctim, quam divisim sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo

ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis, & formam hujusmodi pro servata habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si eisdem Regnis, illorumque Incolis, & quibusvis aliis locis, & personis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi, & compelli, aut quod citari, seu in Judicium coram Judicibus de eorum consensu non deputatis, vel extra Regna hujusmodi, & luca suæ habitationis evocari, vel quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostulicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia ejusdem Sedis indulgentia generali, vel speciali per quam præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Dat. die 22. Decem. 1639. An. XVII. Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Decembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Facultas Collectori Portugalliæ absolvendi illos, qui bona ecclesiastica, Cappellas inibi nuncupata occuparunt, vel etiam Ecclesias molestarunt.

Ven. Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. Jurium, & Spoliorum Cameræ Apostolicæ debitorum in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Nonnulli Ministri Regii bona ecclesiastica occupaverant. §.1. Cum, sicut accepimus nonnulli etiam Officiales, & Ministri Regii in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis sub prætextu assertarum legum, seu Ordinationum illorum Regnorum, etiamsi illæ a piæ memoriæ Gregorio Nono, & aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, etiam occasione confirmationis Concordiarum inter Regem, seu Reges, ac Prælatos, & Clerum aliàs initorum annullatæ, revocatæ, & abrogatæ fuerint, attentaverint, & incæperint inquietare, & perturbare Ecclesias, Monasteria, Beneficia, opera, & loca pia, eorumque possessores super suis bonis, etiam ab antiquo tempore per Christifidelium diversas largitiones relictis, & acquisitis, Cappellis vulgo nuncupatis, de facto etiam auctoritate laicali, & regia, & coram Judicibus laicis vexare, & aliqui forsan etiam nulliter, ac de facto injuste, & indebite illis easdem Ecclesias, & Monasteria, Beneficia, operaque, & loca pia prædicta, eorumque possessores spoliaverint, alii etiam occupantibus, & molestantibus auxilium, &, favorem tam in agendo, & occupando, quam retinendo, & aliàs quomodolibet præstiterint, censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Universalibusque Conciliis, ac Bulla in die Cœnæ Domini legi solita contentas, & inflictas propterea incurrendo, tuque quosdam ex illis in censuras, & pœnas hujusmodi incidisse forsan declaraveris. Nunc autem aliqui ex Officialibus, & Ministris, aliisque præfatis ad cor reversi, a censuris, & pœnis hujusmodi per eos incursis absolvi desiderent. Sed postea a censuris absolvi petierant.

Urbanus facultates ad id necessarias collectori spoliorum concedit. §.2. Nos attendentes exuberantem Sedis Apostolicæ clementiam, gremium suæ pietatis veniam petentibus claudere non consuevisse, Fraternitati Tuæ Officiales, & Ministros prædictos, & quoscumque alios, qui præfata commiserunt, seu committentibus favorem, auxilium, consilium, & opera quomodolibet præstiterint si facti penitentes veniam a te humiliter petierint, & qui tenentur ad restitutionem occupatorum illa restituerint, & a molestiis, & vexationibus hujusmodi revera destiterint respective, imposita illis arbitrio tuo pœnitentia salutari, aliisque injungendis injunctis, a quibusvis censuris, & pœnis ecclesiasticis, etiam in dicta Bulla in die Cœnæ Domini legi solita contentis, quas præmissorum occasione quomodolibet incurrerunt, vel incurrisse per te declarati fuerint, in forma Ecclesiæ consueta, auctoritate nostra absolvendi facultatem eadem auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Januarii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII. Dat. die 1. Januar. 1640. An. XVII.

CDXLII.

Improbat accessum Collectoris Spoliorum C. A. Matritum ad Regis Aulam. Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. Jurium, & Spoliorum Cameræ Nostræ Apostolicæ debitorum in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Cum, sicut Nobis nuper innotuit, tu postquam e Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, illorumque finibus non minus injuriose, quam ignominiose, Reprobat accessum Collectoris spoliorũ ad Regis Aulam.

ac maximo cum sacrilegio ab Officialibus, & Ministris Regiis abductus fuisti, Matritum ad Aulam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, Nobis inconsultis, & minime approbantibus, te contuleris, cum potius alio ire, Nosque hac super re prius consulere debuisses, etiamsi pro certo haberemus, te illuc accessisse, ratum fore, ut inibi insinuatis ore tuo proprio actibus inhumanis tecum adhibitis, & tot gravaminibus tibi illatis, remedium efficax, & integrum relevamen adhiberetur; Nihilominus, quia sine ordine nostro eo ivisti, Nos volentes, ut omnibus pateat, te id Nobis insciis imo ægre ferentibus fecisse; Motu proprio, ac ex certa scientia nostris, harum serie, itionem tuam ad Aulam Regiam præfatam Nobis insciis, & inconsultis factam plane improbamus, idque te contra nostram intentionem immo animo, & voluntate nostra maxime reluctante, & ab hoc aversa fecisse declaramus, & attestamur.

Nullamque inde præiudicium auctoritati Sedis Apostolicæ posse declarat.

§.2. Volentes proinde, ac decernentes nullum omnino etiam minimum Nobis, ac Sedi Apostolicæ, nostræque, & illius auctoritati ex itione tua hujusmodi ad Aulam prædictam præjudicium illatum fuisse, vel esse, aut imposterum fore, vel dici, aut intelligi posse; Sicque, & non aliter in præmissis ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, regula nostra de non tollendo jure quæsito, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Januar. 1640. An. XVII.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Januarii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Canonicis Pœnitentiariis, Theologali, & Doctorali Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Regnorum Castellæ, & Legionis prohibetur, quominus a suis absint Ecclesiis, & in casu absentiæ fructus Præbendarum eis minime solvendos esse declaratur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Super universas Orbis Ecclesias ab eo, qui cunctis imperat, nullo licet meritorum nostrorum suffragio constituti, in his, per quæ ipsarum Ecclesiarum præsertim Metropolitanarum, & Cathedralium honori, & commodis opportune consulitur, pastoralis officii nostri partes cum a Nobis petitur, libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ex Decr. Concil. Trid. erectæ in unaquaque Ecclesia Præbendæ Pœnitentiaria, Theologalis, & Doctoralis.

§.1. Nuper siquidem nomine dilectorum filiorum Capitulorum Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Regnorum Castellæ, & Legionis, Nobis exponi fecit dilectus filius Augustinus Gonzales Davila J. U. D. eorumdem Capitulorum Procurator Generalis, quod in qualibet Ecclesiarum hujusmodi dudum juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta Pœnitentiarius cum unione unius ex Præbendis pro uno Magistro, vel Doctore, aut Licentiato in Sacra Theologia, vel jure Canonico institutus, necnon una Lectoralis pro uno Theologo Lectore Sacræ Scripturæ, & præterea juxta ordinationem felicis recordationis Sixti IV., & Leonis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & ex particulari Sedis Apostolicæ indulto, in quibusdam ex dictis Ecclesiæ duæ Doctorales pro uno, seu duobus respective Doctoribus, seu Licentiatis in utroque, vel altero jurium, ac alia Præbenda Magistralis respective nuncupatæ pro uno Magistro, seu Licentiato in Sacra Theologia constitutæ fuerunt.

Injuncta Prebendarum onera.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat juxta ejusdem Conc. Trident. Decreta Pœnitentiario onus audiendi Confessiones publice in Ecclesia, Theologo autem Canonicis prædictis legendi, & interpretandi Sacram Scripturam incumbat, Magistralis vero, & Doctorales Canonici hujusmodi in prædictis Ecclesiis in vim dictæ Ordinationis Sixti IV., & Leonis X. Prædecessorum nostrorum hujusmodi, & respective indulti prædicti eo fine instituti sint, ut si suæ Ecclesiæ in defendendis illius juribus, & in dandis Capitulo suo, aliisque Ecclesiæ suæ Ministris salubribus consiliis, pro felici negociorum eorumdem directione assistant, illæ autem, ut verbum Dei populo prædicet, & in his, quæ ad conscientiam pertinent, recta consilia Capitulo, & Ministris suæ Ecclesiæ præbeat, & proinde ipsos apud suas Ecclesias assidue residere oporteat, contingit tamen interdum, ut nonnulli ex Canonicis hujusmodi variis prætextibus, & inter alios, quod Officio Sanctæ Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem inserviant, ac etiam vigore indultorum sibi ab Apostolica Sede concessorum ab Ecclesiis suis absint, & nihilominus suorum Canonicatuum, & Præbendarum fructus, redditus, & proventus, ac etiam distributiones quotidianas integre tamquam residerent, percipere pretendant, in grave ipsarum Ecclesiam detrimentum.

Quibus ut satisfaciant, residere tenentur.

Sed cum sæpe absint etiam ex Indulto S. Sedis, & fructus suæ Præbendæ accipiant.

Remedium postulatur.

§.3. Quare dictus Augustinus eorumdem Capitulorum nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut Capitulorum, & Ecclesiarum hujusmodi indemnitati in præ-

præmissis opportune consulere, de benignitate apostolica dignaremur.

Pont. declarat illis absentibus fructus non esse dandos.

§.4. Nos igitur attendentes petitionem hujusmodi rationi esse consentaneam, ac Capitula, & Augustinum prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Capitulis, Metropolitaoarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Regnorum Castellæ, & Legionis prædictorum, ut oullo umquam tempore Canonicis Pœnitentiariis, Lectoribus, Magistralibus, & Doctoralibus suarum Ecclesiarum pro tempore existentibus ex quavis causa, etiam prætextu, quod Officio Sacræ Inquisitionis inserviant absentibus, etiamsi aliquod ab Apostolica Sede indultum desuper sine speciali Capitulorum prædictorum consensu obtinuerint, fructus, redditus, & proventus, ac distributiones quotidianas suorum Canonicatuum, & Præbendarum præstare minime teneantur, nec ad id inviti cogi, aut compelli, seu vigore Literarum Apostolicarum nisi in illis de præsenti indulto de verbo ad verbum specialis mentio fiat iuterdici, suspendi, vel excommunicari possint, auctoritate apostolica, tenore præseutium de speciali gratia indulgemus.

Eisque nullum indultum suffragari, ne residerant.

§.5. Ac prædictos Canonicos Pœnitentiarios, Lectores, Magistrales, & Doctorales quavis de causa, occasione, vel prætextu, etiam servitutis dictæ S. Inquisitionis hujusmodi a dictarum suarum Ecclesiarum servitiis illis incumbentibus se quoquo modo eximere, ac super hoc quodcumque indultum etiam a Sede Apostolica, nisi eorumdem Capitulorum ad id expresso accedente conseosu impetrare, aut sibi quovis modo etiam motu proprio concesso, uti, vel frui, nullatenus posse, aut debere, nec illis in aliquo contra præsentium tenorem suffragari, quinimo quandocumque contigerit pro tempore existentes Canooicos Pœoiteotiarios, Lectores, Magistrales, & Doctorales hujusmodi in aliis, quam dictarum suarum Ecclesiarum servitiis, etiam Officii Sacræ Inquisitionis, etiam intra Civitates, in quibus Ecclesiæ prædictæ existunt occupari, Canonicatus, & Præbendas per eos obtentos in Ecclesiis hujusmodi eo ipso vacare, ac aliis personis qualificatis per eos, ad quos eorum collatio pertinebit, libere conferri posse;

Clausula.

§.6. Sicque ab omnibus censeri, & ita, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardioales, etiam de latere Legatos, nostrosque, & Sedis Apostolicæ Nuncios, ac quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Exequutores deputatio.

§.7. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum prædictarum respective, necnon nostro, & Apostolicæ Sedis pro tempore existenti in Regnis Hispauiarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus Archiepiscopi, & Episcopi prædicti quilibet iu suis Civitate, & Diœcesi, Nuncius vero prædictus in quibusvis suæ Jurisdictionis locis in eisdem Regnis per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta, ubi, & quaodo opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Capitulorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra eadem Capitula præmissorum hujusmodi effectu pacifice frui, & gaudere: non permittentes illa desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari: Contradictores quoscumque, & rebelles per senteutias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§.8. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de uua, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præseutium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, & pro Sacræ Inquisitionis Officio, & quibusvis aliis in contrarium præmissorum nunc, & pro tempore sub quibuscumque tenoribus, & formis quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis adhibenda fides.

§.9. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Januar. 1640. An. XVII.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 10. Jan. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLIV.

Quod Fratres Minores Conventuales, tamquam Mendicantes, prohiberi non possint ab Ordinariis locorum, seu aliis Regularibus, quominus per seipsos in locis ubi habent Conventus, eleemosynas quærant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. §. 1. Cum, sicut dilectus filius Blasius a Cherso Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, Fratres prædicti, qui nedum ex regula, quam profitentur, sed etiam ex Constitutionum dicti Ordinis Urbanarum nuncupatarum, auctoritate confirmatarum observantia vere mendicantes sunt, & actenus privilegiis Fratrum Mendicantium gavisi fuerunt, & gaudent, impediri non debeant quominus eleemosinas quærant, præsertim in partibus ultramontanis, ubi ab hæreticis majori parte rerum, quas in communi possident, exuti sunt, & absque piorum eleemosynis fame perirent, aut suas Domos regulares deserere cogerentur: Nobis propterea dictus Blasius Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratio, prout in rub. §. 2. Nos igitur eumdem Blasium Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exiftit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, inhærentes declarationibus aliàs super editis, præfatos Fratres Minores Conventuales Sancti Francisci, tamquam mendicantes, nequaquam posse ab Ordinariis locorum, seu aliis Regularibus prohiberi, quominus per se ipsos in locis ubi habent Conventus, eleemosynas quærant, sed tantum, si extra loca, ubi Conventus existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.

Decretum irritans. §. 3. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub aliis arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, ut eosdem Fratres Conventuales præmissorum omnium commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant, non permittentes eos desuper a quibusvis quavis auctoritate fungentibus, etiam aliis Regularibus Mendicantibus, quovis prætextu quomodolibet indebite molestari; ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Conventualibus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Febr. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII. Dat. die 9. Febr. 1640 An. XVII.

DCXLV.

Erectio Custodiæ Reformatæ Transilvaniæ Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ.

Istorum Fratrum Reformatorum materiam habes in Constitut. Sacrosanctum, *& in Constitut.* Injuncti Nobis, *ubi agitur de Reformatione Provinciarum.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris Nostri Jesu Christi, licet immeriti, vices gerentes in terris, illam curam libenter amplectimur, per quam Religiosorum Ordines multiplicatis cultoribus, quorum assiduis precibus, & fructuosis operibus Omnipotens Deus propitiatur, Proemium.

tiatur, & fides catholica propagatur, nostris etiam temporibus suscipiant incrementum, quod ut optatum sortiatur effectum, officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. §.1. Sane pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Reformatorum nuncupatorum Ordinis Sancti Francisci Nobis nuper expositum fuit, quod pro cultura catholicorum in Transilvania, ac hæreticorum, & schismaticorum in illis partibus degentium conversione maxime expedit ex domibus Regularibus Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ Ordinis hujusmodi, in eisdem partibus existentibus unam Custodiam Transilvaniæ nuncupandam erigi, & a Provincia S. Salvatoris Ungariæ ejusdem Ordinis separari.

Erectio Custodiæ. §.2. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tres quæ a Fratribus Minoris Strictioris Observantiæ hujusmodi ad præsens, ut asseritur, abitantur in Transilvania, necnon aliam de Cich, eorumdem Fratrum Provinciæ Sancti Salvatoris Ungariæ prædictæ domos regulares ab eadem Provincia S. Salvatoris, illiusque Ministri Provincialis jurisdictione, & superioritate, ita quod illi amplius minime subsint, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo separamus; ipsasque quatuor Domos Regulares hujusmodi in custodiam Transilvaniæ nuncupandam eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuo erigimus, illamque jurisdictioni, superioritati, visitationi, & correctioni Ministri, & Commissarii Generalium pro tempore existentium ejusdem Ordinis, qui custodiam per nos sic erectam pro tempore regant, illique de Religiosis, & aliis necessariis provideant, immediate subiicimus, necnon in Custodem Custodiæ hujusmodi, pro hac prima vice dilectum filium Stephanum Salines ejusdem Ordinis professorem deputamus, & constituimus.

Quod hæc custodia gaudeat privilegiis. §.3. Demum eidem Custodiæ sic erectæ, illiusque Domibus Regularibus, Custodi, & Fratribus, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, præeminentiis, concessionibus, & indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis custodiæ, illarumque Domus Custodes, & Fratres utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum similiter, & æque principaliter, ac eidem custodiæ per præsentes erectæ, illiusque domibus Custodi, & Fratribus concessa fuissent, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, indulgemus.

§.4. Decernentes præsentes literas, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, debere; sicque, per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiã causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ S. Salvatoris prædictorum, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, ac singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 13. Febr. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII. Dat. die 13. Februar. 1640 An. XVII.

DCXLVI.

Opus Redemptionis Captivorum Calceatis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum privativè addicitur. Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Perez de Munebrega Procurator Generalis Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, quod alias inter Fratres Calceatos dicti Ordinis ex una, & Fratres ejusdem Ordinis Congregationis Discalceatorum nuncupat. ex altera partibus, occasione separationis, ac totalis dismembrationis Fratrum Discalceatorum a Fratribus Calceatis hujusmodi, inita fuit quædam concordia, inter cujus capitula extat unum tenoris sequentis videlicet: Item, quod Ministrum Redemptionis solum spectet Religiosis Calceatis, & quod Patres Recollecti non se intromittant in recipiendis legatis a Christifidelibus relictis ad dictum effectum, nec possint petere in suis Monasteriis, nec extra pro redimendis Captivis, nec habere cippos, nec cappas, nec aliquid aliud pro eleemosyna petenda hac de causa, quia totum hoc debet demandari curæ, & solicitudini Patrum Calceato- Inter Calceatos, ac Discalceatos in illa Concord. a nuper [illegible] cap. quod privative spectat ad Calceatos.

ceatorum dumtaxat, sicut usque nunc fuit in consuetudine; Quæ quidem concordia a fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro, ac etiam a Nobis cum clausula *citra dispensationem a quarto voto*: confirmata fuit.

Quæ confirm. fuit a Gregorio PP. XV.

§.2. Postmodum vero dictis Fratribus Discalceatis prætendentibus, vigore prædictæ clausulæ *citra dispensationem a quarto voto* ministerium Redemptionis Captivorum Fratribus Calceatis hujusmodi in dicta cuncordia, illiusque confirmationibus dumtaxat reservatum a se quoque exerceri posse, etiam vigore suarum particularium Constitutionum aliis a Nobis confirmatarum, Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Regularium præpositi decreverunt vigore dictæ clausulæ *citra dispensationem super quarto voto* hujusmodi, & aliarum in dicta Concordia, & illius confirmationibus apostolicis contentarum non fuisse, nec esse ejus aliquod de novo quæsitum Fratribus Discalceatis, seu Calceatis prædictis ad Ministerium Redemptionis Captivorum exercendum sub directione, & superioritate eorum Vicarii Generalis, sed omnia circa ministerium dictæ Redemptionis Captivorum remansisse, & remanere in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebantur ante dictam Cuncordiam, itaut prædicti Fratres Discalceati, quoad dictum opus Redemptionis Captivorum, aut alia ad id ministerium quomodolibet spectantia remaneant, & remanere debeant, sub directione, cura, & obedientia, ac superioritate ejusdem dilecti filii Magistri Generalis Calceatorum, ac in eisdem statu, & terminis, in quibus erant, seu existebant ante concordiam, & confirmationes prædictas. Nosque Decretum Cardinalium hujusmodi confirmavimus;

Idem declaratum a Congr. Episc. & Reg.

§.3. Et subinde nonnullis ex Fratribus Discalceatis hujusmodi, Decreto prædicto nostrisque literis confirmatoriis parere detrectantibus, Nos omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis Ordinis prædicti nunc, & pro tempore existentibus quacumque auctoritate, & officio fungentibus sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac quorumcumque dicti Ordinis officiorum per eos obtentorum pœnis ipso facto absque alia declaratione per contravenientes incurrendis præcipimus, & dicto Magistro Generali in omnibus ab eo commissis, & prædictum Redemptionis Captivorum opus, seu Ministerium quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, & aliis, prout in Gregorii Prædecessoris prædicti, ac nostris super præmissis in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

Vetitum postea expresse Discalc. ne in Redemptione se immisceant

§.4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Fratres Discalceati prædicti prætendant, legata particularia relicta, ac dispositiones quascumque etiam donationes inter vivos factas, & pro tempore faciendas per quoscumque pro Redemptione Captivorum, Ecclesiis, seu Domibus, aut personis ipsorum Discalceatorum cum electione industriæ eorum sub concordia, & literis prædictis minime comprehendi. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunæ declarationis ministerio providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Orta subinde quæstio de legatis.

§.5. Nos igitur negocio mature, ac ambabus partibus pluries in facto, & jure informantibus, & auditis per Congregationem Prælatorum a Nobis ad id deputatorum eorumdem Prælatorum resolutione in favorem Fratrum Calceatorum, eorumque Procuratoris Generalis facta Nobis relata, ejusdem Procuratoris Generalis, & Fratrum Calceatorum prædictorum votis hujusmodi annuere volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Concordiam prædictam, ac dicti Gregorii Prædecessoris, & nostras desuper expeditas literas prædictas comprehendisse, & comprehendere etiam legata particularia, ac dispositiones, & donationes, etiam inter vivos particulariter, aliasque quomodolibet facta, & factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus pro Captivorum Redemptione per quoscumque faciendas etiam in favorem quorumcumque prædictorum Discalceatorum, ac eorum Vicarii Generalis, ac Conventuum, & Domorum ipsorum Discalceatorum, & in quibus eorum industria sit, vel erit electa, & præsertim legatum, sive dispositionem, & donationem quondam Elviræ Manrique factam Conventui Sanctæ Barbaræ Matriti Toletan. Diœces. non facta expressione, itaut in Ministerio Redemptionis Captivorum attributo, seu concesso per concordiam, vel literas apostolicas prædictas Magistro Generali dictorum Fratrum Calceatorum comprehensa, & comprehensæ sint, & comprehendantur, apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus.

Urbanus declarat, Legata quæcumque, Donationes &c. ad Calceatos dumtaxat pertinere

§.6. Eisdemque Fratribus Discalceatis, eorum Conventibus, & Vicario Generali perpetuum silentium imponimus.

Perpetuumq. silentium Discalceatis imponit.

§.7. Sicque ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausulæ.

Volu-

Decretum, ne Gener. Calc. quidquam ſibi, aut ſuo Ordini addicat.

§.8. Volumus tamen, quod idem Magiſter Generalis Calceatorum debeat integre, relicta, donationes, & diſpoſitiones prædictas in prędictum opus Redemptionis expendere abſque eo, quod aliquam illorum partem pro ſe, Conventibus, aut ſua Religione Calceatorum hujuſmodi, nec alias umquam retinere poſſit.

Obſtantium derogatio.

§.9. Non obſtantibus quorumvis teſtatorum, & teſtatricum etiam ultimis voluntatibus, ac donantium diſpoſitionibus, quas in, & quoad præmiſſa, quatenus foret opus ſufficienter, & expreſſe commutamus, necnon Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Conſtitutionibus Diſcalceatorum auctoritate apoſtolica confirmatis, & præcipue earum Capitulis XX. XXI. & XXII. primæ diſtinctionis, ac omnibus illis, quæ in prædictis literis Apoſtolicis dictus Gregorius Prædeceſſor voluit, & Nos voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 15. Februar. 1640 An.XVII.

Datum Romæ apud S.Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Februarii 1640. Pontificatus noſtri Anno XVII.

DCXLVII,

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Prohibitio, ne de cetero in Monaſteriis Monialium Ordinis Prædicatorum Provinciæ Andalutiæ, & eorum Eccleſiis, comediæ recitentur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Cauſæ Decreti.

§.1. CUm Monialium Monaſteria ideo muris undique claudantur, ut ipſæ a communi hominum conſortio plane ſeparatæ, Deo, cui ſuam integritatem ſponte devoverunt, liberius ſervire, & laſciviendi occaſione ſublata, eidem corda, & corpora ſua in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire valeant; oportet proinde a Monaſteriis hujuſmodi, & earum Eccleſiis, quæ ſunt domus orationis, actus quoſcumque prophanos, & perſonarum ſecularium concurſus omnino arceri, ne inde puros Monialium mores facile corrumpi, & divinam Majeſtatem graviter offendi contingat.

Prohibitio, de qua in Rubrica.

§.2. Hinc eſt, quod Nos ſupplicationibus nomine dilecti filii Petri Maurique de Sfenophoſa Prioris Provincialis Provinciæ Andaluſiæ Ordinis Prædicatorum Nobis hac ſuper re humiliter porrectis inclinati, ne de cætero perpetuis futuris temporibus in quibuſvis Monialium dicti Ordinis, & præſertim Matris Dei Hiſpalen. Monaſteriis in prædicta Provincia exiſtentibus, & eorum Eccleſiis cujuſcumque generis comediæ a comędis, & aliis perſonis ſecularibus agantur, & recitentur ſub excommunicationis tam per agentes, & recitantes, quam per Monaſteriorum hujuſmodi Prioriſſas, ſeu Abbatiſſas, & eorum Superiores, qui comedias prædictas in dictis Monaſteriis, & Eccleſiis agi, & recitari permiſerint, necnon etiam per ſeculares perſonas cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis, quæ comedias hujuſmodi in eiſdem Monaſteriis, & Eccleſiis agi, & recitari fecerint, comædoſq; ad illas agendas eo mittere præſumpſerint eo ipſo incurrenda pœna, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium diſtricte prohibemus.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Monaſteriorum, & Ordinis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliis in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 17. Februar. 1640 An.XVII.

Datum Romæ apud S.Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 17. Februarii 1640. Pontificatus noſtri Anno XVII.

DCXLVIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Facultas Magno Magiſtro Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani imponendi quoddam vectigal ſuper rebus comeſtibilibus pro muniendis Inſula Melitenſi, & Gozzi.

Dilecto filio Magno Magiſtro Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

M. Magiſter muniendas eſſe Melevitanã & Gozzi Inſulas expoſuerat.

§.1. ALias pro parte tua Nobis expoſito, quod habita per reiteratos Nuncios Molitionum notitia, quas impius Turcarum tyrannus contra Inſulam Melevitanam machinabatur, ut prædictam, & adjacentem Gozzi Inſulas adverſus eorumdem Turcarum irruptiones, & invaſiones de cætero tutas, & ſecuras redderes, illas novis operibus munire cœperas, munitioneſque hujuſmodi ordinariis communis ærarii iſtius Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani viribus ad finem perduci debitum nequibant, niſi ſibi de aliquo ſubventionis auxilio per Nos opportune provideretur;

Pont. autem facultatẽ concesserat quoddam vectigal imponendi iiſdem in Inſulis.

§.2. Nos conſiderantes, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Inſulam Melevitanam prædictam maximum eſſe nedum Italiæ, sed totius Reipublicæ Chriſtianæ adverſus eoſdem Turcas propugnaculum, & propterea illi quacumque opportuniori ratione ſuccurri debere, tuis hac in parte ſupplicationibus inclinati, tibi conceſſimus facul-

facultatem imponendi collectam, seu contributionem super omnibus, & singulis, ac quibuscumque bonis stabilibus laicorum, necnon etiam dicti Hospitalis Magni Magistri, & personarum quarumcumque infra limites dictarum Insularum existentibus annuum redditum quomodolibet ferentibus usque ad summam quinquaginta millium scutorum infra tempus tibi benevisum persolvendam per modernos, & pro tempore existentes eorumdem bonorum, & reddituum possessores, pro perficiendis, & finiendis novarum munitionum hujusmodi operibus, & non in alios usus convertendam.

Decimámque a Clero persolvendã præscripserat.

§.3. Ac insuper attendentes Cleri dictarum Insularum æque, ac laicorum interesse munitiones prædictas perfici, imposuimus tot decimas semel, & infra tempus tunc existenti in dictis Insulis adversus hæreticam pravitatem Inquisitori generali benevisum persolvendas, quæ in totum ad summam quinque millium scutorum monetæ ascenderent fructuum, redditum, & proventuum bonorum Cleri tam secularis, quam quorumcumque utriusque sexus Ordinum etiam Mendicantium redditus annuos habentium, etiam Societatis Jesu regularis, in Insulis prædictis, & aliis prout in binis nostris in simili forma Brevis desuper sub die 9. Februarii 1636. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis, & totaliter insertis haberi volumus, uberius continetur.

Quæ cum executioni demandata non fuerint:

§.4. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecisti, præmissa effectus suos hactenus sortita non fuerint, tuque propterea alia commodiori ratione inopiam communis ærarii dicti Hospitalis pro perficiendis munitionibus præfatis per Nos sublevari desideres.

Urbanus irritat.

§.5. Nos, ut munitiones hujusmodi quamprimum absolvi possint, quantum cum Domino possumus, providere, teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati facultatem imponendi collectam, seu contributionem scut. 50. mill. monetæ super bonis laicorum, ac dicti Hospitalis Magni Magistri, & personarum quarumcumque infra limites dictarum Insularum existentibus tibi, ut præfertur, a Nobis concessam, ac desuper emanatas literas nostras prædictas, apostolica auctoritate, tenore præsentium cassamus, & abolemus, revocamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino evacuamus, illasque nullius roboris, & momenti esse, ac pro nullis, revocatis, cassatis, irritis, & suanibus, perinde ac si numquam emanassent haberi, & censeri debere decernimus, & declaramus.

Et M. Magistro facultatẽ dat novum vectigal imponendi super rebus comestibilibus.

§.6. Loco autem, & vice facultatis imponendi contributionem, seu collectam prædictam, per Nos, ut præfertur, revocatæ, & annullatæ, tibi licentiam imponendi super tritico, & granis, leguminibus, fructibus, vino, carne, piscibus, oleo, olivis, & aliis quibuscumque rebus comestibilibus, vendendis, & emendis in prædictis Insulis unam gabellam arbitrio tuo pro summa tamen 50. mill. scutorum monetæ Romanæ in totum dumtaxat in prædictos perfectionis dictarum munitionum, & alios usus integre convertenda, illamque a quibuscumque personis laicis; & ut fraudes, & difficultates, quæ in ejus exactione intervenire possint, evitentur, etiam ab ecclesiasticis secularibus, ac dicti Hospitalis, & cujusvis alterius Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam Mendicantium utriusque sexus regularibus, hospitaliumque, & aliorum locorum piorum personis, etiam quocumque immunitatis, exemptionis, vel alio quovis privilegio suffultis, etiamsi de illis specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum expressa mentio facienda esset, exigendi, seu exigi faciendi auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impertimur.

Quod habeatur loco Decimæ, quoad Ecclesiasticos.

§.7. Cæterum volumus, ut in fine cujuslibet mensis rata dictæ gabellæ prædictos ecclesiasticos tangens per viam compensationis cum decima prædicta, quæ ab ecclesiasticis esset solvenda, nisi fieret compensatio hujusmodi, restituatur, qua quidem compensatione mediante ipsos ecclesiasticos a solutione ejusdem decimæ pro rata, quæ compensabitur liberatum iri decernimus.

Libri speciales rationum pro hujusm. vectigali confici mandat.

§.8. Ut autem omnes, & singulæ pecuniæ ex dicta gabella exigendæ in præfatos, & non alios usus convertantur, tibi præcipimus, & mandamus, ut particulares libros, in quibus pecuniæ ex gabella hujusmodi percipiendæ absque fraude adnotentur, confici cures, & jubeas.

Clausula apponit.

§.9. Decernentes omnes, & quascumque personas prędictas ad gabellę per te vigore præsentium imponendę solutionem omnino teneri, easque ad id opportunis juris, ac facti remediis summarie omni appellatione, reclamatione, & recursu remotis cogi, & compelli posse, pręsentes vero literas de obreptionis, seu subreptionis, aut nullitatis vitio, vel nostrę, & Sedis prędictę intentionis, seu quocumque alio defectu, notari, redargui, impugnari in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas, quodcumque juris, facti, vel gratię remedium impetrari minime posse; Sicque ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac quęcumque dicti Hospitalis Tribunalia, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictęque Sedis Nun-

Nuncios, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§.10. Non obstantibus prędictis nostris literis, ac quibusvis apostolicis, & in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & synodalibus, editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Institutorum, & locorum piorum, ac insularum prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, & Literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, locisque piis, ac Insulis prædictis, & personis quibuslibet sub quibuscumque ten., & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Februar. 1640 An. XVII.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris Die 18. Feb. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCXLIX.

Ex Regest. in secret. Brev.

Facultas Episcopo Civitatis Castelli contra Rempublicam Lucanam ecclesiastico interdicto subiiciendi.

Venerabili Fratri Cæsari Episcopo Civitatis Castelli.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Venerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Literas editas 24. Septemb. 1639.

§.1. NUper emanarunt a Nobis literæ in simili forma brevis tibi directæ tenoris subsequentis videlicet, a tergo Venerabili Fratri Cæsari Episcopo Civitatis Castelli, intus vero Urbanus Papa VIII. Venerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem. Cum sicut non sine gravi *Reliqua, ut in aliis expeditis sub die 24. Septembris 1639.* *supra pag. 213.*

Novosque Lucanorum excessus.

§.2. Cum autem, sicut Nobis postmodum innotuit, tu in exequutione præinsertarum nostrarum literarum Civitatem Lucanam petens, non solum ea qua par erat, civilitate, & honorificentia non fueris exceptus, sed etiam in finibus ipsius dominii armato milite fueris præpeditus, ulterius pervadere, ac iter tuum prosequi, in maximam tui, immo nostri, & Apostolicæ Sedis irreverentiam, ac illam quidem, & omnes alios excessus in præinsertis literis narratos, tam dicti officiales, quam Respublica ipsa hactenus agnoscere, & emendare neglexerint, quinimo abiecto Dei timore in sua pervicacia persistant.

Et Episcopo Civitatis Castelli facultatem dat illos excommunicationi, Civitatem vero, Oppida &c. ecclesiastico interdicto subiicere.

§.3. Nos qui nullo pacto ferre debemus, ut nostra, & dictæ Sedis auctoritas adeo pernicioso cæteris christifidelibus exemplo contemnatur, animadvertentes, Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, & Rempublicam hujusmodi paterna nostra clementia, & patientia, in suarum damnationem animarum abuti, nequaquam differenda amplius esse graviora ecclesiasticæ disciplinæ remedia, quibus in viam Justitiæ, a qua turpiter aberrant, quamprimum reduci salubriter possint, arbitramur. Idcirco motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus citra recessum a præmissis nostris Literis, nisi quatenus aliter per præsentes disponimus, illasque in reliquis confirmantes, & approbantes, & te quo majori cum auctoritate injunctum tibi munus juxta mentem, & intentionem nostram exequi valeas, amplioribus facultatibus suffultum esse volentes, tibi ut postquam Antianos, Vexilliferum, Consiliarios, Judices, Ministros, & Officiales Reipublicæ, & Civitatis Lucanæ prædictarum culpabiles in præmissis repertos in excommunicationis majoris, aliasque pœnas in dictis nostris Literis expressas, & a Sacris Canonibus, legibus, aliisque Constitutionibus inflictas incidisse, & incurrisse declaraveris, illico absque ullius termini præfixione, nullaque mora, vel dilatione interposita dictam Civitatem Lucanam, ac quæcumque Oppida, Terras, Castra, & Loca, universumque temporale dominium Reipublicæ hujusmodi ecclesiastico interdicto, non expectata alia ulteriori contumacia supponere, & subiicere, ac supposita, & subjecta esse, & fore nunciare, declarare, & decernere, libere, & licite possis, & valeas, plenam, amplam, & liberam facultatem, & auctoritatem, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Derogatque contrariis.

§.4. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, literis nostris prædictis, ac omnibus illis, quæ in eisdem literis voluimus non obstare, cæterisque con-

contrariis quibuscumque, licet talia essent, quæ individua, atque specifica mentione indigerent.

Dat. die 23. Februar. 1640 An. XVII. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Febr. 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCL.

Declaratio mentis circa reductionem onerum quorumdam beneficiorum.

Multa alia securitatem conscientiarum beneficia obtinentium concernentia annotari possunt ex repertorio materiarum, in verbo Beneficium.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Alias non ex certis rationabilibus causis adducti, ex diversis legatis piis, seu bonis, diversis Domibus regularibus Fratrum, tam non reformatorum, quam etiam forsan reformatorum Ordinis Sancti Francisci Minorum de observantia nuncupatorum, similium legatorum incapacium, in diversis Civitatibus, & locis Regni Neapolitani, ac in Civitate, seu Diœc. Florentin. ac alibi etiam forsan in Statu nostro Ecclesiastico existentibus, per Christifideles per viam testamentorum, seu Codicillorum, aut Donationum tam inter vivos, quam causa mortis, aut aliàs etiam sub celebrationis missarum, & seu anniversariorum, aliorumve divinorum officiorum, & suffragiorum, & forsan aliis oneribus, ac etiam sine oneribus respective relictis, diversa perpetua simplicia beneficia ecclesiastica in diversis Ecclesiis, & diversis temporibus tam nostro motu proprio, quam ad diversorum supplicationem apostolica auctoritate perpetuo ereximus, & instituimus, illisque sic erectis, & institutis pro eorum dote, & illa pro tempore obtinentium substentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, tam in actu ipsarum erectionum, & applicationum plurima, quam etiam deinde in pluribus vicibus diversa alia legata, seu bona similia, cum similibus oneribus, ac etiam forsan sine illis, eisdem, seu aliis, domibus regularibus eorumdem Fratrum etiam, ut præfertur, relicta, etiam forsan cum eorum fructibus eatenus respective decursis, etiam forsan pro supplemento, seu augmento dotis hujusmodi, etiam perpetuo applicavimus, & appropriavimus, oneraque eisdem legatis, seu bonis, ut præfertur incumbentia ad certum missarum numerũ per unumquemq; ex obtinentibus unumquodque ex beneficiis hujusmodi, vel per alium ejus nomine respective celebran. etiam perpetuo reduximus, ac obtinentes beneficia hujusmodi ad aliquod aliud quam dictarum missarum onus non teneri voluimus, ipsaque beneficia a primæva illorum erectione, & institutione hujusmodi vacan. diversis clericis, seu presbyteris contulimus, & de illis etiam providimus, prout in diversis nostris desuper confectis literis plenius respective continetur.

§. 1. Cum autem, sicut accepimus, nonnulla ex dictis legatis, seu bonis sicut præfertur applicatis, & appropriatis cum onere dotationis alicujus puellæ, seu aliquarum puellarum, inter cætera eisdem fratribus relicta fuerint, ab aliquibus vero revocetur in dubium, an sub reductionibus onerum sic in confuso expressurum per Nos, ut præfertur, factis, dotationes puellæ, seu puellarum hujusmodi comprehensæ extiterint, Nos ne ulterius circa præmissa a quoquam hæsitari contingat providere, ac securitati conscentiarum dicta beneficia obtinentium consulere volentes, ac omnium, & singularum literarum super erectionibus, & institutionibus, ac applicationibus, & appropriationibus, necnon reductionibus, & provisionibus hujusmodi respective confectarum totos, & integros tenores, perinde ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, & exprimerentur, ac datas, necnon nomina, & cognomina illorum, qui dicta beneficia ad præsens obtinent, seu aliàs obtinuerunt, etiamsi familiares, ac continui Commensales, ac Prelati domestici nostri, aut aliàs speciali nota, & expressione digni sunt, ac etiam legatorum, seu bonorum prædictorum veros annuos valores eorumque, ac dictorum onerum qualitates, & quantitates præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes motu simili, & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, mentis, & intentionis nostre fuisse, & esse decernimus, & declaramus sub reductionibus onerum, sicut supra in confuso, & in genere absque aliqua specificatione dotationis, seu dotationum puelle, seu puellarum expressorum, & narratorum per Nos factis hujusmodi noluisse comprehendere illa onera dotationum, quæ fuerunt relicta pro aliqua puella, vel aliquibus puellis nominatim, vel de aliqua particulari familia, aut descendentia, seu agnatione in specie, quæ nullo modo reducta intelligantur, sed juxta voluntatem legantium tam quoad tempus decursum, quam decurrendum semper, & perpetuo adimpleri debeant, sed tantum eas dotationes, quæ fuerunt relictæ pro aliqua puella, seu aliquibus puellis etiam ex certo loco oriundis, aut aliàs quomodolibet qualificatis in genere, & in confuso absque ulla speciali expressione personarum, seu particularis familiæ, aut descendentiæ, vel agnationis.

Declarat Pontifex suam mentem circa reductionem onerum quorumdam beneficiorum.

§. 2. Sicque, & non aliàs, literas nostras prædictas etiam ab illarum dat. intelligi, & per modernos, ac pro tempore obtinentes beneficia hujusmodi, & eorum quemlibet tam quoad tempus præteritum, quam futurum semper, & perpetuo observari

Clausulas præservativas apponit.

vari debere, præsentesque literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari numquam posse sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Card. etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Per præsentes autem non intendimus aliquid innovare, seu immutare circa eas dotationes dictarum puellarum, quæ a Nobis in eisdem literis, seu earum aliquibus in specie præservatæ extiterunt.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus literis nostris præfatis, & earum singulis, quatenus in aliquo obstent, aut obstare dici possent, ac earumdem legantium voluntatibus, necnon regula nostra de jure quæsito non tollendo quatenus opus sit, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis, earumque singulis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.4. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis etiam impressis, & manu nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii subscriptis, ejusque sigillo munitis eadem prorsus tam in judicio, quam extra illud ubique in Romana Curia, & extra eam fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 6. Martii 1640. An.XVII. Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Martii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCLI.

Prohibitio erigendi nova loca sub titulo de Propaganda Fide ubique Terrarum absque facultate Sedis Apostolicæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Prohibitio, prout in rubr. NE nova loca sub titulo de Propaganda Fide imposterum ubivis gentium temere, & inconsulta Sede Apostolica erigantur, aut instituantur, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotio Propagandæ Fidei hujusmodi præpositorum consilio, Superioribus cujuscumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis, aut instituti sub pœnis privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis ad ea, apostolica auctoritate, tenore præsentium prohibemus, ne Monasteria, Conventus, Domos, Seminaria, Collegia, Hospitia, seu Oratoria sub titulo de Propaganda Fide construant, aut erigant, vel a suis subditis construi, aut erigi permittant, sine speciali eorumdem Cardinalium licentia.

Contrariis derogat. §.1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac cujuscumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§.2. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro pleue, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §.3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Secretarii Congregationis dictorum Cardinalium de Propaganda Fide, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præfecti Congregationis hujusmodi, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 13. Martii 1640. An.XVII. Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 13. Martii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

Anno a Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo, Indictione octava, die vero vigesimaquarta mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss.D.N. Domini Divina Providentia Urbani Papæ VIII. Anno ejus XVII., supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Bardum prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

DCLII.

Confirmatio Decreti a Magistro Generali Ordinis S. Spiritus de consensu Vocalium dicti Ordinis facti, quo cavetur, ne ullus imposterum in Ordine hujusmodi admittatur, oisi prius per continuum annum saltem io aliquo Archihospitalis S. Spiritus de Urbe ministerio, se laudabiliter gesserit.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis pastoralis officii munere his, quæ pro religiosorum quorumlibet statu prospere dirigendo provide statuta, & ordinata sunt, ut inviolabiliter serventur apostolici roboris adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refert Decretum Præceptoris.

§.1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit Ven. Frater Stephanus Episcopus Xireuen. nostri Archihospitalis S. Spiritus in Saxia nuncupati de Urbe Præceptor, ac totius Ordinis S. Spiritus Magister Generalis ipse Archihospitalis, & Ordinis prædictorum profectui, bonæque directioni consu'tum esse cupieus die 13. mensis Decembris anui 1634. de unanimi Patrum Vocalium dicti Ordinis consensu, fecerit Decretum tenuris sequentis, videlicet: Nullus imposterum iu Ordine S. Spiritus valide possit admitti, nisi prius per continuum saltem annom in aliquo dicti Archihospitalis ministerio se fideliter, & laudabiliter gesserit, ac annum ætatis suæ 22. attigerit, 45. non excesserit, salva in reliquis forma Constitutioois fel. rec. Sixti PP. V. de recipiendis ad religionem Novitiis edita.

Et illud confirmat.

§.2. Nos inviolabili Decreti hujusmodi observantiæ, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, dictumque Stephanum Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absulutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Stephani Episcopi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, ac illud in Archihospitali, & Oroine prædictis inviolabiliter observari mandamus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & defioiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Proviucialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Archihospitalis, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Aprilis 1640. An. XVII.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCLIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Nonnullæ facultates Congregationi Propagandæ Fidei conceduntur super Collegiis Avenionensibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert alias a se hæc Collegia regimini Cong. de Propag. Fide fuisse subjecta.

§.1. ALias per Nos accepto, quod in Civitate nostra Avenionen. unũ S. Nicolai de Anexiaco magnum nuncupatum, & alterum de la Rovere vulgo etiam nuncupatum Collegia pro recipiendis, alendis, & instruendis in eis Collegialibus, seu Alumnis ex Provinciis, & locis in eorum fundatione expressis evocandis a multis aunis, apostolica auctoritate, aut alias instituta, erecta, & dotata reperiebantur, & ex relatione Visitationis præfatorum Collegiorum in Congregatione de Propaganda Fide in nostra præsentia habita per Nos etiam comperto bona, tam libera, quam emphiteutica, & jurisdictiones, ac redditus præfatorum Collegiorum temporis successu, & malo Rectorum, & aliorum, qui curam illorum habuerant regimioe, oon sulum deteriorata, & imminuta, sed etiam ex parte alienata, fuisse, ipsorum quoque Collegiorum ædificia præfatorum Ministrorum incuria, & negligentia pessundata, & disciplinam Collegialium, seu Alumnorum ob Constitutionum prædictorum Collegiorum inobservantiam fere penitus esse collapsam, & denique contra fundatorum mentem, & dispositionem, Pootificiasque Constitu-

tiones

tiones pro præfatis Collegiis editas, multos graves in eis, & præsertim circa gubernium prædictorum Collegiorum, seu Alumnorum irrepsisse abusus, quibus, nisi celeriter provideretur, res omnes præfatorumCollegiorum in deterius labi necesse erat, & modica, seu nulla utilitas, aut fructus ex illis imposterum percipi potuissent: Nos eorumdem Collegiorum reformationi, conservationi, & manutentioni, bonoque eorum regimini, ae præfatorum bonorum, & jurisdictionum, ac redditnum eorum exactioni, ac fideli administrationi consulere volentes motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, habito desuper cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotio propagationis fidei in universum mundum præpositis maturo consilio, Collegia prædicta, & eorum quodlibet, necnon eorum, & cujuslibet ipsorum Doctores, Magistros, Scholares, aliosque Ministros, & personas quascumque, necnon bona, jurisdictiones, proventus, jura, & emolumenta quæcumque quocumque nomine nuncupata, aliasque res omnes, & singulas tam ecclesiasticas, quam prophanas, necnon Ecclesias, seu Cappellas omnino jurisdictioni;, gubernationi, protectioni, & directioni tunc, & pro tempore existeutium eorumdem Cardinalium privative quoad alios omnes quacumque dignitate fungentes, etiamsi specialem requisivissent mentionem, qui super Collegiis, personis, rebus, & bonis prædictis, vel eorum aliquibus similem gubernationem, protectiouem, jurisdictionem, & directionem ex quacumque causa quomodolibet habebant, seu habere potuissent, apostolica auctoritate perpetuo subjecimus, & submisimus, eisdemque Cardinalibus, prædicta Collegia, & eorum quodlibet, prout eis visum fuisset, reformandi, regendi, & guberuaudi, Rectoresque, Judices, Cappellanos, Oeconomos, & alios Ministros eorumdem Collegiorum, & cujuslibet eorum deputandi, & constituendi, eosque, & quemlibet eorum ad eorumdem Cardinalium merum, & liberum, & absolutum beneplacitum, & etiam absque nlla causa amovendi, in Collegiis præfatis Scholares, seu Alumnos ex Provinciis in fundationibus eorum expressis, & nominatis oriundos, qui testimoniales literas suorum ordinariorum de vita, & moribus, & idoneitate ad studia deferant, admittendi, eosque si discoli, aut inepti ad studia fuissent, vel aliàs in literis, vel bonis moribus non perfecissent, & denique si Constitutiones prædictorum Collegiorum non observassent, e Collegiis ipsis, & eorum quolibet eiiciendi, necnon eorumdem Collegiorum, & cujuslibet eorum bona, jura, & jurisdictiones, & redditus hujusmodi administrandi, ipsosque redditus in alendis Scholaribus, & Ministris, ac iu reficiendis, & reparaudis fabricis eorumdem Collegiorum, & eorum cujuslibet, aut aliàs pront expediens visum fuisset circa manuteutionem, & conservationem dictorum Collegiorum, & cujuslibet eorum insumendi, bonaque, & jurisdictiones hujusmodi ad tempus a jure permissum locandi, & dislocandi, affictus exigeudi, eosque insumendi ut supra, ac de exactis quietandi, ae alia in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, exercendi, gerendi, procurandi, & exequendi, etiam privative quoad omnes alios dicta auctoritate, facultatem etiam perpetuo concessimus, & impertiti fuimus, eisdemque Cardinalibus, ut facultatem hujusmodi, ut præfertur impertitam circa præmissa, vel eorum aliquod, ac in toto, vel in parte, prout eis visum fuisset tunc, & pro tempore existentibus Legatis, vel Pro-Legatis Avenionen., aut Congregationi particulari in Civitate Avenionen. erectæ, seu erigeodæ communicare libere, & licite possent, & valerent, dicta auctoritate similiter perpetuo indulsimus, & aliis, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis literis, quarum tenores, præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

Nunc aliis eidem Congreg. facultates concedit.

§.2. Nunc autem prospero, felicique eorumdem Collegiorum statui, regimini, & gubernio per amplius consultum esse cupientes, ex relatione pariter Congregationis eorumdem Cardinalium die 27. Martii 1638. coram Nobis habitæ eisdem Cardinalibus negotio propagationis fidei in universum mundum præpositis, pro salubri eorumdem Collegiorum directione, & regimine nova Statuta condendi, & vetera reformandi, si opus fuerit, eisdemque veteribus statutis, & fundationibus, etiamsi a Sede Apostolica, aut Legatis Avenionen. aliàs condita, vel confirmata fuerint pro bono Collegiorum prædictorum derogandi; Insuper Agentes, & Proeuratores constituendi pro recuperatione bonorum, & jurisdictionum male alienatorum ad præfata Collegia spectantium, & denique alia quæcumque faciendi, & gerendi, quæ pro recto regimine præfatorum Collegiorum;, ac bonorum, jurium, & jurisdictionum eorumdem eisdem Cardinalibus necessaria, aut quomodolibet opportuna videbuntur, plenam, liberam, & omnimodam licentiam, & facultatem, etiam perpetuo concedimus, & impertimur.

Derogatque contrariis.

§.3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Maii 1640. An.XVII.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Maii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Declarat Civitatem Sarsinæ, ac Terram Meldulæ, & Castrum del Rio in Provincia Romandiolæ existentia comprehendi sub Legatione Romandiolæ.

Dilecto filio nostro Marco Antonio tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbytero Cardinali Franciotto nuncupato in Provincia Romandiolæ, & Exarchatu nostris Ravennæ nostro, & apostolicæ Sedis de latere Legato.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Causæ faciendæ declarationis. §.1. Cum Nos de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio te hodie in Provincia Romandiolæ,& Exarchatu nostris Ravennæ nostrum, & Apostolicæ Sedis de latere Legatum, ac pro Nobis, & S. R. E. in spiritualibus, & temporalibus Vicarium Generalem cum certis facultatibus, & auctoritate procedendi etiam contra Feudatarios, Barones, & Domicellos ad triennium proximum constituerimus, dubitari vero ab aliquibus forsan posset, an Civitas Sarsinæ, & Terra Meldulæ Sarsinaten., seu alterius, aut Nullius Diœces., necnon Castrum del Rio nuncupatum Imolen. Diœcesis, quæ in Provincia prædicta existunt, & nuper, a Nobis,& Apostolica Sede ex causa devolutionis, seu caducitatis, aut aliàs alio modo recuperata fuerunt, seu de proximo recuperabuntur, sub legatione tua hujusmodi, & facultatibus tibi, ut præfertur concessis comprehendantur.

Declaratio de qua in Rubr. §.2. Nos licet nullatenus controverti posse, quin ea sint sub legatione, & facultatibus hujusmodi comprehensa, cum legatio, & facultates præfatæ quascumque Civitates, Terras, & Castra Provinciæ præfatæ complectantur, nihilominus, ut omnis circa id ambigendi occasio prorsus tollatur; motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Civitatem Sarsinæ ac Terram Meldulæ, necnon Castrum del Rio hujusmodi sub legatione, & facultatibus præfatis, prout reliquæ Civitates, Terræ, & Castra Provinciæ, & Exarchatus hujusmodi comprehendi, & comprehensa esse; Sicque ab omnibus censeri, teneri, judicari, & definiri debere sublata quibulvis aliter interpretandi, vel judicandi facultate, & auctoritate, tenore præsentium declaramus, & decernimus.

Derogatio contrariorum. §.3. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quateous opus sit, quibuscumque Civitatis Sarsinaten., & Terræ Meldulæ, ac Castri del Rio præfatorum concessionibus, & infeudationibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 21. Maii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII. Dat. die 21. Maii 1640. An. XVII.

DCLV.

Pro restituendo, ac conservando in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia disciplinæ regularis candore.

De hujusmodi Fratrum Religione plene notatum est ad Constit. Sacrosanctum. & in sequentibus statutis generalibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, inscrutabili divinæ providentiæ voluntate præsidentes, quid pro felici Christifidelium quorumlibet, & præsertim regularium personarum, quæ abjectis mundi vanitatibus, Deo sub suavi religionis jugo se totas devoverunt, statui conferat, diligenter prospicimus, ac quæ ipsis per emissorum votorum semitas ad perfectionis apicem contendentibus, offendiculo esse possunt, removere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exordium.

Motiva. §.1. Cum igitur, sicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ob minus accuratam aliquorum præceptorum regulæ eorumdem Fratrum Observantiã, nonnullosque abusus, qui in Ordine prædicto contra Apostolicarum Constitutionum, præcipue & fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri decretorum pro reformatione Regularium editorum, præscriptum, pacem, mentisque quietem turbari, religionis candorem minui, ac fidelibus non paucorum scandalorum occasionem præberi contingat.

Hinc

Tollit quasdã desuetudines, & pœnas apponit.

§.1. Hinc est quod Nos ejusdem Clementis decretis, dictique Ordinis statutis, per Sedem Apostolicam confirmatis inhærendo, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valituraConstitutione confirmantes, quæ aliàs a Nobis circa Patrum privilegiatorum abrogationem, sub die 23. Julii anni 1639. sancita fuere, Patrum ex electione factorum, sive ii Procuratores, & Commissarii Generales Curiæ, sive Definitores Generales Ordinis, seu Ministri Provinciarum, sive earumdem Custodes, & Definitores, a quibus ob majorem multitudinem majora etiam in eisdem oriuntur incommoda, quos ultra numerum in Statutis Ordinis præscriptum minime augeri posse sine dispensatione, decernimus, sive Provincialium gratiis, & privilegiis ex Ordinis concessione gaudentes extiterint, vel existant; relicta tantummodo præcedentia, ac antelatione, ac socio eisdem per Ordinis statuta respective concessis, omnes exemptiones, immmunitates, licentias, consuetudines, quæ potius abusus dici possunt, quoquo modo in dicto Ordine obtenta, inducta, intrusaque in perpetuum cassamus, tollimus, abolemus, & abrogamus, ac cassata, ablata, abolita, & abrogata esse, & censeri debere, cuicumque in posterum tales exemptiones, & privilegia concedendi facultate penitus interdicta, sub privationis vocis activæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendis poenis, decernimus, & ordinamus.

Dat facultatẽ Superioribus libere exercendi munus suum.

§.3. Declarantes, ex officiis, quibus functi fuerint, nullum aliud in ipsis remansisse, vel remanere, aut eos prætendere posse jus, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel quocumque alio nomine nuncupetur, præeminentiam in Provinciis, Conventibus, Fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus; itaut liberum omnino sit Provincialibus, & Definitoribus (nullo ad prædictos Patres habito respectu) de Conventibus disponere, Guardianos instituere, Fratres collocare, aliaque exequi, sicut communi Provinciarum bono viderint expedire. Necnon Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam Cardinali Protectori, Ministro, ac Commissario Generalibus pro tempore existentibus, contravenientes Provinciales, & Guardianos taliter electos, obtentis officiis, eorum arbitrio, privandi; Patres vero præfatos, qui præteritorum officiorum per eos obtentorum prætextu, aliquid contra præsentis Constitutionis tenorem moliri, innovare, vel attentare præsumpserint, ad majorem tranquillitatem, & pacem, eorumdem Protectoris, & Generalium arbitrio, etiamsi opus fuerit in alienas Provincias transferendi, & transmittendi, facultatem concedimus, & impertimur.

Mandat quod Prædicatores eleemosynas Superioribus significent.

§.4. Ne autem in dicto Ordine recipiendi pro concionibus pecuniarias eleemosynas, deque illis ad concionatorum arbitrium disponendi, neve nimius equitandi abusus ulterius invalescant, gravissimisque Regulæ Beati Francisci voto, & præcepto passim contraveniatur, omnibus, & singulis prædicti Ordinis Concionatoribus, ultra pœnas in proprietarios per ejusdem Ordinis statuta fulminatas, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub privatione officiorum, quæ obtinent, ac perpetua inhabilitate ad quæcumque officia, gradus, & dignitates imposterum ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, ut de prædictis eleemosynis per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in Procuratoris, sive alterius cujuslibet deponi faciant, sed easdem integras Superiori Provinciali significent, qui de illis juxta Regulæ præscriptum disponat: quibus etiam pœnis eo ipso subiicimus omnes ejusdem Ordinis Fratres, qui sine manifesta, vera, gravique necessitate, aut infirmitate, & absque licentia Provincialis, vel in casu urgenti, Superioris localis, de consilio, & judicio trium Discretorum Conventus in scriptis obtenta, equitare ausi fuerint: easdem pœnas solis Ministro, & Commissario Generalibus aliquando, & ex rationabili causa remittendi, facultate relicta.

Dat normãm equitandi.

§.5. Quos cum Provincialibus Provinciarum, Commissariis, & ad urgentiora negotia destinatis paterne monemus, ut in casu urgenti, ac per regulam permisso, memores sint paupertatis, humilitatis, & patientiæ Christi Domini Salvatoris Nostri, ad cujus vitæ exemplum Beatus Franciscus, & conversationem instituit, & Ordinem suum fundavit, vilioribus, despectisque jumentis contenti sint, & comitatu, qui seculares divites decet, relicto, majori, qua fieri poterit, modestia gradiantur, exemploque cæteros præeuntes, sciant in concessis tantum casibus equitandi licentiam indulgere, super quo Superiorum omnium, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, conscientiam oneramus. Concedentes Provincialibus, & Provinciarum Commissariis, ut uno, eoque humili jumento, pro se tantum, non autem pro sociis, in necessitatis articulo uti possint: alioquin si contrafecerint, suis officiis eo ipso destituti remaneant.

Observari mandat Const. Clem. 8. & pœnas apponit.

§.6. Ad hoc, ut prædicti Clementis Octavi Prædecessoris nostri decreta inviolabiliter observentur, omnes Fratres, præcipue nominatos Ordinis, & Provinciarum Patres, legitime non impeditos, ad Chori servitium, & ad faciendam hebdomadam, aliasque ecclesiasticas functiones, ad vestitum, & cellarum suppellectilem eorum statui convenientes, ad communem mensam, cum eisdem pane, vino, obsonio (nihil cuiquam singularitatis concesso) ad egressum de Conventibus cum licentia, & socio, qualibet vice a Superioribus obtinendis, benedictionisque receptione post regressum, ad cubitum singulorum in singulis lectis, ad orationis men-

mentalis studium, a qua nullus, cujuscumque conditionis existat, exemptus censeatur, ad silentii custodiam, ad culparum capitula, ad virtutum exercitium, ad colloquutiones, & sermones, singulis saltem hebdomadis, de regulari disciplina, spiritualique profectu tractantes, teneri volumus, & obligamus, nedum sub pœnis in eisdem decretis contentis, verum etiam sub privatione officiorum, & perpetua inhabilitate imposterũ ipso facto incurrendis: Guardianis, Provincialibus, & Generalibus respective, qui sine legitima causa prædictorum transgressionem permiserint, & notabiliter uegligentes, ac transgressores non legitime impeditos, voce activa, & passiva non privaveriut, & imposterum ad alia non inhabilitaverint, prout Nos hac nostra Constitutione (quam in sola Cismontana familia valere, statimque post ejusdem notitiam a prædictis Superioribus sub fulminatis pœnis in quolibet Conventu, pro felici exequutioue publicari, ac in statutis Ordiuis inseri, & cum illis bis saltem in anuo publice iu Communitate Fratrum legi, sub destitutione ipso facto Superiorum localium negligentium, volumus) privamus, & inhabilitamus, ac tamquam candoris ordinis obscuratores, disciplinæque regularis relaxatores, privatos esse volumus, & declaramus.

Decretum irritans.

§.7. Sicque in præmissis omnibus, & singulis inviolabiliter observari, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inaue, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.8. Non obstautibus Apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, & Fratribus, ac quibusvis aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servauda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.9. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personę in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S.Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Junii 1640. Pontificatus nostri Anno XVII. — Dat. die 1. Jun. 1640. An.XVII.

DCLVI.

Confirmatio nonnullarum Declarationum Congregationis Concilii Tridentini, videlicet Episcopum posse sine Adjunctis procedere contra Coadiutorem, nisi ei fuerint concessa omnia privilegia, quæ habent Canonici, ac Episcopum super hoc per Capitulum impediri non posse, nec ipsos Capitulares posse mulctare Episcopum, sed solum ad superiores appellare.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur Decr. Congr. Concilii.

§.1. CUm sicut accepimus a Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus fuerit quæsitum: An Episcopus possit solus sine adjunctis procedere contra Coadjutores Canonicorum: Secundo an in casu, quo solus procedat possit per Capitulares adjunctos impediri monitionibus, & inhibitionibus: Tertio quatenus Episcopus spernat hujusmodi inhibitiones, & monitiones liceat eisdem adjunctis mulctare Episcopum, vel potius appellare debeant ad superiores; Dicti vero Cardinales ad quæsita hujusmodi responderint, prout sequitur videlicet: ad primum Episcopum posse, si Coadiutori non fuerint concessa omnia privilegia, quæ habent ipsi Canonici. Ad Secundum per Capitulares non potuisse impediri. Ad Tertium pariter non potuisse Episcopum mulctare, sed ad Superiores appellare debuisse.

Quæ confirmantur.

§.2. Nos pro firmiori responsorum hujusmodi subsistentia, & observatione eadem Responsa apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac illa observari mandamus; Sicq; per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Obstantium derogatio.

§.3. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robo-

robore permansuris, ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Jun. 1640. An. XVII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Junii 1640. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCLVII.

Confirmatio electionis Sancti Dominici in Patronum Civitatis Neapolitanæ, & totius Regni.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex injuncto Nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem Servorum Christi debitus honor, & veneratio in terris in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in sanctis suis.

Quamobrem Christi fidelium ad eorumdem Sanctorum patrocinium confugientium vota, ut optatum sortiantur effectum, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac desuper ejusdem officii partes propensis studiis impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Neapolitanæ, aliarumque Communitatum, & Universitatum, ac hominum totius Regni Neapolitani, Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi ob singularem, quem erga S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Institutorem gerunt devotionis affectum, eumdem S. Dominicum in Patronum, & Protectorem Civitatis, & Regni hujusmodi elegerunt: Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti plurimum cupiant electionem hujusmodi, quo firma perpetuo subsistat, nostro, & hujus S. Sedis Apostolicæ patrocinio communiri.

Confirmat prout in rub. §. 2. Nos eorumdem exponentium pietatem, & consilium hujusmodi plurimum in Domino commendantes, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus exponentium eorumdem nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, electionem prædictam, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exempli. fidem addit. §. 4. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Augusti 1640. An. XVII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Augusti 1640. Pontificatus nostri Anno XVII.

DCLVIII.

Statuta Generalia a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Octavo in forma speciali, & ex certa scientia, ac cum præinsertione ipsorum literis sequentibus confirmata.

Similia Statuta habes in Constit. hujus Pont. Sacrosanctum, ubi plura ad materiam annotata reperies.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divina dispensatione præsidentes, ex incumbenti Nobis pastoralis officii debito Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei Militantium prosperum statum, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, iis, quæ propterea pie, & provide, præsertim in eorum Capitulis Generalibus facta fuisse comperimus, ut firma perpetuo, & illibata remaneant, libenter, cum a Nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

In Capitulo Gener. hujus Ordin. edita fuerunt nonnulla Statuta. §. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Joannes Merinero Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Minister Generalis Nobis nuper exponi fecit, in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Domo Beatæ Mariæ de Ara-Cœli nuncupatæ de Urbe prædicti Ordinis novissime celebrato, pro felici universi Ordinis hujusmodi gubernio, & directione nonnulla Statuta edita fuerint, tenoris subsequentis, videlicet.

STATUTA GENERALIA
Pro utraque Familia.

De Ministro Generali.

Declarat Capitulum Generale, omnem, & quamlibet potestatem, quæ in Ministro Generali reperitur ad dispensandum in Statutis Generalibus, totam ipsi provenire a Generali Capitulo: unde quoties ab eodem Capitulo Generali decreto irritante prohibetur, ne in aliquo Statuto concedatur absolute dispensatio, vel nonnisi sub certis conditionibus ibidem expressis, si Generalis Minister, aut absolute dispenset, aut conditiones ad dispensandum requisitas non observet, hujusmodi dispensatio ipso facto irrita evadit.

Ordinatur a Capitulo Generali, ne liceat Ministro Generali, & multo minus aliis inferioribus Prælatis, qui electionibus præsident, illas jam inchoatas suspendere, aut iis jam congregatis, ad quos spectat faciendis electionibus interesse, eas impedire, ne fiant. Præterea iisdem Prælatis Generalibus interdicitur, ne functiones, quæ ad Congregationem legitime convocatam spectant, suspendere, aut impedire præsumant: scientes totum hoc irritum fore, utpote violentum, & libertati electionis contrarium.

Item prohibetur iisdem Prælatis Generalibus, ne posthac ad Provincias quemquam mittant, ut celebrandis earum Congregationibus intermediis præsit, nisi causa valde notoria, & urgens se obtulerit, vel major Definitorii pars Provinciæ ita postulet. Alioquin Provinciales, & alii, ad quos attinet, uti jure suo in hac parte permittantur.

Si Generalis Minister e Familia discedat, ex qua fuit assumptus, & neminem ibi relinquat, cui vices suas commiserit, ut ad eum veluti Commissarium Generalem e Provinciis recurratur, in hoc eventu determinat Capitulum Generale Provincialibus fas esse eum Definitoribus ad intermedias Congregationes celebrandum devenire. Capitulum tamen Provinciale nullatenus celebrabunt.

Declaratur nemini Prælatorum deinceps licere vices suas alteri committere, ut in Capitulo Generali ipsius loco tam ad eligendum, quam ad alios actus ibi exercendos interfit. Quia Sanctissimus Dominus noster Urbanus VIII. Constitutione edita, & in præsenti Capitulo promulgata, similes substitutiones contra formam Constitutionum factas interdixit.

Commissarius Generalis Belgicæ nationis secundum antiquam consuetudinem fit a Ministro Generali cum potestatis plenitudine, & hujusmodi officium triennale est.

Prædicto Commissario Generali Belgico fas erit auctoritatem suam alteri subdelegare, attamen subdelegatus non habebit in electionibus votum, quo fruitur ipse Commissarius.

Congregationes intermedias, ex vi sui muneris cogere nequit, & ideo in hac parte statutorum generalium decretis standum est. Quinimo omni severitate præfatis Commissariis præcipitur, & decreto, quicquid in contrarium fecerint, irritante prohibetur, ne Congregationes nationales cogere, aut celebrare præsumant, quicquid in contrarium habeatur in Statutis Generalibus Barchinonensibus pro eadem natione accommodatis, quæ Capitulum Generale ad hunc effectum dumtaxat revocat. Quod si id necessarium censuerint, Capitula, seu Congregationes Generales expectent, & ibi nationalium Congregationum celebrationem fieri ipsis permittitur.

De Vicario Generali Ordinis.

Ad tollandam omnem ambiguitatis speciem, atque ut certior cognitio de qualitate eligendi in Vicarium Generalem habeatur, revocat Capitulum Generale Constitutionem illam Ultramontanæ familiæ, qua statuebatur, ut vita functo Generali Ministro, electio Vicarii generalis fieret in familia, in qua vita functus est Generalis, dummodo is, qui Vicarium totius Ordinis erit eligendus, sit ex illa familia, ex qua erat Generalis Minister, ex cujus persona officium Ministri Generalis vacavit. Et statutis Cismontanæ Familiæ adhærens præcipit, ut vacante quacumque de causa officio Ministri Generalis, electio Vicarii Generalis, in ea Familia celebretur, ex qua erat Generalis assumptus. In electione autem facienda unaquæque Familia modum sibi in Constitutionibus præscriptum observabit.

Jubetur deinde, ut in ejusmodi electione votum activum habeant Patres omnes, qui pro tempore in Generali Definitorio assistunt: videlicet discreti perpetui Ordinis, aut Familiæ, quales sunt Ministri, & Commissarii Generales præteriti, & Vicarii Generales præteriti, qui per biennium completum officium Vicarii Generalis exercuerunt. Deinde Procurator, & Commissarius Romanæ Curiæ, Procurator Generalis Reformatorum Cismontanæ Familiæ, & Definitores Generales utriusque Familiæ, quamdiu munere suo actu funguntur dummodo in ea natione præsentes sint, ubi electionem fieri contingat. Quod si absentes sint, nec vocandi erunt, nec expectandi, sed ad electionem juxta præscriptum Constitutionum Generalium erit procedendum, quam utraque Familia, nemine dissentiente, novo compromisso sic faciendam pronunciavit.

De

De Patribus perpetuis Ordinis, & Familiæ.

Attento Ordinis, ac honoris gradu, in quo singuli, pro sua quisque dignitate constitui debent, Capitulum Generale determinat, ut perpetui Ordinis, & Familiæ Patres secundum a Superiore locum semper obtineant: ita quod Ordinis Patres in toto Ordine, unus tantum Superior sedendi ordine præcedat. Unde præsentibus Ministro, vel Commissario Generali, illi solummodo præcedent. Si vero absint, solus Provincialis, & hoc absente, Guardianus Conventus anteibit. Et idem cum Familiæ Patribus, unoquoque in sua Familia observetur, sicut statuto Cismontanæ Familiæ fuerat præceptum, a qua mutuatum in Ultramontana Familia observandum statuit Capitulum Generale.

De Procuratore, & Commissario Generali Curiæ Romanæ.

Declarat Capitulum Generale juxta Constitutionem Gregorii XIII. Procuratorem, & Commissarium Generalem Curiæ Romanæ tam in Capitulis, quam in Congregationibus Generalibus, in Definitoriis assistere semper debere, nimirum, ut in veteri Definitorio, quod tunc absolvitur, & in novo, quod creatur, Religionis rebus determinandis intersint. Et idem statuitur de Procuratore Reformatorum Cismontanæ Familiæ, juxta Constitutionem SS. D. N. Urbani VIII.

De Definitoribus Generalibus, & eorum subrogatis, ac substitutis.

Censuit Capitulum Generale nimis indecorum esse, atque ab optimi regiminis ratione valde alienum, ut Definitores Generales primarii in ordine judices, penes quos est aliorum suffragatorum discussio, & approbatio, in Congregationibus, & Capitulis Generalibus suffragandi potestate careant: Et ideo statuit, ut posthac Definitores Generales utriusque Familiæ tam in Congregationibus, quam in Capitulis Generalibus, ubi suo funguntur officio, suffragium ferant: non aliter quam in suarum Provinciarum Capitulis, & Congregationibus suffragantur.

Quando in utraque Familia continget, ut Definitores Generales absint, vel quolibet eventu deficiant, statuitur, ut eorum loco alii statim subrogentur, vel substituantur. Verum tam in substitutione, quam in subrogatione, forma in statutis apud Toletum novissime editis tradita observetur.

Patres illi, qui loco Definitorum Generalium, dum adhuc vivunt, & absentes, substituuntur pro Capitulo Generali, deinceps inter Provinciæ suæ Patres numerentur: dummodo ultimi sint, & post eos locum habeant, qui Ministri, & Vicarii Provinciales jam extiterunt, vel postea eisdem officiis perfungentur.

De Ministris Provincialibus.

Prohibet Capitulum Generale, ne in Ministros Provinciales assumantur, nisi qui de earumdem Provinciarum corpore, hoc est, ibi Professi, vel a longo jam tempore (saltem per decennium) in eis fuerint incorporati, & insuper in inferiorum officiorum gradibus aptitudinis suæ ad gubernandum specimen præbuerint: aliter electio ipso facto irrita, & nulla sit.

Titulares Ministri ad suffragandi effectum solummodo electi, ad instar Commissariorum Provincialium habeant, qui pro Provincialibus legitime impeditis Generali Capitulo suffragantur: Nec ullo Patrum Provinciæ privilegio, aut exemptione gaudeant.

De Vicariis Provincialibus.

Provinciali Ministro e vita decedente, determinat Capitulum Generale ad amputandas litium occasiones, quæ ex diversis Provinciarum consuetudinibus, ac Constitutionibus oriuntur, ut in toto Ordine Regestrum scripturæ, & sigilla ad digniorē Provinciæ Patrem, eum videlicet, qui primum locum vendicat, statim deferantur. Is vero absque mora convocato Definitorio faciet Vicarii Provincialis electionem, in qua votum activum habeat, & passivum. Quod si Minister, aut Commissarius Generalis intra tres dietas consistant, consulendi sunt, & eorum responsio expectanda. Si tamen longius absint; iis inconsultis fiat electio, non obstante statuto in contrarium edito, quod ad hunc effectum revocat Capitulum Generale.

Vicarii Provinciales, qui per biennium completum in officio steterunt, Patrum Provinciæ privilegium, & præcedentiam habeant: eos tamen subsequentur, qui Ministri Provinciales extiterunt, vel postmodum extiterint. Absoluto tamen Vicariatus Provincialis officio, nonnisi post triennii vacationem in Provinciales Ministros eligentur. Qui vero per biennium integrum in officio non steterint, nullo gaudeant privilegio, sed absque ullo vacationis interstitio eligi poterunt Provinciales Ministri.

Is, qui mortuo Provinciali Ministro, vel quolibet eventu vacante, in Vicarium Provincialem fuit assumptus, usque ad Capituli Provincialis celebrationem in officio durabit. At vero Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari, dummodo tempus a lege præscriptum non excedatur.

Provincialibus Ministris e Provincia discedentibus, vel ad Generale Capitulum, vel negotiorum causa, quæ per ipsos fieri necesse sit, quolibet eventu officium vacaverit, Commissarii Provinciales, qui relicti fuerint, sub titulo, & appellatione Vicariorum Provincialium in officio succedent, quousque Capitulum Provinciale celebretur. Quando autem absen-

absentibus Ministris Provincialibus Commissarii morientur, Provinciæ regimen ad digniorem ipsius Patrem, cum eadem auctoritate, usque ad Provincialis regressum deferatur.

De Custodibus.

Decrevit Capitulum Generale, ut Custodes in solo Definitorio extra Capitulum electi, Custodum qui officium absolverunt, privilegio minime gaudeant, nisi per duos annos integros functi fuerint Custodiatus officio, vel ad Capitulum, seu Congregationem Generalem suffragaturi accesserint, quamvis biennium non sit completum. Sive autem Custodes in Capitulis, sive in Definitoriis sint electi, in Capitulo Provinciali eorum cesset officium, & alii de novo eligantur. Ille tamen qui duos annos non complevit, reeligi poterit ad idem officium.

De Secretariis Curiæ Romanæ.

Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. considerato labore, ac ingenti fatigatione, quam Secretarii, Procuratores, & Commissarii Generales in Romana Curia subeunt, quatenus eos in suorum officiorum administratione coadjuvant, literis in forma Brevis expeditis decrevit, ut prædicti Secretarii, postquam officium per triennium expleverint, in suis Provinciis immunitatibus, & privilegiis gaudeant eorum, qui ibi Definitores extiterunt, sed semper post eos, qui per electionem Definitores fuerunt, vel postea existent.

De Privilegiis, & Privilegiatis.

Creverat adeo in Religione nostra privilegiatorum numerus, & tam frequenti abusu immunitates, & privilegia laborantibus in præmium destinata ignavis forsan, & ambitiosis gratuito, & sponte donabantur, ut propterea SS. D. N. Urbanus VIII. motu proprio omnia privilegia personalia ex gratia, & favore per quemcumque concessa abstulerit, sublata facultate alia de novo concedendi; iis tamen exceptis, quæ in justum laboris præmium, & virtutis incitamentum Constitutionibus nostris, & statutis sunt, vel postmodum stabilientur. Exemptis hinc etiam Regum, & Imperatorum Prædicatoribus, & Confessoribus, quos ab hac Regula Sanctissimus exclusit.

PRO ULTRAMONTANA FAMILIA.

De Patribus Provinciæ.

Provinciarum Patres a Gregorio XV. quoad jus suffragandi in Capitulis, & Definitoriis in toto Ordine extinctos, Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. in tota Ultramontana Familia iterum suscitandos judicavit non tamen omnes, ne Provinciæ tot judicibus oneratæ premerentur, sed aliquos, qui rerum Religionis experti in Capitulis, Congregationibus, & Definitoriis existentes, auctoritate sua, & consilio alios in officio novos erudiant, & compescant. Quapropter motu proprio decrevit, ut in unaquaque Provincia Ultramontanæ Familiæ duo essent Provinciæ Patres, unus qui foret perpetuus, is videlicet, qui in Provincia dignior esset, hoc est primum inter Provinciæ Patres locum vendicaret. Quod si Pater iste alio titulo sit de corpore Definitorii, pro illo tempore assumatur alius in dignitate propinquior. Idem etiam subrogationis ordo servetur, cum per mortem vacare contigerit.

Alter Provinciæ Pater juxta prædictam Constitutionem Apostolicam ille est, qui immediate Provincialatum absolvit. Per triennium tantummodo durabit hujusmodi Pater, quo finito, succedet Provincialis, qui post ipsum subsequetur, officio absoluto. Quod si ante triennium deesse contingat, alius assumatur, qui immediatus Provincialis extiterat.

Præcipit vero Sanctissimus Ministris Generalibus, & aliis, ad quos prædictæ Constitutionis Apostolicæ exequutio spectat, ut sub gravissimis pœnis, & nullitate electionis illam observent, & inviolabiliter observari procurent.

De Commissario Generali Terræ Sanctæ in Curia Regis Catholici residente.

Declarat Capitulum Generale Commissarium Generalem Terræ Sanctæ, qui residet in Curia Regis Catholici non esse Prælatum; proindeque non solum Ministro Generali, sed etiam Commissario Generali Familiæ subditum esse, ac in omnibus, & per omnia subjectum. Ipsius autem socii quoad regularem disciplinam Provinciali Ministro, & Guardiano Conventus subiici debent.

Prædictus vero Commissarius singulis sex mensibus rationes reddere teneatur sub pœna privationis, quæ ipsi Segobiensibus statutis imponitur.

De Magistris Novitiorum.

Abrogatur statutum ultimi Capituli Toletani, in quo Magistris Novitiorum concedebatur, ut qui per octo annos in Conventibus principalioribus munus illud exercuissent, Lectorum Jubilatorum privilegio quoad præcedentiam dumtaxat fruerentur. & decernit Capitulum Generale, ut Statutorum Segobiense observetur.

De Lectoribus.

Censuit Generale Capitulum Theologiæ Lectoribus nullum umquam jus quæsitum, aut actionem ad continuandum legendi officium, quousque tempus jubilationis præscriptum compleverint. Et ideo statuit

statuit posse a Ministris Provincialibus amoveri de consensu Definitorii, & aliis muneribus, prout necessarium videbitur destinari. Eodem namque jure Lectores primo instituere, & cum libeat amovere ad Ministrum Provincialem, & Definitorium pertinet.

De Praecedentia.

Quoniam variatis in Ordine nostro aliquibus statutis, & Constitutionibus Apostolicis, non parva circa praecedentiam exorta est confusio, & abusus aliqui pullularunt; quapropter visum est graduum, & praecedentiae Ordinem hunc in modum dirigere, quem ab omnibus in Ultramontana familia inviolabiliter observandum statuimus.

Primo igitur inter Praelatos actuales habeat primum locum Minister Generalis: Postea Commissarius Generalis familiae: Deinde Commissarius Visitator Provinciae, & Minister Provinciae, & tandem Guardianus loci.

Post Praelatos autem sedeant, qui Ministri Generales, deinde qui Vicarii Generales per biennium fuerunt, post quos sequentur qui Commissarii Generales fuerunt, secundum Bullam unionis electi: Deinde qui Vice-Commissarii Generales biennio extiterunt.

Postea sequentem locum habeat Commissarius Generalis Indiarum in Curia Regis Catholici residens.

Deinde Procurator, & Commissarius Romanae Curiae, dum actu suis muneribus funguntur: Post quos sequetur Procurator Reformatorum Cismontanae familiae.

Postea Definitores Generales dum in suis officiis actualiter persistunt.

Deinde Procuratores, & Commissarii Curiae Romanae officiis functi (etiamsi Ministri Provinciales alias non fuissent) qui intra suam Provinciam, & extra omnes alios praecedent, licet Ministri Provinciales, aut Definitores generales extitissent.

Post praedictos sequentur qui Ministri Provinciales fuerunt in suis Provinciis.

Deinde qui Definitores Generales extiterunt, qui si Ministri Provinciales antea fuerunt, alios qui eodem munere functi sunt, praecedent: sin minus illos dumtaxat, qui postquam ipsi Definitoriatus officium expleverunt, ad Ministeriatum sunt promoti.

Postea vero ii, qui triennio Secretarii Ordinis fuerunt, videlicet Ministri, aut Vicarii, aut Commissarii, aut Vicecommissarii Generalis, secundum Bullam unionis electi.

Deinde, qui Commissarii Generales fuerunt in Regno Peruano, & in nova Hispania, & in India Orientali per triennium: dummodo in ejusdem muneribus obeundis laudabiliter se gesserint.

Deinde, qui in propriis Provinciis Vicarii Provinciales per biennium completum extiterunt.

Postea sedebunt, qui Ministri Provinciales in aliena Provincia fuerunt intra Hispaniae Provincias.

Post quos sequentur actuales Praedicatores Regis Catholici.

Deinde, qui pro Definitoribus Generalibus in Capitulo Generali substituti sunt.

Postea sequentur, qui per duodecim annos in Curia Regis Catholici Commissarii Generales fuerint Terrae Sanctae.

Postea, qui per duodecim annos Hispali Vice-Commissarii Generales Indiarum extiterunt.

Deinde Definitores, & Custodies actuales Provinciae.

Postea, qui in eadem Provincia Definitores, & Custodes fuerunt: quo gradu solum gaudent Custodes, qui in Capitulo electi sunt, vel si extra, per solum Definitorium, per biennium completum in officio durarunt; vel si in Capitulo Generali tulerunt suffragium, licet biennium non compleverint.

Deinde, qui per biennium Secretarii fuerunt Procuratoris, aut Commissarii Curiae Romanae.

Postea Secretarii Commissarii Generalis Indiarum, qui residet in Curia Regis Catholici, dummodo per sexennium laudabiliter officium illud exercuerint.

Deinde, qui per octo annos Commissarii Generales Terrae Sanctae in Curia Regis Catholici extiterunt; Et illi postea, qui etiam per octo annos Hispali Vice-Commissarii Indiarum fuerunt.

Deinde Lectores Jubilati, juxta Ordinis Statuta.

Postea sedebit Procurator, seu Commissarius Curiae Regis Catholici.

Deinde Commissarius Generalis Terrae Sanctae, dum actu exercet officium in Curia Regis Catholici.

Postea immediate sedebit Vice-Commissarius actualis Indiarum, qui Hispali residet.

Deinde sedebit primus Lector S. Theologiae.

De aliis vero Lectoribus, & Praedicatoribus, caeterisque Officialibus, & Religiosis circa praecedentiam serventur Statuta Segobiensia, exceptis, quae huic dispositioni contraveniunt.

Pro Indianis.

Quoniam decretum illud ultimi Capituli Toletani, quo concedebatur Ministris Provincialibus Indiarum, ut mittere possent Commissarios ad Capitulum Generale, nullum erat, utpote contrarium alteri Statuto edito in Capitulo Generali Romano ad annum 1625. tenoris sequentis. Caveant ex Indianis Provinciis Ministri Provinciales, ne ad Capitulum Generale, vel aut ipsi veniant, vel Commissarios suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultate concessa. Quod statutum a Sede Apostolica in forma speciali, ac ex certa scientia cum illius praeinsertione fuit confirmatum. Atque adeo nonnisi ab eadem

dem Sede Apostolica potuit revocari. Quapropter cum in hoc Capitulo Generali sancitum fuerit, restituendum esse Ministris Provincialibus jus antiquum, quod habebant, ut Commissarios ad Capitulum Generale suo nomine suffragaturos mitterent, ad Sedem Apostolicam recursum est, quatenus non obstante prædicto Statuto Romano, facultatem mittendi Commissarios Indianis Provincialibus indulgeret, prout clausulis sequentibus Sanctissimus Dominus Noster Urbanus Octavus indulsit.

Ministris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, ea tamen lege, ut tam Commissarii, qui mittentur, quam etiam Custodes, filii earum Provinciarum respectivè sint, pro quibus mittuntur, vel in eis per sexennium completum antea incorporati (sive in aliis Europæ partibus existant) dummodo ad electionis effectum non incorporentur (aliter electio sit nulla ipso facto) ac ut tam Commissarii, quam Custodes prædicti a suis Provinciis non aliter, quam juxta Constitutiones Generales Segobienses eligantur. Quod si Commissarii, & Custodes hujusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini, etiam tamquam Procuratori absenti, vel præsenti committere possint: ac idem in aliis etiam Prælatis, & Vocalibus, juxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem a Sede Apostolica approbatam, servetur.

Et insuper pro commodiori præmissorum exequutione Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ VIII. quæ incipit: *His, quæ ad regularium personarum statum*, die 4. Martii 1600. Pontificatus sui Anno IX. editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, præsertim in Limensi Provincia, ad Ministratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quam illi, qui ejusdem Provinciæ Alumni sunt, vel ad eam expresse, ac nominatim missi ex Hispaniis, cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, omnino admittimus, & præcipimus observandum esse.

Declarantes sub illis verbis, *seu quodlibet aliud dignitatis officium*, in dicta Clementis VIII. Constitutione expressis, Ministri Provincialis, tam pro regenda Provincia, quam pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati, Vicarii Provincialis, Custodis, Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum officia comprehendi, & comprehensa intelligi.

Quocirca Commissariis Generalibus nunc, & pro tempore existentibus in Indiis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, privationisque suorum officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, ut præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter servent, & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet, servari curent. Alioquin si eos in hac parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant: injungentes, & districte præcipientes Ministro Generali, & aliis pro tempore existentibus Ministris Generalibus, ut citra conniventiam quamcumque, pœnas prædictas contra transgressores debitæ exequutioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias.

Declarat insuper Capitulum Generale, ut nullus ex Sociis, quos secum deferunt Commissarii Generales Indiarum, nec etiam alii Religiosi, ad Provincialis, Custodis, Definitoris, & Guardiani officium assumi valeant, nisi postquam sexennium ab incorporatione fuerit transactum, aliter electionem ipso facto irritam esse determinat. Quod si Commissarii Generales Indiarum in hac parte deliquerint, idem Capitulum Generale decernit, ut ipso facto pœnas a Sanctissimo Domino Nostro Urbano VIII. in Brevi supra posito adversus transgressores impositas incurrant, inane, irritumque dijudicans, si quid in contrarium per quosvis Ordinis Superiores fuit, vel postmodum fuerit statutum.

De Auctoritate Commissarii Generalis Peruensis.

Determinat Capitulum Generale, ut prædictus Commissarius de Peru in omnibus electionibus suarum Provinciarum votum habeat, & auctoritatem suam cuilibet alteri subdelegare possit; attamen subdelegatus non habebit in electionibus votum, sicuti Commissarius habet. Et idem statuitur de Commissario novæ Hispaniæ.

De Vice-Commissario Indiarum Hispali residente.

Vice-Commissarius Indiarum ex decreto Capituli Generalis, dum actu exercet officium, sedeat immediate post Lectores jubilatos. Et qui per octo annos completos idem officium continuaverit, eorum privilegio gaudeat, qui fuerunt Definitores: Si autem per duodecim annos in Vice-Commissariatu steterit, præcedentiam, & Paternitatem habeat dumtaxat, qua Patres Provinciæ fruuntur: dummodo sedeat post omnes, qui Ministri, seu Vicarii Provinciales fuerunt, vel postea extitent.

De Secretario Commissarii Generalis Indiarum.

Secretarius Commissarii Generalis Indiarum, qui residet in Curia Regis Catholici, ex concessione SS.D.N. Urbani VIII. postquam per sexennium in eo munere recte, & laudabiliter se gesserit, in sua quisque Provincia dumtaxat privilegiis, & exemptionibus gaudeat, quibus uti, & gaudere solent ii, qui fuerunt Definitores. Illum tamen omnes præcedent, qui vel jam Definitores extiterunt, vel postea extiterint.

Reliqua negotia, quæ pro Indianis tractanda supersunt, Capitulum Generale determinat, ut a Reverendissimo Patre Ministro Generali, una cum Indiarum Commissario Generali, & Patribus de Definitorio Generali apud Matritum existentibus tractentur, & resolvantur.

Pro Canaria.

Statuitur ne in Canaria priventur Guardiani voce activa, ante electionem factam, nisi delictum sit aliàs publicum, & scandalosum.

Pro Sardinia.

Decrevit Capitulum Generale Provinciam Sardiniæ in duas fore dividendam, quarum una sub nomine S. Saturnini Martyris haberet Conventus, qui in Capite Calaritano continentur, & alia sub titulo S. Mariæ Gratiæ fieret ex Conventibus, qui sunt in Capite Saceris servato illi pristino nomine, una cum prioritatis, & antiquitatis jure, prout Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. Motu proprio sancitum fuit.

Pro Custodia Insularum de Acores.

In Definitorio Generali, præside, assistenteque D. Cardinali Barberino Protectore nostro, decretum est, custodiam Insularum de Acores ab Algarbiorum Provincia, cui aliàs in regimine subiiciebatur, separandam esse, prorsusque dividendam, ac in novam Provinciam erigendam, & de facto SS. D. N. Urbanus VIII. Motu proprio prædictam Custodiam divisit, ac dismembravit, & in novam Provinciam sub invocatione Sancti Joannis Evangelistæ erexit.

Pro Cismontana Familia.

Sanctissimus Dominus Noster Urbanus Octavus omnes Cismontanæ Familiæ Custodias Reformatorum, quæ viginti quinque numerum explent, in Provincias erexit, & unicuique præcedentiæ locum juxta ordinem infrascriptum assignavit.

Provincia S. Francisci.
Provincia Romana.
Provincia Marchiæ.
Provincia Tusciæ.
Provincia Bononiæ.
Provincia S. Antonii.
Provincia Genuæ.
Provincia Mediolani.
Provincia Principatus.
Provincia Septem Martyrum.
Provincia Vallis Nemorum.
Provincia Vallis Mazzari.
Provincia Vallis Neti.
Provincia S. Nicolai.
Provincia S. Bernardini.
Provincia S. Angeli.
Provincia Minoris Poloniæ.
Provincia Majoris Poloniæ.
Provincia Corsicæ.
Provincia Brixiæ.
Provincia Basilicatæ.
Provincia Terre-Laboris.
Provincia Calabriæ.
Provincia S. Didaci.
Provincia S. Thomæ Apostoli.

Receptum est Breve S.D.N. Urbani VIII. circa Lectorum Jubilationem, cujus initium est: *cum sicut accepimus, &c.*

Nullus deinceps Prædicator, aut Lector instituatur, nisi prius fidem suorum Lectorum exhibeat per Provincialem Ministrum authenticatam, & nisi ab eodem Ministro cum suo Definitorio fuerit antea examinatus, atque idoneus repertus.

Nec aliquis studens possit in futurum ad Sacræ Theologiæ studium transire, nisi Philosophiæ cursum antea perfecerit, & a Definitorio Provinciæ, quoad sufficientiam, & bonos mores fuerit approbatus. Cursum autem Philosophiæ declaramus esse trium annorum completorum. De quo studens tenebitur suorum Lectorum fidem per Provincialem, & Definitorium authenticatam præsentare.

Renovatur Statutum, quo præcipitur, nullum institui posse Prædicatorem, nisi prius cursum Theologicum trium annorem completorum perfecerit: neque Lectorem, nisi quatuor annis expletis studuerit.

Renovatur etiam Generale Statutum prohibens, ne studentes Generales e Conventu possint egredi, nisi bis pro quolibet mense; sive Guardianus, aut alius Superior localis possit eis licentiam concedere, nisi pro gravissima causa a Discretis Conventus prius approbata.

Ministri, & Definitores Provinciales actuales, extra suam Provinciam præcedant eos, qui fuerunt Provinciales, & Definitores respective.

Lectores Artium, & Casuum conscientiæ eos Sacerdotes præcedant, qui trigesimum annum Religionis non compleverunt, inter sese juxta antiquitatem habitus sedeant, & incedant, nisi aliquis Theologiam aliàs legisset.

Laici transeuntes ad statum clericalem, non possint habere officia, & dignitates in Religione.

Duo fratres germani in Provincialatu, immediate sibi succedere, aut simul in Definitores duo ex eadem agnatione eligi

eligi minime possint, ut aliàs Statutum est.

Minister in eo Capitulo, in quo suum explet officium in Definitorem eligi non possit, sub pœna nullitatis electionis.

Moriente aliquo Definitore extra limites Provinciæ, vel absente, itaut infra tres dies ejus præsentia haberi non possit, subrogetur alter Pater dignior illius Provinciæ, aliter electio nulla sit.

Ut induendis Fratribus opportune consulatur, Ministris districte præcipitur, ut officinas pro lanificio, & pannorum fabricatione introductas conservare procurent. Et ubi introductæ non fuerint, intra unius anni spatium illas erigant, & introducant, sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda: Nec ex alio panno, quam ex fabricato in supradictis officinis indui Fratres possint, aliàs induti inhabiles ad officia, & dignitates Provinciæ indispensabiliter censeantur.

Defunctorum spolia nonnisi Conventibus, in quibus Fratres decedere contigerit, applicentur; sublata Ministris Provincialibus in hac parte facultate aliàs dispensandi sub pœna privationis officii.

Ut multis abusibus, & periculis occurratur, statuimus, ut qua die quisque Fratrum itineris causa discesserit, & in quam item accesserit, ab eisdem Conventuum Superioribus in ea ipsa facultate discedendi causa fideliter notetur. Si secus fecerint, Prælati ab officio suspendantur per mensem; & subditi sicut apostatæ plectantur. Quod ut exactius observetur, districte præcipitur Superioribus, ut in obedientiarum, & licentiarum exemplis id ipsum Guardianis, cæterisque locorum Superioribus districte injungant, & terminum temporis præfixum secundum distantiam viarum, & dispositionem mittentium, & qualitatem euntium apponat.

Pro Germaniæ Provinciis.

In Provinciis Germaniæ Confessarii, & Commissarii Monialium, & Guardiani durent tantummodo ad triennium, & nullo pacto possint Provinciales, nec Commissarii Generales super hoc dispensare, cum sit mandatum apostolicum. Quod etiam servetur de Abbatissis Monialium.

Minister Provincialis Bohemiæ habeat jurisdictionem in Moniales S. Claræ, quam regulariter habent Ministri aliarum Provinciarum in suos.

Pro Poloniæ Provinciis.

Tollitur auctoritas Ministris Poloniæ incorporandi Fratres unius illarum Provinciarum in aliam, sub pena privationis mandantibus, & recipientibus. Capitulum Generale prohibet sub pœna privationis officiorum, & actuum legitimorum Superioribus, & subditis Provinciarum Poloniæ, ne ullo unquam tempore tractent de reuniendis illis Provinciis.

De Bulgaria.

Guardiani ultra triennium durare non possint, cum Apostolicis Constitutionibus repugnet. Aliter facta electio nulla sit, & invalida.

§.2. Nos inviolabili Statutorum hujusmodi observationi, perpetuæque firmitati, quantum Nobis ex alto conceditur opportune consulere, ipsumque Joannem Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis Ministri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta præinserta hujusmodi apostolica auctoritate, tenore præsentium, sine præjudicio tamen observantiæ regularis, & Statutorum apostolica auctoritate confirmatorum, ac Ordinationum, & Brevium Apostolicorum pro Fratribus Discalceatis Hispaniarum, & Indiarum factorum, & emanatorum, perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. *Quæ hic confirmat. cum supplemento defectuum.*

§.3. Decernentes eadem Statuta in prædicto Ordine ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter perpetuo observari, & adimpleri debere, irritumque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Et ab omnibus observari mandat.*

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Contrariis derogat.*

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Novembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII. *Dat. die 8. Novem. 1639 An.XVII.*

Præter ea, quæ sub hac confirmatione apostolica in forma speciali, utpote majoris momenti facta continentur, alia etiam a Capitulo Generali sancita sunt non minori observatione custodienda, cujusmodi sunt.

Pro Monialibus Hispaniarum.

Præcipit Capitulum Generale, ut Statuta nunc pro Monialibus edita, & approbata Typis mandentur, & inviolabiliter observentur.

Pro

Pro India Orientali.

Præcipit Capitulum Generale, ut in India Orientali serventur Statuta Segobiensia pro iis partibus edita, nunc vero renovata, & approbata, in melioremque methodum cum aliquibus additamentis redacta, quæ ad felicius earum Provinciarum regimen, & tranquillitatem deserviunt.

Pro Regestis.

Sit in utraque Familia Regestum, in quo notentur actus omnes capitulares, non solum ad futuram rei memoriam; sed ut religionis status cognoscatur, & ad regiminis directionem inserviat.

Ad præsentis Decreti properam executionem jubetur, ut actus omnes Capitulares, Decreta, Bullæ, Declarationes Sacrarum Congregationum, Decisiones Rotæ, & Sententiæ latæ in causis nostræ Religionis specialiter Romæ in Archivio reperta, quamprimum transcribantur, & transumptum authenticum ad Ultramontanam Familiam remittatur, ubi etiam aliud fiet transumptum earum rerum, quæ ibi fuerint inventæ ad Cismontanam Familiam pariter transmittendum.

Tria Apostolica Brevia pro feliciori nostri Ordinis regimine, nunc a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Octavo expedita, videlicet: Primum, in quo omnia privilegia personalia in nostro Ordine abrogantur. Secundum, in quo pro unaquaque Ultramontanæ Familiæ Provincia duo Provinciæ Patres instituuntur. Tertium ad favorem Provinciarum Insularum expeditum, ad finem horum Statutorum excudantur.

Ut Statutorum varietas, & multiplicatio tollatur, ac in Sacris Ritibus, & administranda Justitia, æqualis in omnibus Provinciis forma servetur; statuit Capitulum Generale, ut Statuta Cismontanæ Familiæ, per ejusdem Patres revisa, reformentur, & ad normam Apostolicarum Constitutionum strictius reducantur: edantur Cæremoniale, & Praxis Criminalis; quibus standum esse, Superioribus omnibus, & subditis respective præcipitur.

Numerus Defunctorum a postremo Capitulo Generali.

Numerus Fratrum, qui a præterito Capitulo Generali, usque in præsens e vita decesserunt, juxta computationem factam per testimonia ad Capitulum delata, complet septem millia ducentos, & nonaginta tres, Gallis hinc exceptis, qui ad Capitulum non venerunt.

Ita est

Cardinalis Barberinus Protector, & Præsidens.

Fr. Jo: Merinero Minister Gen.
Fr. Didacus de Cea Comm.Gen.Curiæ.
Fr. Joseph Vasquez Defin. Gen.
Fr. Bartholomæus Foyas Defin. Gen.
Fr. Lazarus Sanguessa Defin. Gen.
Fr. Antonius Hiqueus Defin., & Secr. Defin. Gen.
Fr. Benignus a Genua Comm. Gen.
Fr. Joannes Baptista a Campanea Pater totius Ordinis.
Fr. Joseph Redaellus Proc. Gen.
Fr. Ascan. de Assisio Proc. Gen. Reformat. Cismontanæ Familiæ.
Fr. Evangelista Mogminio Defin. Gen.
Fr. Thomas a S. Agatha Defin. Gen.
Fr. Petrus Posuanensis Defin. Gen.
Fr. Nicol. de Spinazzola Defin. Gen.
Fr. Jo: a Neapoli Defin. Gen.
Fr. Pacificus de Roma Defin. Gen.

Loco † Sigilli.

DCLIX.

Declarat illos, qui Collectorem Portugalliæ molestarunt, non posse a quoquam etiam vigore Cruciatæ Sanctæ absolvi a censuris, & Interdicto. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

Ven. Fratri Alexandrino Episc. Neocastren. Jurium, & Spoliorum Cameræ Apost. debitorum in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Emanarunt aliàs a Nobis Literæ in simili forma Brevis tenoris sequentis videlicet: Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Quamvis juxta canonicas sanctiones. Reliqua invenies suo loco sub dat. 5. Julii 1638. Anno XV. Nunc autem ad abundantiorem cautelam, mentem, & intentionem nostras in præmissis manifestiores facere, & apertius innotescere volentes motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, illos, qui bona prædicta occupare, & usurpare ausi sunt, necnon Fraternitatem Tuam molestantes, sive tibi molestiam, & persequutionem inferentes, aut qui antea Te molestarunt, & persequuti sunt, & pro tempore molestabunt, seu persequentur, vel bona hujusmodi occupantibus, & usurpantibus, aut Te molestantibus, vel persequentibus auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstiterunt, & præstabunt, cujuscumque qualitatis, status, gradus, & conditionis, præeminentiæ, & dignitatis etiam ecclesiasticæ, etiam speciali nota, & expressione dignæ sint, vel fuerint, non posse a quoquam quavis auctoritate fungente, etiam Cruciatæ Sanctæ, illiusque facultatum, & privilegiorum vigore absolvi, etiam in foro conscientiæ tantum ab excommunicationis, aliisque sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis, quas propterea in- *Declaratio, de qua in Rubrica.*

currerunt, & incurrent, vel in quas incidisse per Te declarati fuerint, seu declarabuntur, quodque durantibus interdicto, seu interdictis per Fraternitatem Tuam ubivis in quaecumque mundi parte commorantem, & aliàs quomodolibet appositis, & apponendis, quicumque etiam regularis cujuscumque Ordinis, Societatis, Congregationis, & Instituti etiam speciali, & individua mentione, & expressione digni, & qui aliis ex privilegiis apostolicis etiam in corpore juris clausis sub generali, & universali mentione regularium non veniunt, minime possint praetextu, ac etiam vigore ejusdem Cruciatae Missas, etiam privatas, aliaque divina celebrare, seu celebrari facere, vel permittere, aut illis interesse, & intervenire, tenore praesentium declaramus.

Clausula.

§.2. Decernentes praesentes literas, & in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod regulares, & alii praefati, ac quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causaeque propter quas illa emanarunt adductae, seu etiam nullatenus verificatae fuerint, de subreptionis, aut obreptionis, vel cujuslibet nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio, quantumvis substantiali defectu, seu ex quacumque alia causa quantumvis justa, & legitima, vel capite etiam in corpore juris clauso, ac quocumque alio colore, seu praetextu notari, impugnari, impediri, redargui, limitari, rescindi, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel quodcumque aliud juris, facti, gratiae, vel justitiae remedium impetrari, aut etiam motu, scientia, & potestate similibus concesso quempiam in Judicio, vel extra illud minime posse, sed easdem praesentes cum omnibus, & singulis in eis contentis semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & ab omnibus, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in praemissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, dictaeque Cruciatae Sanctae Commissarium, seu Commissarios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus editis, ac Cruciata praedicta, illiusque facultatibus, & privilegiis, ac Literis Apostolicis desuper emanatis, & quatenus opus sit, regula nostra de jure quaesito non tollendo, necnon omnibus illis, quae in praeinsertis nostris Literis voluimus non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, ac de verbo ad verbum expressio facienda, seu quaevis alia forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 9. Septemb. 1640. An. XVIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die septima Septembris 1640. Pontificatus nostri Anno XVIII.

DCLX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Quaecumque Privilegia nemini suffragari decernit, quominus Interdicto subjaceat a Collectore Portugalliae publicato, seu publicando.

Ven. Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. Jurium, & Spoliorum Camerae Nostrae Apostolicae debitorum in Portugallia, & Algarbiorum Regnis Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Literas pridem a se editas super negotio illatarum Collectori molestiarum.

§.1. Dudum a Nobis emanarunt binae literae in simili forma Brevis fraternitati tuae directae, quarum priores sunt tenoris sequentis, videlicet: a tergo Venerab. Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. &c. intus vero Urbanus &c. Licet vigore tuarum facultatum &c. sub datum 2. Julii 1636. Posteriorum autem tenor est, qui sequitur videlicet: a tergo Venerabili Fratri Alexandro &c. intus vero Urbanus Papa VIII. Ven. Frater &c. Cum nuper, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus &c. *Ommittitur tenor dictarum literarum quia est reperies suo loco.*

Eidem facultatem dat derogandi quibuscumque privilegiis a S. Sede concessis.

§.2. Nunc autem fraternitatem tuam amplioribus favoribus, etiam ad abundantiorem cautelam munire, & illas Tibi hactenus concessas declarare volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus eidem fraternitati tuae, ut ad praeinsertarum literarum nostrarum exequutionem in toto, vel in parte, & prout tibi magis expedire videbitur, procedat, procedique faciat toties, quoties, opus fuerit, & aliàs, prout tibi placuerit, tam contra praedictos, & alios quoscumque, qui te ejecerunt, & molestarunt, quam omnes alios, qui etiam de praesenti, & pro tempore molestabunt, & persequentur, eisque molestantibus auxilium, consilium, vel

vel favorem præstiterunt, vel præstabunt quomodolibet cujuscumque conditionis, status, gradus, dignitatis etiam Ecclesiasticæ, etiam speciali mentione digni fuerint, & sint, etiam cum facultate derogandi quibuscumque privilegiis, & gratiis apostolicis per nos, & Romanos Pontifices prædecessores nostros tam Regnis, Populis, Civitatibus, & locis, Ecclesiisque, Monasteriis, Universitatibus, Collegiis etiam ecclesiasticis eorumdem Regnorum, quam personis, etiam ecclesiasticis, etiam regularibus cujuscumque Ordinis, Societatis, & Instituti etiam speciali expressione digni, ac cujuscumque status, gradus conditionis, & dignitatis, etiam Ecclesiasticæ quomodolibet concessis, & aliàs emanatis tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Durante Interdicto neminem regularium divina operari posse etiam privatè vigore cujuscumque Indulti, declarat.

§.3. Necnon durantibus Interdictis per Fraternitatem tuam hactenus appositis, & in posterum apponendis, quoscumque regulares etiam mendicantes cujuscumque Ordinis, Societatis, Congregationis, & Instituti etiam individua mentione, & expressione dignos, & qui aliàs ex privilegiis apostolicis, etiam in corpore juris clausis sub generali, & universali mentione regularium non veniunt, ac etiam, qui durantibus hujusmodi Interdictis infrascripta facere sibi licuisse, & licere prætendunt, ac præsertim Fratres Ordinis Prædicatorum in Regnis præfatis, illorumque Civitatibus, Oppidis, Castris, Terris, & locis quibuslibet habitantes, degentes, ac aliàs quomodocumque moram trahentes vigore quorumcumque apostolicorum privilegiorum, & Indultorum etiam ipsis, & eorum Ordini, ac etiam Sanctissimi Rosarii, & Nominis Dei, aliisque quibusvis Confraternitatibus quomodolibet nuncupatis, & quavis auctoritate erectis, & institutis quoquo modo etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, & etiam per viam legis generalis, ac aliis quocumque alio modo, causa, via, & jure concessorum, & quandocumque emanatorum, ac etiam pluries, & iteratis vicibus confirmatorum, & innovatorum, missas, etiam privatas, aliaque divina celebrari facere, vel permittere etiam in Claustris, Hospitalibus, Grangiis, & dependentibus, & aliis quibuscumque locis, eorumque monasteriis, & domibus regularibus quomodolibet annexis, ac Oratoriis, vel Eremitoriis, ac aliàs quomodocumque nuncupatis nullatenus potuisse, nec in futurum posse declaramus, & quatenus opus foret, itaut nullus, nec etiam iidem Regulares hactenus potuerint, nec in posterum possint altaria in eorum Monasteriorum, seu domorum regularium, & locorum claustris, vel alibi erigere, seu erigi facere, multoque minus in eis, nec in antea erectis celebrare, seu celebrari facere, aut permittere, Interdicto, seu Interdictis, sive generalibus, & universalibus, sive personalibus, & localibus, seu alterius cujuscumque generis, & speciei per eamdem fraternitatem tuam positis hactenus, seu imposterum quandocumque etiam ex quacumque causa ponendis durantibus, ullo modo, sen prætextu valeant, earumdem tenore præsentium districte inhibemus, & inhibitum antea fuisse denunciamus.

Idque declarandi eidem Collectori potestaté tribuit.

§.4. Tibique similem prohibitionem, & declarationem faciendi, & promulgandi sub censuris, & pœnis tibi benevisis plenam, & amplam facultatem impertimur, eamdemque facultatem derogandi, & derogationem, & prohibitionem sub eisdem censuris faciendi antea tibi competiisse declaramus.

Et ad hunc effectum ipse Pontifex quæcumque tollit privilegia.

§.5. Nos enim omnibus, & quibuscumque præfatorum Regularium, & Confraternitatum privilegiis, & indultis etiam in corpore juris clausis etiam in Monasteriorum, & Domorum eorumdem Regularium fundationibus, erectionibus, & dotationibus, ac præfatis, & quibusvis aliis Regnis, Civitatibus, Oppidis, Castris, Terris, & Locis etiam ex quacumque causa, quantumvis favorabili, & onerosa, etiam contemplatione, ac ad supplicationem Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumq; concessis, confirmatis, & innovatis, & quomodolibet emanatis, quoad præfatam celebrationem Missarum, & divinorum interdicto, seu interdictis præfatis durantibus, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes plenissime derogamus, necnon fraternitati tuæ eamdem derogationem faciendi, & in ejus decretis, & edictis apponendi, seu addendi ad abundantiorem cautelam, facultatem tribuimus.

Clausulæ.

§.6. Decernentes præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Regulares, & alii præfati, ac quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas illa emanarunt adductæ, seu etiam nullatenus justificatæ fuerint, de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis cujuslibet vitio, aut intentionis nostræ, vel quocumque alio, quantumvis substantiali defectu, seu ex quacumque alia causa, colore, seu prætextu, etiam enormis, & & enormissimæ læsionis notari, inpugnari, impediri, redargui, limitari, rescindi, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel quodcumque aliud juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, aut etiam motu, scientia, & potestate similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti minime posse, sed easdem præsentes, cum omnibus, & singulis in eis contentis semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & ab omnibus, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque, & non

non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.7. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac Conciliis Universalibus, etiam quoad dictas, ac quatenus opus sit regula nostra de jure quæsito non tollendo, necnon omnibus illis, quæ in præinsertis nostris literis voluimus non obstare; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod nullo umquam tempore sub similium, vel dissimilium concessionum, privilegiorum, & aliorum præfatorum derogationibus, suspensionibus, & limitationibus, aut quibuscumque aliis contrariis dispositionibus pro tempore facien., comprehendantur, sed semper ab illis excepta, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum validissimum, etiam sub posteriori data denuo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 7. Septembris 1640. An. XVIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die septima Septembris 1640. Pontificatus nostri Anno XVIII.

DCLXI.

Breve exequutoriale super Literas Apostolicas Clement. VIII., ac Urbani VIII., ac super Statuta pro Indiarum Provinciis Fratrum Minorum de Observantia, quod mittere possint Commissarios ad Capitulum Generale.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur Literæ Apostolicæ, quibus statuitur;

§.1. Aliàs a Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta Romani Pontificis providentia ea, quæ in personarum Regularium Capitulis Generalibus interdum sancita, & auctoritate apostolica comprobata fuerunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, præsertim cum felici earumdem personarum statui, & quieti opportune consulitur, immutat, in hisque suæ solicitudinis partes favorabiliter interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum de anno 1625. celebrato, inter alia conditum fuit Statutum tenoris sequentis, videlicet.

Quod Ministri Provinciales in dictarum possint mittere Commissarios ad Capit. Gen.

§.2. Caveant ex Indianis Provinciis Ministri Provinciales, ne ad Capitulum Generale, vel, aut ipsi veniant, vel Commissarios suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultas concedit. Nosque Statutum hujusmodi illius tenore inserto confirmavimus, & approbavimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Joannes Merinero dicti Ordinis Minister Generalis, Patres in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in hac Alma Urbe nostra novissime celebrato congregati, Ministris Provincialibus prædictarum Provinciarum Indiarum antiquum jus, quod habebant, ut ad Capitulum Generale Commissarios eorum nomine suffragium laturos mittere possent, justis ex causis restituendum esse censuerint. Nobis propterea dictus Joannes Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Joannis Ministri Generalis votis annuere volentes, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Magistris Provincialibus dd. Provinciarum Indiarum pro tempore existent., quod ad Capitulum Generale d. Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, ea tamen lege, ut tam Commissarii, qui mittuntur, quam etiam Custodes filii earum Provinciarum respective sint, pro quibus mittentur, vel in eis incorporati, sive in Indiis, sive in aliis Europæ partibus existant, dummodo ad electionis effectum non incorporentur, ac ut tam Commissarii, quam Custodes prædicti a suis Provinciis non aliter, quam juxta Constitutiones generales Segobienses eligantur, quodque si Commissarii, & Custodes hujusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini, etiam tamquam Procuratori absenti, vel præsenti committere possint, ac idem in aliis etiam Prælatis, & vocalibus juxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem servetur, Apostolica

ſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Quod Forenſes non promoveātur ad Officia.

§.3. Et inſuper pro commodiori præmiſſorum exequutione Conſtitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *His, quæ ad Regularium perſonarum ſtatum*, die 4. Martii 1600. Pontificatus ſui Anno Nono editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, præſertim in Limenſi Provincia ad Miniſtratus Provincialis, ſeu quodlibet aliud dignitatis officium aſſumi non valeant alii dicti Ordinis Religioſi, quam illi, qui ejuſdem Provinciæ Alumni ſunt, vel ad eam expreſſe, ac nominatim miſſi ex Hiſpaniis, cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarii Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis Curiam aſſiſtentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, innovamus, approbamus, & confirmamus. Declarantes ſub illis verbis: Seu quodliber aliud dignitatis officium, in dicta Conſtitutione expreſſis, Miniſtri Provincialis, tam pro regenda Provincia, quam pro ferendo ſuffragio in Capitulo Generali deſignati, Vicarii Provincialis, Cuſtodis, Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum officia comprehendi, & comprehenſa intelligi; Sicque in præmiſſis, etiam per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutores deputat, & mādat puniri tranſgreſſores.

§.4. Quocirca dilectis filiis nunc, & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis Commiſſarus generalibus in Indiis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ, privationiſque ſuorum officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, ut præſentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter ſervent, & ab aliis, ad quos ſpectat, & ſpectabit, quomodolibet ſervari curent. Alioquin, ſi eos hac in parte deliquiſſe compertum fuerit, ipſo facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant: injungentes, & diſtricte præcipientes dicto Joanni, & aliis pro tempore exiſtentibus Ordinis prædicti Miniſtris generalibus, ut citra conniventiam quamcumque pœnas prædictas contra transgreſſores debitæ exequutioni demandari faciant, onerando in his eorum conſcientias.

Non obſtante Statuto, & Literis noſtris prædictis, aliiſque Apoſtolicis, & in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini, & Provinciis, illorumque Miniſtris Generalibus, ac Provincialibus, & Commiſſariis prædictis, aliiſque Superioribus, Fratribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, diei 6. Auguſti 1639. Pontificatus noſtri anno decimoſeptimo.

Cauſa præſentis edendæ Conſtitutionis.

§.5. Cum autem, ſicur accepimus, Commiſſarii Generales Indiarum in prædictis Provinciis circa proviſionem officiorum multa quotidie contra prædictas noſtras literas, & Statuta in Capitulo Generali dicti Ordinis noviſſime in Urbe celebrato pro Indianis edita moliantur; etenim peracta Provincialis Miniſtri, Definitorumque electione tabulas Guardianorum arbitratu ſuo conſcriptas profertur, atque a Provincialibus, & Definitoribus ſubſcribi volentes faciunt, necnon captioſas, & dolo plenas Prælatorum poſtulationes ſibi fieri procurant in maximum dicti Ordinis detrimentum, & Sacrorum Canonum, Decretorumque Concilii Tridentini tranſgreſſionem; Idcirco Nos cupientes præinſertas noſtras literas, & ſtatuta hujuſmodi debitæ, ut par eſt, exequutioni demandari, & ne talia deinceps fiant, providere, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, Venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Limano, ac dilectis filiis Decano, & Archidiacono Eccleſiæ Limanæ, nunc, & pro tempore exiſtentibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando

opus

opus fuerit, & quoties pro parte Superiorum, & aliorum quorumcumque Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Religiosorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra prædictas nostras præinsertas, ipsumque Statutum, ac præsentes etiam nostras literas debitæ exequutioni demandari, & ab omnibus, quos illæ concernunt, & in futurum quomodolibet concernent, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari, ipsosque Superiores, & alios prædictos omnium, & singulorum in prædictis Statuto, & literis contentorum, aliorumque præmissorum effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente, quovis prætextu quomodolibet indebite molestari.

Decretum irritans.

§.6. Contradictores quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem, publice, vel occulte, directe, vel indirecte quomodolibet præstantes, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§.7. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, ac Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in dictis præinsertis literis voluimus non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 27. Septemb. 1640. An XVIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Septembris 1640. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

DCLXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Indultum Philippi IV. Regi Catholico nominandi ad Monasteria, Prioratus, & Præposituras in Belgio, & Comitatu Burgundiæ.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Referuntur similes concessiones Philippo II. a Pontif. factæ.

§.1. Olim postquam fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster clar. mem. Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico, quamdiu ageret in humanis, & in sinceritate Fidei, ac unitate S. R. E. nec non obedientia, & devotione suis, ac Successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persisteret, ut nullus ad Dignitates Abbatiales, aut quorumcumque monasteriorum, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum regimina infra Districtus Ducatuum, Marchionatuum, & Comitatuum aliorumque Dominiorum suorum in partibus Inferioris Germaniæ, seu Belgicæ Ditionis comprehensorum, ac se cum suis Civitatibus, & appendiciis extendentium, quæque tunc possidebat, in illis partibus dumtaxat consistentium per eumdem Pium prædecessorem, aut Sedem Apostolicam præfici, nec illis de quorumvis personis quovis modo provideri posset absque dicti Philippi Regis intentione, & consensu præcedentibus, de aliis vero Dignitatibus videlicet sæcularibus principalibus, & Regularibus non conventualibus infra præfatos districtus, non nisi de locis suæ Ditioni subjectis, aut sibi gratis, & acceptis de aliis locis oriundis provideri concesserit, & indulserat; piæ mem. Gregorius XIII. etiam Prædecessor noster, multis, maximisque prædicti Philippi Regis erga se ac dictam Sedem meritis inductus concessionem, & Indultum hujusmodi ad Comitatum Burgundiæ ditionis suæ hæreditariæ extendit, & ampliavit; & deinde re. mem. Sixtus PP. V. etiam prædecessor noster exposito sibi pro parte ejusdem Philippi Regis ab aliquibus tunc hæsitari, an Prioratus Conventuales, qui per Priores, seu forsan Præpositos reguntur, seu gubernantur, & nonnulla Monasteria, & similes Prioratus intra septa Dominiorum prædictorum, & ejusdem Burgundiæ Comitatum, seu sub temporali Dominio aliorum procerum consistentia; etiamsi Prioratus, vel Præpositura, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncuparentur, sub Indulto, ac extensione prædictis comprehenderentur, eamdem dubitationem amputando, eidem Philippo Regi sua tantum vita durante jus nominandi prædicto Sixto Prædecessori, & Romanis Pontificibus pro tempore existentibus tam ad prædictas Dignitates Abbatiales, aut quorumcumque monasteriorum etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum regimina, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum habentes, infra districtus eorumdem Ducatuum, Marchionatuum & aliorum Dominiorum, & Comitatus Burgundiæ, dummodo intra septa eorumdem Dominiorum, & Comitatus Burgundiæ consisterent, etiamsi sub temporali Dominio aliorum Procerum extarent, vel temporalem Jurisdictionem haberent, ac etiamsi Prioratus, Præposituræ, aut Præpositatus, & non monasteria nuncuparentur, pro tempore vacantes, seu vacantia per eumdem Sixtum Prædecessorem, & Romanos Pontifices

tifices Successores suos ad nominationem hujusmodi conferendos, & conferenda concessit, & indulsit, prout in diversis dictorum prædecessorum literis desuper in simili forma Brevis confectis, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

Concessio Philippo Quarto de qua in Rubr.

§.2. Cum autem pro parte tua nobis fuerit expositum, majestatem tuam simili concessione & Indulto ex nostra,& Sedis Apostolicæ benignitate gaudere posse, plurimum exoptasse; Nos tuæ fidei, constantiæ, ac devotionis, quibus erga nos, & Sedem Apostolicam præfulgere dignosceris, meritis adducti, tuisque supplicationibus hujusmodi inclinati: Tibi tua tantum vita durante,& quamdiu in sinceritate fidei & unitate S. R. E. necnon obedientia, & devotione nostris & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium hujusmodi perstiteris, Jus, & facultatem nominandi nobis, & Rom. Pont. pro tempore existenti tam ad prædictasDignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum regimina etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventuum habentes infra districtus eorumdem Ducatuum, Marchionatuum, & aliorum Dominiorum tuorum prædictorum, ac Comitatus Burgundiæ dummodo intra septa eorumdem Dominiorum Comitatus Burgundiæ existant, etiamsi sub temporaliDominio aliorum procerum consistant vel temporalem Jurisdictionem habeant, ac etiamsi Prioratus, Præpositura, ac Præpositatus, & non monasteria nuncupentur, pro tempore vacantes, seu vacantia, per nos, & Romanos Pontifices Successores nostros ad nominationem tuam infra decem menses a die cujuslibet vacationis faciendam, ac nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti præsentandam conferendos, & conferenda, auctoritate Apostolica, tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus: Itaut de dictis Dignitatibus Abbatialibus, aut quibuscumqueMonasteriis,Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus prædictis pro tempore vacan. absque nominatione tua prædicta, de aliis vero sub nominatione hujusmodi non comprehensis, & absque illa libere conferendum, Dignitatibus videlicet secularibus principalibus, & regularibus actu non conventualibus infra prædictos districtus consisten. non nisi de locis tuæ ditioni subjectis, aut tibi gratis, & acceptis personis per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem eamdem pro tempore disponi, & respective provideri minime possis.

Contrariorum derogatio.

§.3. Non obstan. quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac singulorum Prioratuum, & Præposituræ, & Præpositatuum prædictorum, ac Ordinum, quorum illa sunt, seu a quibus dependent, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 6. Octobris 1640. An. XVIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Octobris 1640. Pontificatus nostri Anno XVIII.

DCLXIII.

Confirmatio Declarationis Constitutionis Clementis Papæ VIII. de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta.

Hanc Constitutionem Clem. VIII. de Largitione Munerum &c. habes Tom. V. Par. II. num. LXXXVI. incip. Religiosæ Congregationes, *fol.* 31.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

NUper a Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrii nuncupato, Majori Pœnitentiario, ac nostro in alma Urbe Pro-Vicario in spiritualibus generali, & nostro secundum carnem fratre germano, a Nobis deputata, emanavit declaratio tenoris subsequentis, videlicet.

Refertur declaratio circa Const. Clem VIII. de Largitione munerum.

§.1. Cum circa interpretationem Constitutionis fel. record. Clementis VIII. sub dat. 13. Kalend. Julii Pontificatus sui Anno Tertio: de Largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates sint exortæ: Congregatio specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Divina providentia Papa VIII. coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrii Majori Pœnitentiario, ac Urbis Pro-Vicario deputata, auctoritate sibi attributa declaravit, & declarat, munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse, ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventuum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeste tamen, ac discrete, & dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis conventus, si talis consensus de jure, vel ex constitutionibus,

bus, seu consuetudinibus cujusque Religionis respective, in hujusmodi casibus requiratur. Consensum vero Conventus §.3. ejusdem Constitutionis ad leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, & religiositatem pertinentia munuscula largienda &c. requisitum, intelligi debere de consensu aliàs de jure requisito, & ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in §.4. ejusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam etiam oretenus eisdem concessam, declarat. Comessationes autem, compotationes, & convivia in excipiendis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorifice, & laute, de quibus in §.5., & 6. ejusdem Constitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiæ status regularis adversentur. Restitutionem vero receptorum Conventibus faciendam, de qua in §.7. ibidem cautum est, intelligi debere de Conventibus, ad quos data, donata, seu missa de jure pertinent, si id commode fieri potest; aliàs Conventui ejusdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper eadem facultate sibi tributa, omnes, qui hucusque adversus supradictæ Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, a pœnis quibuscumque in eadem Constitutione inflictis, & incursis posse, & debere a propriis Confessariis absolvi in foro conscientiæ, etiam non facta prius hujusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione. Quoad eos vero, qui præter modum prædictum graviori religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit Majori Pœnitentiario, ut de præteritis usque ad diem datæ præsentium in foro conscientiæ absolvat, dispenset, & condonet, seu absolvi, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire judicaverit. Et ne prædictæ Clement. VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cujuscumque Monasterii, Conventus, Domus, & Collegii Regularis sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ ipso jure incurren. efficere teneantur, ut in perpetuum singulis annis mense Januario, non solum prædicta Constitutio (quam in reliquis ejus partibus eadem Sanctitas omnino observari jubet, & quatenus opus sit innovat, quemcumq; prætensum non usum, aut prætensum usum, seu prætensam consuetudinem, damnando, & irritando) verum etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegatur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis etiam Regularibus, quam Laicis cujuscumque sint ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatia, etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non comprebendereutur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandavit expediri Breve. Datum Romæ, die decimaquinta Septembris 1640.

Præfatā declarationem confirmat hic Pontifex.

§.2. Quapropter ut præmissa firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, declarationem præinsertam cum omnibus & singulis in ea contentis tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, observari.

Clausula sublata &c.

§.3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diversa, Constitutione fel. recordｄ. Clementis Papæ VIII. prædecessoris Nostri, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Constitutione hujusmodi voluit non obstare, cæterisque contrariis

Datum die 16. Octob. 1640. An. XVIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Octobris 1640. Pont. Nostri Anno Decimo octavo.

Anno a Nativ. Domini Nostri Jesu Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo, Indictione octava, die vero trigesima mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ Octavi, anno decimo octavo, retroscriptæ literæ publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, ac aliis locis publicis & consuetis, per nos Hieronymum Mascellam, & Andream Castruccium ejusdem S. D. N. Curs. Ita est. Hieronymus Mascella S. D. N. PP. Cursor pro D. Mag. Ita est. Andreas Castruccius S. D. N. Papæ Cursor.

Quod

DCLXIV.

Quod Prior Provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum Provinciæ Poloniæ sit biennalis dumtaxat, ad instar Romanæ, & Lombardiæ dicti Ordinis Provinciarum.

De his Fratribus vide in Const.CDLXXIII. Alias per Nos, *ut supra fol.17. Ac Constit. DCVIII.* In his Apostolici. *ibidem. fol.189.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Domini Nostri Jesu Christi, qui charitas est, & Deus pacis, vices; meritis licet imparibus, gerentes in Terris, pacem, & concordiam inter Christifideles quoslibet, præsertim Regulares, sublata dissidiorum materia, confovere studemus, ut ipsi in charitate, & sic in Deo manentes, ei sua vota reddant in sanctitate, & justitia coram ipso.

Motiva. §.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Fratres Ordinis Prædicatorum Provinciæ Poloniæ Nobis nuper exponi fecerunt, gravissimæ in prædicta Provincia dissessiones, & controversiæ super distributione officiorum vigeant, propteraque ipsi Exponentes perpetuam inter ejusdem Provinciæ filios, necnon inter Conventuales Conventus Cracoviensis Ordinis hujusmodi pacem stabiliri summopere desiderent.

§.2. Nos pro nostri pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, ipsosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati.

Prior Provincialis eligatur alternis vicibus ex quinque nationibus. §.3. Quod de cætero futurus ejusdem Provinciæ Prior Provincialis, biennalis dumtaxat, ad instar Priorum Provincialium Romanæ, & Lombardiæ dicti Ordinis Provinciarum existat, alternis vicibus, primo videlicet ex Cracoviensi, secundo ex Vilnensi, tertio ex Lublinensi, quarto ex Posnaniensi, ac demum quinto successivè ex aliis dictæ Provinciæ Conventibus Ordinis hujusmodi eligi, & assumi respective debeat, quodque nec Definitor Generalis, seu Provincialis, nec Socius Definitoris, ac Provincialis sit umquam ex eodem Conventu, cujus erit ipse Prior Provincialis, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo statuimus, mandamus, & ordinamus; ita tamen, ut post modernum dictæ Provinciæ Priorem Provincialem, qui, ut asseritur, filius Conventus existit, ac cujus officium Dominica tertia post festum Paschatis Resurrectionis D. N. Jesu Christi 1642. exspirabit eligatur primo loco Prior Provincialis ex Conventu Vilnensi prædicto, & sic deinceps, ordine per Nos supra constituto.

§.4. Decernentes præsentes literas, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 6. Novembris 1640. Pontificatus nostri Anno XVIII. Datum die 6. Novemb. 1640. An.XVIII.

DCLXV.

Concessio Nuncio Apostolico apud Helvetios, ac Rhetos circa conferenda Beneficia curata, quæ personis idoneis male collata fuerunt. Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Hieronymo Archiepiscopo Patracen. nostro, & Apostolicæ Sedis in Dominio Helvetiorum, & Rhetorum Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Venerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Causa concessionis. §.1. Cum sicut Nobis nuper significatum, pleræque Ecclesiæ Parochiales, ac alia curata Beneficia, quæ de jurepatronatus esse asseruntur intra limites tuæ legationis a personis de illis canonice non institutis, & minus idoneis possideantur, non sine gravi auctoritatis Ecclesiasticæ, ac divini cultus, salutisque animarum, curæ personarum hujusmodi commissarum, detrimento.

Concessio, de qua in Rubr. §.2. Propterea pro pastorali nostro munere in præmissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, fraternitati tuæ, ut Parochiales Ecclesias, aliaque Beneficia curata hujusmodi de jurepatronatus existentia, quæ possidentur a personis vitiosum ingressum ha-

bentibus, utpote non examinatis, nec institutis ab habente facultatem, sed a Patronis fiunt, & consequenter vacant, & ad Sedem Apostolicam juxta Constitutionem fe. re. Pii Papæ V. Prædecessoris nostri ob lapsum temporis in ea præfixi devoluta fuit, eisdem personis, si prævio examine debito idoneæ repertæ fuit, sin minus aliis idoneis, citra tamen approbationem juris patronatus hujusmodi conferre, eisdemque fructus perceptos gratis condonare possis, ac ut super his litteras patentales gratis concedas, facultatem apostolica auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Clausulæ.

§.3. Mandantes Tibi quatenus sedulo cures, & deinceps in subsequentibus vacationibus, post sequutas præsentationes patronorum ante possessionem adeatur Ordinarius pro obtinendis institutionibus concedendis prævio examine debito, ac decernentes quidquid in præmissis vigore præsentium feceris validum, firmum, & efficax fore; sicque desuper per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, & de latere legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Beneficiorum, & Ecclesiarum prædictarum fundationibus, & erectionibus, necnon statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæter sque contrariis quibuscumque.

Datum die 5. Januarii 1641. An. XVIII.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Januarii 1641. Pontificatus nostri Anno XVIII.

DCLXVI.

Restitutio viæ antiquæ, & Postarum a Terra Montis Rosarum per Loca, & Territoria immediate subjecta Sedi Apostolicæ Viterbium usque.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEcet, & æquum est, ut Nos, qui pro pastorali nostra solicitudine omnium Christifidelium commodis assidue invigilamus, Sedis Apostolicæ, nostrorumque & illius in temporalibus subditorum utilitati, studio peculiari consulamus. Cum itaque, sicut accepimus, licet via, quæ Roma Viterbium ducit, antiquitus Loca, & Terras Nobis, & dictæ Sedi immediate in temporalibus subjecta dumtaxat, nimirum priscam viam Cassiam, ac a Terra Montis Rosarum nuncupat. Sutrium, & inde Capranicæ, ac Capannæ Brusciatæ vulgo nuncupat. Territorium, necnon Terram, seu Territorium Vetrallæ trajiceret, maxima cum nostrorum, & ejusdem Sedis subditorum in locis hujusmodi commorantium utilitate, nihilominus a Pontificatu fel. recor. Julii II. vel Pauli III. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, seu alio veriori tempore immutata fuerit via hujusmodi, illaque, & præfatis Locis declinatis, Veredarii, Vectores, Muliones, & alii Viatores per alia Loca, nempe Viterbio trajecto Monte Cymino per Vici, & Roncilionis Terras, ejusque Territorium transire consueverint in gravissimum eorumdem subditorum nostrorum detrimentum.

Motiva hujus Constit.

Avocat lites Sedi Apost., & perpetuum silentium imponit.

§.1. Hinc est, quod Nos ejusdem Sedis, ac prædictorum subditorum nostrorum indemnitati, & commodis hac in re consulere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & quascumque lites, & causas occasione mutationis viæ præfatæ, illiusque postarum, tam pro parte dilecti filii nobilis viri Ducis Parmæ, & Placentiæ, ac Universitatum, & hominum dictæ Terræ Roncilionis, quam pro parte Communitatis, & hominum Civitatis Sutrinæ prædictæ, & quorumlibet aliorum motas, & pendentes, etiam instructas, etiam ut asseritur in Congregatione Viarum, in qua prætenditur tempore piæ mem. Pauli Papæ V. etiam prædecessoris nostri decretum fuisse nihil super præmissis esse innovandum, in statu, & terminis, in quibus ad præsens reperiuntur, a quocumque, seu quibuscumque Judicibus, Tribunalibus, & Congregationibus, coram quibus pendent, tenore præsentium ad Nos avocamus, illasque perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac partium, & litium, causarumque hujusmodi Judicibus perpetuum desuper silentium imponimus, necnon vestigiis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & præsertim fel. rec. Clementis Papæ VIII. qui postam e Terra Borghetti ad nostrã Civitatem Castellanam, ubi ad præsens existit, transtulit, inhærentes, omnes, & singulas postas a dicta Terra Montis Rosarum per Terram Roncilionis prædictam, ejusque Territorium, ac inde per alia loca, & Territoria Nobis, & Sedi prædictæ immediate non subjecta, Viterbium usque quavis auctoritate constitutas, & collocatas, necnon viam ab eadem Terra Montis Rosarum Viterbium per loca, & Territoria hujusmodi tendentem tenore præsentium abolemus, revocamus, prohibemus, & interdicimus, ac viam antiquam, nempe a dicta Terra Montis Rosarum per Civita-

vitatem, seu Suburbia Sutrina, & Terram Capranicæ, Terramque, seu Territurium Vetrallæ præfata Viterbium usque, Postasque, & diversoria, seu Cauponas in via hujusmodi in pristinum, & cum quo ante Pontificatum ejusdem Pauli III. prædecessoris nostri, & antiquitus quomodolibet erant, statum, usumque restituimus, & reintegramus, ac diversoria, seu Cauponas denuo instituimus.

Pœna Viatoribus non incedentibus per viam antiquam.

§.2. Mandantes propterea omnibus, & singulis Veredariis, Tabellariis, Vectoribus, Aurigis, Quadrigariis, Mulionibus, Agasonibus, Bubulcis, & Viaturibus prædictis, Nobis quomodolibet in temporalibus subditis, ut a die publicationis præsentium in futurum relicta, & declinata via, quæ a Terra Montis Rosarum per dictam Terram Roncilionis, ejusque Territorium, ac Montem præfatum, aliaque Loca Nobis, & Sedi prædictæ immediate non subjecta Viterbium ducit, de cætero viam a Nobis per præsentes restitutam, & respective de novo institutam quovis tempore insistant, & frequentent sub excommunicationis, ac equorum, mulorum, asinorum, jumentorum, boum, vehiculorumque, & carrucarum, ac bigarum, & quadrigarum suorum amissionis, necnon centum ducatorum auri de Camera pro una eidem Cameræ, & pro altera partibus Communitati, & Universitatibus Sutrinis, aliorumque locorum, per quæ via per Nos, ut præfertur, restituta, & respective instituta traiicit, seu traiiciet, applicandorum, & in manutentionem, & reparationem ejusdem viæ convertendorum pœnis eo ipso incurrendis.

Præceptum de observando.

§.3. Præsentes quoque literas, & omnia, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod in temporalibus quomodolibet Domini, ac Universitates, & homines dictarum Terrarum, & illarum Veredarii, Caupones, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, præmissis nullatenus consenserint, & ad hoc vocati, aut auditi non fuerint, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis, defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, vel præscriptionis, etiam quadraginta annorũ, & ultra enormis, & enormissimæ, ac totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodeumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut etiam motu, scientia, deliberatione, vel potestatis plenitudine similibus concessu quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per supranominatos, aliosque omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§.4. Sicque, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac quorumvis Locorum Status nostri prædicti Gubernatores, Prætores, Magistratus, ac Officiales, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, ac quascumque Congregationes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & interpretari, ac quidquid desuper a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane pariter decernimus.

Card. Camerarium exequtioni mandi. etc.

§.5. Quocirca dilecto filio nostro Antonio Sanctæ Agathæ Diacono Cardinali Barberino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti nunc, & pro tempore existenti ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario per easdem præsentes injungimus, quatenus illas solemniter publicans, seu publicari faciens, ipsas, & in eis contenta quæcumque per se, vel alium, seu alios debitæ exequutioni demandet, ac demandari curet. Contradictores, quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione remotis, auctoritate nostra compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim eidem Cardinali Camerario plenam in præmissis, necnon ad eorum effectum vias novas aperiendi, vel antiquas instaurandi, aliaque necessaria quomodolibet, & oppor-

opportuna gerendi, faciendi, mandandi, præcipiendi, & exequendi facultatem earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus quatenus umquam emanaverint, aut extent, fel. record. Julii II., & Pauli III. prædictorum literis, ac Magistrorum, seu Congregationis viarum decreto, seu decretis quibuslibet super negotio viæ, & Postarum hujusmodi, ad Ducis, ac Universitatis dictæ Terræ Roncilionis præfatorum, & quorumvis aliorum favore, & instantia, ut asseritur, editis, factis, & expeditis, necnon Bonifacii VIII. de una, & in Concilio generali de duabus dictis, dummodo quis ultra tres dietas extra suam Civitatem, & Dioecesim ad judicium vigore præsentium non trahatur, & Pii IV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de gratiis interesse dictæ Cameræ quomodolibet concernentibus, infra certum tempus in eadem Camera insinuandis, & registrandis, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, nostra de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac Terrarum, & aliarum Locorum prædictorum statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, & literis Apostolicis Duci, Universitatibusque, & hominibus, ac Cauponibus, & Veredariis, Postisque Terrarum, & Locorum prædictorum, & quibusvis aliis, etiam speciali nota, & mentione dignis, etiam motu, scientia, & potestate paribus, etiam consistorialiter de eorumdem Cardinalium consilio, & assensu, & alias quomodolibet, ac ex quocumque titulo, ratione, vel causa, etiam speciali mentione, & expressione dignis, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus, & aliis decretis, etiam necessario exprimendis, etiam in vim contractus jurati, & camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cauthela firmati, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, editis, factis, emanatis, & pluries, ac iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis.

§.7. Quibus omnibus, & singulis, etiam si in eis caveatur expresse, quod nullo umquam tempore sub similium, vel dissimilium facultatum, licentiarum, concessionum, privilegiorum, & aliarum gratiarum præfatarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore faciendis comprehendantur, sed semper ab eis excepta, & quoties illa emanarent, toties in pristinum, & validissimum statum, etiam sub posteriori data per eos, quibus concessa sont, eligenda, reposita, & plenarie reintegrata, ac de novo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, harum serie, attento quod agitur de regalibus, specialiter, & expresse, ac latissime ad effectum præmissorum derogamus, ac derogatum esse volomus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.8. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus easdem præsentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§.9. Quodque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 23. Januarii 1641. An. XVIII.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Januarii 1641. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

DCLXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Archiepiscopo Ragusino convertendi piorum legatorum medietatem in reparationem Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac mænium Reipublicæ Ragusin.

Ven. Fratri Archiepiscopo Ragusino.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Causa concedendæ facultatis.

§.1. Cum sicut exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Magistratus Reipublicæ Ragusin., continuatis per decem mensium spatium Terremotibus, Civitas Ragusina, & universum ejus Dominium adeo conquassatum fuerit, ut præter multorum ædificiorum ruinam plurimæ Ecclesiæ, & Monasteria, ipsaque dictæ Civitatis, & Dominii hujusmodi propugnaculorum mænia maximum inde damnum acceperint, quæ si quamprimum non resarciantur periculum est, ne funditus corruant; In dicta vero Civitate nonnulla diversarum summarum annua legata pro variis

riis operibus piis adimplendis relicta, & per Deputatos a dictis magistratibus, vel forsan alios administrari solita existant; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut eis de aliquo ex redditibus hujusmodi subventionis auxilio ad præmissa resarcienda providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas Archiepiscop. Ragusino conceditur, prout in Rubrica.

§.2. Nos igitur attendentes ex præmissis non solum Magistratuum, & hominum, sed etiam personarum ecclesiasticarum, & locorum pioru Reipublicæ, & Dominii prædictorum causam agi, religionisq; catholicæ in universo Dominio hujusmodi conservandæ non parum interresse Civitatem prædictam, ejusdemque Dominii Provinciis, & locis ab impia Turcarum tyranni de occupatis undique circumdatam propugnacula recte munita, & clausa esse, dictosque magistratus specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito tibi de narratis, integram redditum, proventuum, & emolumentorum omnium, & singulorum legatorum prædictorum medietatem, quæ tamen summam sex millium scutorum monetæ annuatim non excedat, magistratibus prædictis, ita quod liceat illis eamdem redditum, proventuum, & emolumentorum hujusmodi medietatem percipere, exigere, & levare, ac in Ecclesiarum, & Monasteriorum, atque mœnium prædictorum reparationem, dummodo, quoad ipsa mœnia facultates laicorum Civitatis, & Dominii hujusmodi ad hoc non suppetant, & non alios usus, super quo illorum conscientiam oneramus, convertere, Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia minime requisita ad triennium proximum a data præsentium computan. auctoritate nostra concedas, & assignes super quibus tibi plenam, liberam, & amplam facultatem eadē auctoritate, tenpræsentium concedimus, & impertimur.

Obstantium derogatio.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac quorumcumque Testatorum voluntatibus, quas in, & quoad præmissa sufficienter commutamus, necnon, quatenus opus sit, fe. re. Pauli Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut refrinum missarum, & aliorum operum omnino celebrentur, & adimpleantur, & suffragentur animabus eorum, qui legata pia hujusmodi fecerunt, perinde ac in totum adimpleta essent.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Januarii 1641. Pontificatus nostri Anno XVIII.

Datum die 26. Januarii 1641. An. XVIII.

DCLXVIII.

Confirmatio Decreti Congregat. Visitationis Apostolicæ, quo Ruthenis unitis conceditur Ecclesia Sanctorum Sergii, & Bacchi in urbe cum suis pertinentiis.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Decretum Congr. Visitationis.

§.1. Aliàs a Congregatione Visitationis apostolicæ emanavit Decretum tenoris subsequentis videlicet. Cum in Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ fuerit pluries propositum an permittendum sit Fratres Religiosos Ordinis Minorum S. Francisci de Paula exercere curam animarum in Ecclesia, & Parochia Sanctorum Sergii, & Bacchi per unum, seu duos Religiosos degentes extra Claustra, & Conventum Regularem contra formam, & Ordinationem Bullæ concessionis, applicationis, & incorporationis Parochiæ factæ per fe. re. Gregorium XV. sub datum nonis Januarii Anno 1622., in qua dicta Ecclesia, & Parochia cum ædibus Parochialibus, ac situ adjacente, conceditur prædicto Ordini, ac Fratribus ad effectum inibi extrui faciendi unum Conventum seu Domum regularem pro usu, & habitatione competentis numeri ad minus 12. Fratrum ejusdem Ordinis quorum opera eadē Ecclesia cultu, & devotione celebrior redderetur, & in ea cura animarum, aliaque officia parochialia, etiam melius, & fructuosius, quam antea exercerentur. Et re mature discussa decretum fuerit nullo modo permittendum esse dictam curam exerceri a Fratribus existentibus extra Domum, & Conventum regularem. Sed stante, quod iidem Fratres contra prædictam Bullæ dispositionem, Domum, & Conventum regularem, quem fundare, & construere debebant in situ adjacente Parochiali Ecclesiæ, exerexerint in loco valde distanti, licet intra fines ejusdem Parochiæ, videlicet prope Ecclesiam Sancti Petri ad vincula facta impensa multorum millium aureorum, tenerentur ibidem etiam con-

stri-

struere unam novam Ecclesiam pro exercitio curæ animarum præfatæ Parochiæ, cum præsertim ad id teneantur ex onere imposito a quon. Joanne Pizzullo Calabro fundatore dicti Conventus in suo ultimo Testamento, in quo omnia sua bona ascendentia ad valorem fere 40. millium scutorum, ea conditione, ac lege inter alias reliquit, ut ibidem construere deberent unam novam Ecclesiã, prout eadem Sacra Congregatio auctoritate sibi a S.D.N. concessa, ut omni meliori modo, facto etiam prius verbo cum eodem Sanctissimo, ac de ejus Ordine, ac mandato, statuit, decrevit, & ordinavit, applicando etiam prædictam Ecclesiam Parochialem Sanctorum Sergii, & Bacchi cum situ adjacente Collegio Nationis Ruthenorum ibidem erigendo. Cumque etiam pluries iidem Fratres de Ordine ejusdem Sacræ Congregationis, ac in eademmet Congregatione, ubi eorum Superiores non semel personaliter comparuerunt, fuerint moniti, ut quamprimum ad exitum perducerent ædificium novæ Ecclesiæ inceptum, & se excusaverint non posse ob graves impensas, nisi paulatim ex annnis redditibus Conventum, & ædem jam excitatam complere, ac perficere. Ideo eadem Sacra Congregat., ne alia mora interponeretur, facto verbo cum Sanctissimo mandavit iterum, donec nova Ecclesia compleretur, curam animarum Parochiæ exerceri a Fratribus in parva Ecclesia sub Invocatione Sancti Francisci de Paula contigua Monasterio prædicto, ubi modo divina officia ab eisdem persolvuntur, & omnino statim liberam, & expeditam relinquere Ecclesiam Sanctorum Sergii, & Bacchi, eamque cum ædibus Parochialibus, & situ adjacente consignari pro erectione Collegii Ruthenorum cum facultate, etiam quoad sepelienda corpora mortuorum Parochiæ, quod interim donec sepulchra in nova Ecclesia construantur, vel aliter provideatur, possint sepelire in præfata Ecclesia Sanctorum Sergii, & Bacchi, & ita servari mandavit, statuit, & ordinavit hac die 12. Maii 1639. J. B. Episcopus Camerinen. Vicesgerens, & Sacræ Congregationis Secretarius. Concordat cum originali existente in Secretaria Congregationis de Propaganda Fide, Franciscus Ingolus Secretarius.

Confirmatur. §.2. Cum autem firmiora sint ea, quæ Sedis Apostolicæ patrocinio muniuntur; Idcirco Nos de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negocio Propagandæ Fidei præpositorum consilio, decretum præinsertum apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausula. §.3. Decernentes præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Febr. 1641. Pontificatus nostri Anno XVIII. Datum die 8. Februar 1641. An.XVIII.

DCLXIX.

Confirmatio Constitutionum Pii Papæ V. & Gregorii XIII. prohibentium quasdam Theologorum sententias, & opiniones. Necnon prohibitio libri, cui titulus, Augustinus, Cornelii Jansenii, olim Iprensis Episcopi.

URBANUS EPISCOPUS

Saavus Saavoaum Dat

Ad perpetuam rei memoriam.

IN eminenti Ecclesiæ militantis Sede, meritis licet imparibus, constituti, sedulo meditamur, ut quæ ad fidei catholicæ conservationem a prædecessoribus nostris provide statuta, & ordinata sunt, firmiter & perpetuo observentur, & cum opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur. Proœmium.

§.1. Dudum siquidem à fel. record. Pio Papa V. prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris subsequentis, videlicet. Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipue excruciat dolor, quod Religio Christiana tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione distractus, in alios, atque alios errores passim, & promiscue deferatur. Quantum vero ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ, simul atque prosiliunt, penitus opprimantur: magno enim mærore afficimur, quod plerique, spectatæ alioquin probitatis, & doctrinæ, in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque cis, etiam in Scholis invicem controversantur, cujusmodi sunt sequentes. Constit. Pii V.

§.2. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium, Sententiæ suspectæ.

rium. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseveraissent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectio, propriè nonnisi meritis Christi adscribenda est. Quod pie, & juste in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum, ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. Pelagii sententia est, Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Cœlestis meritorium. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. Opera bona justorum non accipiunt in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinæ legi. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Opera Justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos secundo, Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum reiicenda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum Viam, & Ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum, in viam Justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent, aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Cathecumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. Omnis amor creaturæ rationalis, aut otiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur,

quæ

quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum. Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, fit ut sancta societate Deo homo inhæreat. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium; unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit. Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate, voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium, & ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discendens, sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consequutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei impugnet. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima trangressio. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse; falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. In peccato duo sunt actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte redemptores,) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifarium bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectū est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritoriū Regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, reiicienda est. Sed, & illa distinctio duplicis Justitiæ, alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ Legis justificatio impleatur, similiter reiicitur. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minime congruens. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnatio-

nationes. Per contritionem, etiam cum perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti. Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali, hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut, & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, Non concupisces. Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non deputetur. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. Immortalitas primi Hominis non est gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali.

Damnat prædictas sententias. §.3. Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respective, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus, deque eisdem, & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.

Executores deputat. §.4. Cæterum, ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, dilecto filio nostro Antonio Tituli S. Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granuelano nuncupato, per apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendam, facto opus sit, in primis diligenter expendat, deinde in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ unitate, etiam per alium, seu alios fide, doctrina, & religione præstantes, ocyus exequatur, faciatque quicquid decreverit, inviolate ab omnibus observari.

Contravenientium pœnæ. §.5. Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cœteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus, quod forsan aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis, & Literis Apostolicis, specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Literis mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1567. Kalendis Octobris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Gregor. XIII. confirm. prædictam Pii Constitut. §.5. Deindeque piæ mem. Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor noster, intellecto per eum, non sine animi sui dolore, non defuisse tunc temporis aliquos Theologos, tum studiosos, tum professores, qui articulos in prædicta Constitutione damnatos asserere, & pertinaciter defendere pergerent, pro officii sui munere eorumdem temeritatem, atque audaciam ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem, minime contemnendam, & dissimulandam censuit, sed ad coercenda hujusmodi ingenia, per aliam suam Constitutionem, sub Datum quarto Kalendas Februarii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimonono, Pontificatus sui An. VIII. editam, Pii Prædecessoris Constitutionem prædictam sua quoque auctoritate confirmavit, Articolosque ibidem comprehensos iterato damnavit, & ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem, ac sententiam ignorare posset, suam hujusmodi confirmationis Constitutionem, altera Pii V. comprehensa, publicavit, & promulgavit.

Paulus V.

§.6. Postea recol.mem.Paulus Papa V. similiter Prædecessor noster, ad tollenda scandala, & dissensiones, quæ in Ecclesia Catholica oriebantur occasione editionis librorum, & operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, sub die 1. Decemb. Anni Domini 1611. coram ipso habita, decrevit, ut scriberetur Nunciis Apostolicis, quod notificarent, & ordinarent Superioribus Religionum, & Universitatibus Studiorum, & Ordinariis eorum Nunciaturæ, ne finerent imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo & qui vellent de hac materia scribere, & imprimere, prius mitterent Tractatus, & Compositiones ad dictam Sanctam Universalem Inquisitionem; & in exequutionem mentis dicti Pauli Prædecessoris, ejusdem Decreti tenor omnibus prædictis per Nuncios respective fuit legitime intimatus: Successiveque ne contra prædictum Decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala, & dissensiones omnino cessarent, Nos in alia Generali Congregatione dictæ Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, Feria 5. die 22. Maii, Anno Domini 1625. per aliud Decretum nostrum, ipsum Pauli Prædecessoris Decretum confirmavimus, & innovavimus, ac omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quam secularibus personis cujuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam secularis, ne imposterum auderent imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, prætextu, vel modo, de materia Auxiliorum Divinorum tractantes sine expressa, & speciali licentia a Nobis in Congregatione S. Officii prædicta obtinenda, donec aliud in hac materia a Sede Apostolica foret ordinatum, districte præcepimus, & mandavimus; & ut hujusmodi nostrum Decretum inviolabiliter observetur, voluimus, & declaravimus, contravenientes pœnas privationis dignitatum & officiorum suorum, vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publice legendi, docendi, & interpretandi ipso facto, absque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis nostro, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subjacere, librosque, quos ex tunc deinceps, contra dicti nostri Decreti tenorem edi continget, absque alia declaratione, tamquam expresse prohibitos haberi, & Impressores, præter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem teneri.

§.7. Novissime tandem accepto per Nos in Oppido (Civitate nuncupato) Lovaniensi, quosdam assertos Cornelii Jansenii olim Episcopi Ipreusis exequutores ex testamento in lucem edi curasse librum, cui titulus, Augustinus, ex professo continentem, & tractantem materiam de Auxiliis, nulla penitus petita, vel obtenta a dicta Congregatione licentia illum imprimendi, ejusque operis occasione Patres Societatis Jesu, nonnullas in Civitate Antuerpiensi de eadem materia tractantes Theses, pariter absque licentia ejusdem Congregationis imprimi curasse, opinionesque Jansenii in prædicto libro contentas oppugnasse, rursusque nonnullas alias orationes, scripturas, epistolas, Thesesque in calce infrascripti Decreti nostri tunc registratas, tam pro dicti libri Jansenii, quam Thesium a Patribus Jesuitis editarum defensione impressas fuisse, non solum contra prædictorum Decretorum prohibitionem, sed etiam in grave scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ.

Prohibetur Jansenius.

§.8. Nos ut malis hujusmodi imminentibus quanto citius occurreretur, & ne imposterum ullus auderet dictis Decretis contraire, per aliud Decretum in alia plena, & generali Congregatione ejusdem Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis coram Nobis die 1. Augusti proxime præteriti habita, inhærendo prioribus Decretis a Paulo Prædecessore, & a Nobis, ut supra editis, pro tunc dictum librum Jansenii, cui titulus, Augustinus, Lovanii impressum, necnon Theses a Patribus Soc. Jesu Antuerpiæ in lucem editas, aliasque scripturas in calce posterioris nostri Decreti hujusmodi registratas, jam vigore anteriorum supradictorum Decretorum prohibitas, de novo prohibuimus, ac pro prohibitis omnino haberi voluimus: Mandavimusque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quis cujuscumque status, gradus, conditionis, & qualitatis, etiam speciali, & specialissima nota dignæ, librum, & Theses prædictas, aliasque scripturas, ut supra, absque dictæ Sedis licentia in dicta Congregatione S. Officii obtinenda, retinere, & legere posset. Mandavimus insuper omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, & Universitatibus, sub prædictis, ut supra, excommunicationis ipso facto incurrendæ, Interdicti Ecclesiastici respective, aliisque arbitrio nostro pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne imposterum auderent imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, compositiones ex professo, vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi D. Thomam, seu in Philosophicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Jansenii, cui titulus, Augustinus, vel Theses Patrum Soc. Jesu, aliasque scripturas in calce dicti posterioris nostri Decreti, ut præfer-

præfertur, regiſtratas, & prohibitas, aut alia quavis occaſione, vel modo de materia Auxiliorum divinorum, ſeu de gratia, & libero arbitrio tractantes, ſine expreſſa licentia a nobis in dicta Congregatione S. Officii obtinenda, donec aliud in hac materia a Sede Apoſtolica prædicta foret ordinatum.

§.9. Abſolutionem vero a prædicta excommunicatione, necnon interdicti ſuſpenſionem, & relaxationem Nobis, & dictæ Congregationi reſervavimus: Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, etiam Sanctæ Cruciatæ, Jubilæi (etiam generalis) & facultatibus Miſſionariorum, ac aliis a dicta Sede emanatis, ſeu emanandis, quibus omnibus in hac parte derogavimus: Voluimuſque ea omnia ſuum plenarium ſortiri effectum, omneſque contrafacientes, ut ſupra, ligare, nec quemquam excuſari poſſe, etiam ſub prætextu, quod anteriora Decreta Pauli Prædeceſſoris, & noſtra, aliàs, ut præfertur, edita, non forent in Provinciis iutimata, vel uſu recepta. Irritum quoque, & inane decrevimus quicquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus; Et ne præmiſſorum igoorantia poſſet ab aliquo prætendi, volumus ut poſterius noſtrum decretum hujuſmodi, ſeu illius exemplum, ad Valvas Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum omnes ita arctaret, & afficeret, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum foret.

Nota librorum prohibitorum. §.10. Nota vero librorum, & ſcripturarum prohibitarum, in calce poſterioris Decreti noſtri hujuſmodi regiſtratarum, hæc eſt. Liber cui titulus, Auguſtinus, impreſſus Lovanii Typis Ja: Zegeri An. 1640. & Pariſiis 1641. Theſes Teologicæ de Gratia, libero arbitrio, & prædeſtinatione, Antuerpiæ apud Joannem Meurſium anno 1641. Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi, &c. Laudatio Funeralis dicta a Reu. Fratre Joanne a Lapide, &c. Lovanii, Typis Bernardini Marii &c. Epiſtola idiomate Hiſpano Eminentiſſimo y Reverendiſſimo Señor Cardinal de la Cueva de la Congregation de la Sacra Inquiſicion, por el Padre Pedro Bivero de la Compañia de Jeſus Prædicador del Señor Cardenal Infante. Data in Bruxelles 26. Encro 1641. Memoriale idiomate Hiſpano Cardinali Infanti Hiſpaniæ, incipiens: Sereniſſimo Señor; & finiens; Como es V. Cathol. Real A. Libellus, cui titulus, humilis, & ſupplex quærimonia Jacobi Zegers Typographi Lovan. adverſus Libellum R. P. S. I. Regiæ Cappellæ Bruxell. Concionatoris, & Theſes PP. Societatis, Lovanii apud Jacobum Zegers Anno 1641. primæ, ſecundæ, & tertiæ editionis. Memoriale ad Eminentiſſ. Cardinalem de la Cueva, circa Quærimoniam frivolam Janſenianā, &c. contra Theſes Theol., & libellum ſupplicem, &c. ejuſdem de eodem tela ingeſta, & regeſta. Theſes Theologicæ Apologeticæ, & Miſcellaneæ adverſus doctrinam Cornelii &c. ſub prætextu quærimoniæ Typogr. Lovanien. edit. a. &c. Antuerpiæ apud Jo: Meurſium Anno 1641. Libellus cui tit. Auguſtini Hypponenſis, &c., Auguſtini Iprenſis, de Deo omnes ſalvare volente, &c. Homologia, &c. Lovanii apud Jacobum Zegers, Anno 1641. Epiſtola Liberti Fromundi, & Henrici Caleni, Lovanii 16. Junii 1641. R. P. Societ. Jeſu Lovan. incipiens. Theſes veſtras. Epiſtola Profeſſor. S. Thomæ Colleg. Soc. Jeſu Lovan. Liberto Fromundo, & Henrico Caleno, incipiens: Gratias agimus, &c. Epiſtola, cui titulus, Petrus Biverus Doctoribus Janſenianis, &c. incipiens: Ad rem Amici, &c. Somnium Hipponenſe, ſive de Controverſiis, &c. Relatore Phyletimo S. T. Baccal. Formaio, Pariſiis Anno 1641. Inſuper omnes alii libri, Opuſcula, Epiſtolæ, Orationes, Theſes, &c. aliaque omnia, tam contra, quam pro Cornelio Janſenio, ac Patribus Jeſuitis.

§.11. Cum autem ex diligenti, & matura ejuſdem libri, cui titulus, Auguſtinus, lectione, poſtmodum compertum fuerit, in eodem libro multas ex propoſitionibus a Prædeceſſoribus noſtris olim, ut præfertur, damnatas, contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi: Nos huic malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes: Conſtitutionis Gregorii, necnon Pauli Prædec. prædictorum noſtrorum, necuon Decretorum hujuſmodi tutos, & integros tenores, ac datas etiam veriores præſentibus pro totaliter expreſſis, & inſertis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac perpetuo valitura Conſtitutione ejuſdem Pii, & Gregorii Prædeceſſorum hujuſmodi Conſtitutiones prædictas, omniaque, & ſingula in eis contenta, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, librumque prædictum, cui titulus eſt, Auguſtinus, Articulos, opiniones, & ſententias in dictis Conſtitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut a Nobis compertum eſt, continentem, & renovantem, aliaque omnia opera præſentibus noſtris literis ſubinſerta, quæ aliis ſub poſteriori decreto noſtro prædicto regiſtratis per præſentes addimus, atque adjungimus, eadem auctoritate per præſentes omnino prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus, & mandamus. Jubentes inſuper ſub omnibus pœnis, & cenſuris in prædicta Conſtitutione Pii Prædeceſſoris contentis (a quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, abſolvere contrafacientes poſſit) ne quis cujuſcumque conditionis, & qualitatis ſit, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota, & expreſ-

sione dignus, de prædictis, ut supra, damnatis, & in prædicto libro contentis, aliisque (ut infra) subinsertis Articulis, Opinionibus, Sententiis, Libellis, Orationibus, Scripturis, Epistolis, & Thesibus quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, Librumque, & alia prædicta penes se retinere, vel legere præsumat: Remanente nihilominus in reliquis in suo robore posteriori Decreto a Nobis in Sacra Supremæ, & Universalis Inquisitionis Congregatione, ut præfertur, edito. Decernentesque sic, & non aliàs in premissis omnibus, & singulis per quoscumque Interpretes, Doctores, Academias, Universitates, & Studia Generalia, aliasque personas, Judices ordinarios, delegatos, mixtos, etiam Nuncios nostros, & Sedis prædictæ, sublata eis, & eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, & interpretandi, ac glossandi, & decidendi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere: irritumque, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, quæ in dicto nostro posteriori Decreto voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Alia Opera prohibita.

§.12. Opera vero addita aliis in calce posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratis, & prohibitis, sunt sequentia, videlicet. Liberti Fromundi Sacræ Theologiæ Doctoris &c. Brevis Anatomia hominis, Lovanii apud Jacobum Zegers &c. Anno 1641. Conventus Africanus, sive disceptatio judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini &c. Enarratore Artemidoro Oneirocritico, a Roven, Chez Nicolas de Montaigne, anno 1641. Memorial au Roy incipiens, Jean Jansenius Chanoine &c. & finiens, coutra illa duo Decreta Summorum Pontificum &c. Item Attestatio notarialis &c. incipiens: Ego infrascriptus, & finiens, Petrus Mintart Notarius. Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum ex variis Religionibus, tam Ordinum Monachalium, quam Mendicantium, necnon Archiepiscopi Philippensis, aliorumve Theologorum Clericorum secularium, Doctrinæ Cornelii Jansenii in dicto libro, Augustinus, contentæ, incipiens: Quid censendum sit de doctrina in opere Reverendiss. D. Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis fel. mem. nuncupato Augustinus, contenta, patebit ex subsequentibus attestationibus Doctissimorum Virorum in Belgio, & alibi existentium &c. & finiens: Et me publico, & Apostolico, ac dictæ Universitatis Notario, et Scriba jurato. Quod attestor: Petrus Mintart Notarius. Ut autem præsentes nostræ literæ, omnia que, et singula in eisdem literis, ut supra contenta, ad omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari possit, volumus easdem præsentes nostras Literas, seu earum transumptum, etiam impressum (cui manu Notarii publici subscripto, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munito, plenam ubique locorum, et tam in judicio, quam extra illud, fidem adhiberi decernimus) in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariæ Apostolicæ valvis, atque in acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus Palatii Apostolici publicari, et affigi, earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem, et copiæ affixæ dimissionem hujusmodi in omnibus, et quoad omnia sufficere, et pro solemui, et legitima haberi, nec aliam publicationem in Regnis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, et Locis requiri, aut expectari debere, omnesque, et singulos perinde arctare, et afficere, ac si unicuique nominatim, ac personaliter intimatæ, atque præsentatæ fuissent.

Sanctio pœnalis.

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, adjunctionis, prohibitionis, jussionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum die 6. Martii 1641. An. XVIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimoprimo, pridie nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

DCLXX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Jubilæum Universale ad divinam opem implorandam.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium.

PUblicis Christifidelium precibus optatam Reipublicæ Christianæ tranquillitatem pluries Deo præcati sumus, assiduisque officiis, & paternis hortationibus pacem inter orthodoxos principes conciliare studuimus, sed veremur ne populorū iniquitates, & peccata, vultum Dei absconderint a Nobis, ne exaudiat; eumulantur enim tum cum maxime excitati bellorum turbines, quibus sedandis consilia humana sunt inferiora, nisi ope cælesti adjuventur. Ad Dominum igitur, qui conterit bella denuo clamandum censemus, confisi fore, ut præstabilis super humanam malitiam divina bonitas, id, quod enixe petimus, multiplicatis intercessionibus, tandem misericorditer largiatur. Hoc autem, ut fructuosius fiat, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium matris, & magistræ more, ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus.

sumus, proferre, & erogare decrevimus.

Ind. tio Jubilæi.

§.1. Itaque ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles, tam in Alma Urbe nostra, quam extra ubilibet locorum constitutos, apostolica auctoritate paterne requirimus, monemus, & in Domino adhortamur, ad infrascripta devote peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus christianis pacem, & veram tranquillitatem donare, ac præcipue præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur.

Indulgentia proposita.

§.2. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, meritis minime suffragantibus contulit, universis, & singulis Christifidelibus in alma Urbe prædicta degentibus, qui Sancti Joannis Lateranen., Principis Apostolorum, Sanctæ Mariæ Majoris ejusdem Urbis Ecclesias, seu Basilicas, sive nationalem, quoad ipsius Ecclesiæ nationales, aut Parochialem Ecclesias, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio trium mensium a die datæ præsentium computandorum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac feria sexta unius hebdomadæ intra dictos tres menses ducurrendæ jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum saltem in dominica die immediate sequenti reverenter sumpserint: Cæteris vero extra Urbem prædictam ubique degentibus, qui Ecclesias, ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui inibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ literæ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram, spatio trium similiter mensium a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ computandorum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra oraverint, ac feria sexta unius hebdomadæ intra eosdem tres menses decurrendæ similiter jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac saltem in die dominica immediate sequenti, Sanctissima Communione refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Quæ hic præscribuntur peragentibus.

Navigantes, iterantes,

§.2. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majore, aut Parochiali loci ejusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant.

Regulares, legitimeque impediti quid agere debeant ad Jubilaeum consequendum;

§.3. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque Impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Peculiares facultates Confessariis tributæ.

§.3. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus, tam laicis, quam ecclesiasticis, secularibus, & regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe prædicta, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur degentibus, qui Ecclesias prædictas, seu earum alteram ter continuis, seu interpolatis diebus intra dictorum trium mensium spatium visitaverint, & inibi, ut supra, oraverint, necnon Feria quarta, & sexta, ac Sabbatho alicujus hebdomadæ intra dictum temporis spatium decurrendæ jejunaverint, licentiam concedimus, & facultatem; ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam secularem, quam cujusvis Ordinis regularem, & ut præmittitur approbatis a locorum ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum, non tamen a crimine hæresis, absolvere, & liberare valeant. Et insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari; aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis,

Præsentes Literæ a locorum Ordinarii publicandæ.

§.4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubique existen., eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus,

tibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent;

Casus a prædictis facultatibus excepti.

§.5. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictorum trium mensium satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariorum derogatio.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservat., ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuique suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar; ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant.

Transumptis fides danda.

§.7. Volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die decimaoctava Martii 1641. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

Datum die 18. Martii 1641. An. XVIII.

DCXXI.

Quod Laici, seu Conversi Ordinis Minimorum suffragentur in admissione Novitiorum ad professionem,

De istorum Fratrum Religione lege in Constitut. LIV. Tom. V. Par. V. fol. 218. Ut ea. *& in Const. LXI.* Injuncti Nobis. *ibidem fol.* 231.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Laici, seu Conversi Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, quod licet ipsi, etiam ab ipso dicti Ordinis primordio, in pacifica semper possessione fuerint nonnullis functionibus, & actibus capitularibus interessendi, præsertim vero in Capitulis, quæ pro Novitiorum acceptatione, & ad professionem regularem admissione fiunt, votum, sive suffragium, ad instar aliorum Ordinis hujusmodi Vocalium, & Sacerdotum ferendi.

Refertur Statut. Cap. Gen. Massil. 2. n.34. vid. correct. 71. c. ex eo. de electionibus, in 6.

§.2. De anno tamen 1635. in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Civitate Massiliensi celebrato, Superiores, & alii Vocales Sacerdotes prædicti eosdem Laicos, seu Conversos, suis hujusmodi jure, & possessione privare tentarunt, & desuper inter alia per eos in eodem Capitulo Generali condita Constitutiones, & Statuta sequens Decretum eorumdem Constitutionum, & Statutorum numero 34. ediderunt, videlicet. Novitiorum acceptatio ad professionem fiat per secreta suffragia, secus suo priventur officio Superiores. In paritate autem vocum stetur Informatori, ad quam acceptationem Clerici non habeant votum, nisi sint in sacris Ordinibus constituti: Laici vero nequaquam, sicut neque in aliis rebus spiritualibus.

Hic Pont. alia confirmavit statut. d. Cap. non tamen circa dismembrationem Conventus Orbitelli, & Laicorum, votum in acceptatione Novitiorum.

§.3. 4. Postmodum vero petita nomine Correctoris Generalis Ordinis hujusmodi a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, negotiis Regularium præpositis, eorumdem Constitutionum, & Statutorum, præsertim quoad eam partem, qua disponitur, quod Laici, seu Conversi hujusmodi in acceptatione Novitiorum votum non habeant, confirmatione; licet Nos de eorumdem Cardinalium consilio Constitutiones, & Statuta hujusmodi, exceptis tamen decimo Statuto circa dismembrationem Conventus Orbitelli, ac trigesimoquarto circa Laicorum, seu Conversorum votum in acceptatione Novitiorum, quæ omnino tolli, & aboleri voluimus, itaut circa Conventum prædictum,

ac

ac Laicorum votum in aeceptatione Novitiorum nihil omnino imposterum esset, vel esse censeretur innovatum, sed circa hæc, omnia remanere in statu pristino, apostolica auctoritate confirmaverimus, aliaque fecerimus, ut in nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur. Nihilominus tamen Sacerdotes, & alii Superiores locales Ordinis hujusmodi anno superiori eosdem Laicos, seu Conversos in suis hujusmodi jure, & possessione de novo turbare tentarunt. Unde habito ab ipsis Exponentibus ad eosdem Cardinales recursu, præfati Cardinales inhærendo Decreto aliàs, ut præfertur, desuper ab eis edito, audito prius Procuratore Generali Ordinis hujusmodi, dilecto filio nostro Antonio tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbytero Cardinali Sanctacrucio nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori commiserunt, ut pro suo arbitrio, & prudentia in præmissis statueret, & decerneret, quod pro debita eorumdem exponentium satisfactione, & profitentium quiete in Domino conspexisset salubrius expedire.

Laici iterum super d. voto turbati recurrerunt ad S. Congreg. quæ commisit negotium Emo D. Card. Protectori.

§.5. Qui Antonius Cardinalis in vim commissionis hujusmodi, re mature considerata, & audito eodem Correctore Generali, dixit, & declaravit licuisse, & licere dictis Fratribus Laicis, seu Conversis pro acceptatione, & admissione Novitiorum ad professionem suffragium ferre, ac una cum Sacerdotibus,& Superioribus Conventuum, ubi dictas acceptationes, & admissiones fieri continget, votum præstare: eosque propterea in eorum quasi possessione fore, & esse manutenendos; & aliàs prout in ejusdem Antonii Cardinalis Decreto desuper emanato plenius continetur.

Card. Protector declarat ut in Summ. glos. in d. cap. ex eo.

§.6. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, præfati Laici, seu Conversi præmissa pro illorum validitate, & subsistentia firmioribus apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio comuniri summopere desiderent. Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Decretum, seu declarationem hujusmodi apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus. Ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatur Decr. Card. Protect., ut in Summ. & supplentur defectus.

§.7. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub vocis activæ, & passivæ, necnon suorum officiorum privationis, perpetuæque ad illa, & alia imposterum obtinenda inhabilitatis, aliisque arbitrii nostri pœnis, eo ipso per contrafacientes absque ulla declaratione incurrendis, ut decretum, seu declarationem hujusmodi inviolabiliter observent, ac eosdem Exponentes omnium, & singulorum in eisdem decreto, seu declaratione contentorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant. Ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus, sortiri, & obtinere, dictisque Exponentibus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari.

Pœna contrafacientibus, & clausula præservativa.

§.8. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictęque Sedis Nuncios, ac quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§.9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictis, & quibusvis aliis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis,& Literis Apostolicis quibusvis ejusdem Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis, sub quibuscumque verborum tenoribus,& formis,ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis,confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cęterisq; contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§.10. Volumus autem, ut pręsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitę vel ostensę.

Transumptis fides adhibenda.

Datum Romę apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 22. Martii 1641. Pontificatus nostri Anno XVIII.

Datum die 22. Martii 1641. An. XVIII.

Decla-

DCLXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio nullitatis Decretorum, & gestorum per Nuncium Hispaniarum tamquam Sedis Apostolicæ Jurisdictioni, & libertati ecclesiasticæ adversantium.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab ipsa materia sumptum.

DEcet Nos, qui in Apostolica Sede a Domino collocati, & universis Ecclesiæ regimini præpositi sumus, curare sedulo, ne ejusdem Sedis auctoritas, ac jura, & immunitas, libertasque, & jurisdictio ecclesiastica, facto ministrorum apostolicorum ullatenus imminuantur, & si quid ab eis, absque sufficienti facultate, gestum, actumque sit, per quod, licet ipso jure nullum præmissa quoquo modo læsa videantur, ne eo tamquam valido quisquam ignorantiæ, vel alio prætextu uti præsumat, opportune declarationis ministerio providere.

Nonnulla Decreta ab Hispaniarum Nuncio emanata in præjudicium ecclesiasticæ jurisdictionis.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius, Cæsar Fachenettus, Archiepiscopus Damiaten noster, & Apostolicæ Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, & Hispaniarum Regna Nuncius, nulla a nobis sufficienti facultate suffultus, immo Nobis inconsultis, & plane insciis, nonnulla Decreta variis impedimentis Tribunali ejus nunciaturæ præstitis, & vexationibus sibi factis, quasi coactus fecerit, ac clausulas, & verba quædam in expeditionibus Causarum, negociorum, & gratiarum, quæ ab eo, ejusque Tribunali vigore suarum ordinariarum facultatum fiunt, apposuerit, seu apponi curaverit, vel apponenda esse statuerit, beneplacitumque Regium, & Laicale in actibus ecclesiasticis præservaverit, statutorumque, & ordinationum suarum approbationem a Nobis, & Sede Apostolica, infra certum tempus obtinere promiserit, ex quibus nostræ, & Sedis præd. auctoritati, juribusque, & immunitati, libertatique, & jurisdictioni ecclesiasticæ, ac præd. Nunciaturæ apostolicæ officio præjudicium non modicum illatum fuisse, vel esse, aut fore dici, prætendi, seu censeri possit.

Pontifex irritat.

§. 2. Idcirco etiamsi indubium sit, præmissa per eumdem Nuncium, sufficiente ad id a Nobis facultate minime suffultum, facta, Decreta, & Statuta ipso jure fuisse, & esse nulla, attamen ne eorum approbatio ex taciturnitate, & conniventia nostra, temporisque cursu quantumlibet longevo, ac quomodolibet induci, vel præsumi valeat, liquidoque constet, illa præter mentem, voluntatem, & intentionem nostram ab eodem Nuncio emanasse; motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eorumdem Nuncii Decretorum, Statutorum, Ordinationum quarumcumque eidem Sedi, aliisque prædictis quomodolibet præjudicialium, omniumque & singulorum inde hactenus, imposterum quandocumque sequutorum, & sequendorum, aliorumque hic forsan de necessitate exprimendorum, vel inferendorum, tenores, etiam majores, & veriores pro plene expressis, & insertis habentes, omnia, & singula per eumdem Nuncium absque sufficienti facultate apostolica circa negociorum, causarum, & gratiarum quarumlibet ab eo, suæque nunciaturæ Tribunali juxta ordinarias facultates expeditionem, vel aliàs quomodolibet Sedi Apostolicæ, jurisdictionique, immunitati, vel libertati ecclesiasticæ quomodolibet præjudicialia facta, decreta, constituta, ordinata, & innovata etiam intuitu, & contemplatione, aut in favorem ejusdem Regis Catholici, ejusque officialium quorumcumque, ac Regnorum Hispaniarum, Universitatum, nationum, & quorumcumque aliorum quantumlibet sublimium, & supræmorum cujuscumque conditionis, status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis etiam ecclesiasticæ existentium, etiam speciali, & individua mentione dignorum, ac aliàs quomodolibet qualificatorum, etiam per modum declarationis, & reformationis, ac quacumque ex causa, seu prætextu quantumvis justo, favorabili, & pio, etiam cum clausula, salvo, & reservato nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, vel fortasse etiam cum intentione data, vel promissione facta illud a Nobis, & Sede præd. impetrandi, etiam cum prætensa illorum exequutione, & observautia, ac aliis inde sequutis quibuscumque, fuisse, & esse ipso jure nulla, & invalida, nulliusque roboris, vel momenti, neque ullum omnino ex eis nostræ, & dictæ sedis auctoritati, juribusque, & immunitati, libertati, & jurisdictioni ecclesiasticæ, eidemque nunciaturæ præjudicium illatum fuisse, vel esse, nec cuiquam inde jus aliquod tam in Petitorio, quam in Possessorio, & aliàs quomodolibet acquisitum, minusve illa, & eorum quodlibet ex nostra taciturnitate, & conniventia, & quocumque temporis cursu, & observautia, quantumlibet longeva, & longissima per Nos umquam approbata, confirmata, & admissa dici, prætendi, præsumi, intelligi, induci, vel censeri unquam potuisse, nec posse, sed ea omnia tamquam injussu nostro, Nobisque inconsultis, & insciis, ac præter, & contra mentem, voluntatem, & intentionem nostram ab eodem Nuncio facta pro infectis, & ab eorum initio nullis, & irritis semper, & ubique haberi debere, perinde ac si illa numquam emanassent, tenore præsentium declaramus, & ad abundantiorem cautelam ea omnia, & singula cum ab inde sequutis quibuscumque reprobamus, revocamus, irritamus, cassamus, & annullamus, ac pro reprobatis, revocatis, irritis, cassatis, & annullatis haberi perpetuo volumus, approbationemque nostram, ac beneplacitum apostolicum fuisse a Nobis negatum pariter decla-

declaramus, prout illud, & illam per presentes denegamus.

Clausulae appositae.

§.3. Præsentes quoque literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis nullatenus consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi non fuerint, minusque Causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, deductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ non fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, sive præscriptionis etiam quadraginta annorum, & immemorabilis, ac enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, vel prætextu, etiam in corpore juris clausu, seu ex quacumque causa, & occasione, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil ulli appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio, & alias quomodolibet concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se adjuvare in judicio, vel extra illud minime posse, sed easdem presentes semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari.

Et ita judicari in omnibus decernit.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque judices, Ordinarios, & delegatos etiã causarum Palatii Apostolici Auditores, Clericosque Præsidentes, ac Cameram, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum ministros, & officiales, necnon S. R. E. Cardinales, etiam Vicecancellarios, Camerarios, ac etiam de latere Legatos, ejusdemque Sedis Nuncios, ac quascumque Congregationes, etiam specialem expressionem requirentes, etiam quorumcumque S. R. E. Cardinaliũ, & Prælatorum, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate semper, & ubiqui judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari similiter decernimus.

Contrariis tollit.

§.5. Non obstantibus præmissis ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis tam generalibus, quam specialibus etiam in Conciliis Universalibus editis, & quatenus opus sit, regula nostra de non tollendo jure quæsito, & fe: re: Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris Nostri de gratiis qualecumque Interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes nullo umquam tempore in eadem Camera præsentari, seu registrari necesse sit, necnon quibusvis conniventiis, tolerantiis, taciturnitatibus, usibus, consuetudinibus, etiam longissimis, ac statutis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, Indultis, concessionibus, licentiis, & Literis Apostolicis quibuscumque personis, etiam, ut præmittitur, qualificatis, ac Provinciis, Regnis, Nationibus, Civitatibus, Universitatibus, Ecclesiis, Ordinibus, etiam militaribus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationibus, Institutis, Societati Jesu, aliisque locis, & personis quibuslibet, etiam speciali nota, & expressione dignis, etiam motu scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, etiam irritantibus, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries, & iteratis vicibus, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem, per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1641. Pontificatus nostri Anno XVIII.

Datum die 6 Aprilis 1641. An. XVIII.

DCLXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Decretum publici, & secreti Consilii Populi Romani de anno 1622. emanatum, quo præscribitur, quod Notarii Curiæ Capitolinæ esse debeant Notarii Capitum Regionum Urbis extenditur ad Protonotarium ejusdem Curiæ, & Notarios Conservatorum, & Camerarii Ripæ.

Decretum quoad Notarios, ejusque confirmationem lege supra num. 636. fol. 225.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Protonotarii Curiæ Capitolinæ pro extensione, de qua in Rubrica.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Franceschinus Curiæ Capitolinæ Protonotarius, quod aliàs, postquam de anno 1622. per secretum, & publicum Populi Romani consilium decretum fuerat, quod Notarii Collegii Capitolini de cætero forent, esseque deberent Notarii Capitum Regionum almæ Urbis nostræ, quodque capita Regionum hujusmodi pro tempore existen. nullatenus possent eligere, nec deputare in eorum Regionum Notarios alios, quam ex dicto Collegio Capitolino, & in eventum, in quem aliquis ex dictis Capitibus Regionum alium, ex dicto Collegio Capitolino deputasset, deputatio prædicta nulla, & invalida esset, & dilecti filii ejusdem almæ Urbis Conservatores pro tempore existentes aliquem ex dicto Collegio in Notarium Capitum Regionum hujusmodi ex officio deputare deberent, subinde per subsequens idem secretum, & publicum Consilium de eodem anno decretum, declaratùmque fuit, quod per concessionem dicto Capitolino Collegio, ut supra factam, non intendebatur ullatenus Protonotario dictæ Curiæ, nec eorumdem Conservatorum, ac Camerarii Ripæ Notariis præjudicatum fuisse, imo ipsos, etiam in Notarios Capitum Regionum, & non alios eligi posse. Propter, quod, citato ad ejusdem Protonotarii instantiam dicto Collegio Capitolino, ad videndum reponi a quocumque Decreto præjudiciali, iidem Conservatores sub die secunda Augusti 1639. reposuerunt a dicto Decreto quoad Protonotarium tantum, imo illum in supradicta concessione compræhensum esse declararunt, citato autem postmodum ex parte ejusdem Collegii Capitolini dicto Protonotario ad videndum mandari expediri literas apostolicas Cæteris non obstantibus, iidem Conservatores in ante decretis ad ejusdem Protonotarii favorem sub die secunda Septembris 1639. perstiterunt.

Causæ faciendæ extensionis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat idem Cullegium per quasdam nostras in simili forma Brevis sub die 29. Novembris 1639. emanatas Literas præfatum Decretum anni 1622. confirmari obtinuerint, nulla facta decreti ejusdem secreti, & publici Consilii ad eorum dem Protonotarii, & Notariorum dictorum Conservatorum, & Camerarii Ripæ favorem facti expressione, ac etiam non obstantibus aliis decretis, quoad eumdem Protonotarium dumtaxat, parte citata emanatis, & licet ex deductis literæ nostræ hujusmodi subreptitiè extortæ, non narrata facti veritate, videantur, nihilominus tamen dicti Collegii Notarii illis utantur, prætendentes se esse Notarios Capitum Regionum hujusmodi privativè quoad omnes alios, ac certa emolumenta sibi consignari faciant. Nobis propterea dictus exponens humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Extensio.

§.3. Nos igitur eumdem exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatas nostras literas eidem Notariorum Curiæ Capitolinæ Collegio, servata tamen forma secundi Decreti Consilii publici, & secreti hujusmodi, itaut tam ipse Franciscus modernus, & pro tempore existens Protonotarius hujusmodi, quã eorumdem Conservatorum, & Camerarii Ripæ Notarii in Notarios Capitum Regionum dictæ Urbis eligi possint, suffragari, ac valere in omnibus, & per omnia perinde, ac si de præfato decreto secreti, & publici Consilii hujusmodi ad eorumdem Protonotarii, & Notariorum Conservatorum, & Camerarii Ripæ hujusmodi, ut præfertur, facto, aliisque præfatis mentio facta fuisset.

Clausula.

§.4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Contrariorum derogatio.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis, & Curiæ prædictarum, ipsiusque Collegii, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, reformationibus, stylis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Da-

Datum die 29. Aprilis 1641. An XVIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesimanona Aprilis 1641. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

DCLXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Ordinario Colonien, personas ecclesiasticas compellendi ad solutionem vectigalium, Grani, Farinæ, & Vini ad quinquennium tantum.

Ven. Fratri Ferdinando Archiepiscopo Colonien; Sacri Romani Imperii Principi Electori, seu dilecto filio Officiali Colonien.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater, seu dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium.

CAtholicæ religionis zelus, ac sinceræ fidei, & devotionis affectus, quod dilecti filii Communitas, & Homines Civitatis Colonien. nos, & Romanam prosequuntur Ecclesiam promerentur, ut eorum commodis, & utilitati, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus.

Communitas Colonien. pro contributione super grano, farina &c. ad ecclesiasticos extendenda, causas exponit.

§.1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecerunt Communitas, & Homines prędicti ob assiduas expensas, quas ipsos pro conservatione religionis catholicæ, & dictæ civitatis, ejusque territoril ab Hæreticorum invasionibus præservatione plurium annorum spatio facere oportuit, eadem civitas adeo opibus exhausta sit, ut sumptus pro conservanda deinceps orthodoxa religione in eadem civitate, eaque ab Hæreticorum conatibus tuenda necessarios imposterum sustinere non possit, ideoque exponentes prædicti, etiam personas ecclesiasticas tam seculares, quam regulares civitatis prædictæ, quæ, ut asserunt, plusquam unam ex tribus partibus bonorum stabilium in dicta civitate possident, ad solutionem gabellarum super grano, farina, & vino in civitate hujusmodi impositarum, nostra, & hujus Sanctæ Sedis auctoritate cogi, & compelli desiderent.

Commissio Colonien. Ordinario, ut in rubrica.

§.2. Nos considerantes personarum ecclesiasticarum non minus, quam laicorum interesse religionem catholicam in dicta Civitate sartam, tectamq; conservari, & Civitatem hujusmodi adversus hæreticorum invasiones præmuniri, ipsosque exponentès specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, fraternitati tuæ, frater archiepiscope, seu discretioni tuæ, fili officialis, per præsentes committimus, & mandamus, ut constito tibi, quod laicorum facultates pro subeundis deinceps expensis prædictis non suppetant, & dummodo cleri prædictæ Civitatis Colonien. expressus ad hoc assensus accedat, personas ecclesiasticas Civitatis prædictæ tam seculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam speciali nota, & expressione dignas, exceptis tamen mendicantibus, bona stabilia non possiden., & ex eleemosynis viven., regulares ad contribuen. in gabellis impositis super grano, farina, & vino in dicta Civitate consumendis, vel ab ea extrahendis, ad quinquennium proximum dumtaxat, auctoritate nostra cogas & compellas, ratamque earumdem personarum ecclesiasticarum, per personas ecclesiasticas deputatas, vel deputandas a te exigi facias, absque eo, quod laici se in exactione hujusmodi ullo modo intromittant, & ratam per ipsas personas ecclesiasticas pro tempore solutam communitati, & hominibus prædictis, seu illorum deputatis in præmissos, & non alios usus convertendam consignari cures.

Obstantium derogatio.

§.3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibusque, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumcumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & locorum regularium, ac Ordinum, & Congregationum, quorum fuerint, etiam juramento. confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, exemptionibus, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, prę̨sentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 20. Maii 1641. An. XVIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XX. Mai 1641. Pontificatus nostri Anno XVIII.

DCLXXV.

Collegium Urbanum regimini Card.S.Honuphrii, & S. Congregationis de Propaganda Fide additur,

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex communis Pater, & Pastor circa Collegiorum, aliorumque piorum locorum quorumlibet, præsertim in Urbe, ad orthodoxam Fidem Propagandam institutorum, & per S. R. E. Cardinales sibi sanguine conjunctos, propriis eorum opibus, liberali manu ampliatorum salubrem directinnem, & felicem progressum ex demandato sibi apostolicæ servitutis officio sollicite intentus ea, quæ desuper a se aliàs facta fuisse competit, novumque, aliis justis ita suadentibus caussis, alterat, & immutat, aliasque sui officii partes favorabiliter interpooit, prout personarum, rerum, & temporum qualitate debite considerata, & jam pro ipsorum Collegiorum, & piorum locorum feliciori, & salubriori directione, & profectu id conspicit in Domino salubriter expedire.

Refert fundationem Collegii Apostolici a Jo: Baptista Vives factam;

§.1. Aliàs siquidem cum Nobis innotuisset, quondam Magistrum Joannem Baptistam Vives dum viveret Presbyterum Valentin. citerioris Hispaniæ in utraque Signatura Nostra Referendarium Prælatum Domesticum, & continuum Commensalem nostrum, ac quondam Isabellæ Claræ Eugeniæ, Infantis Hispaniarum, ac Belgicarum Provinciarum Principissæ, & Gubernatricis, apud Nos, & Sedem Apostolicam Ordinarium Residentem legatum, Zelo Domus Dei, animarumque salutis, ac propagationis, & tuitionis Sanctæ Fidei Catholicæ, aliisque piis ratiooibus, & ex devotiooe ductum, Palatium quoddam in Platea SS. Trinitatis Montis Pincii nuncupata de Urbe sub Regione columua iotra sua notissima latera, Plateamque prædictam, ac vias publicas situm alias de li Ferratioi, ouncupatum, quod tunc inhabitabat una cum suis membris, aurea, cortili, stabulis, remissis, usibus, commoditatibus, adjacentiis, & pertioentiis universis, ad effectum in illo, illiusque situ Collegium, seu Seminarium unum Apostolicum Sacerdotum, seu Clericorum Secularium, qui saltem ad Sacros Ordines Majores, seu eorum ad minus aliquem infra annum, a die eorum in illo receptionis computandum, omuiuo promoveri deberent, & tenerentur ex omni gente, & natione desumendurum, & per Nos, Romanosque Pootifices Successores Nostros pro tempore existentes ad fidem prædictam in toto orbe terrarum, universisque illius partibus propagandam dilatam namque perpetuis futuris temporibus, & quousque electurum numerus completus, unus que Pastor, & unum Christi Ovile facta fuerint, duraturum, sub regulis, legibus, statutis, Constitutionibus, & Ordinationibus, Nobis, & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus benevisis adeundis, & stabiliendis erigendi, iustituendi, & creandi, & pro illius dote seu dotis nomine, Alumnorumque in dictum Collegium seu Seminarium, pro tempore introducendorum, substentationem viginti tria fidei, & trigiota S. Bonaventuræ, ac quinquaginta salis respective ouncupata loca montium non vacabilium de Urbe una cum omnibus, & singulis eorum fructibus, ac proventibus insimul ad quingeuta, & sexaginta quiuque, vel circiter scuta monetæ romanæ ad rationem decem Juliorum pro singulo scuto hujusmodi annuatim ascendentia, ac censum annuum aliorum centum quadraginta scutorum similium, aliàs ad commodum quondam Diomedis Musli Cremunen. pro sorte principali duorum millium scutorum similis monetæ super bonis quondam Joannis Francisci Ugolini per acta dilecti filii Rinaldi Buratti Curiæ Causarum Cameræ nostræ Apostolicæ Notarii sub die 29. Aprilis Anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti ad rationem septem pro centenario, & anno constitutum, ac postmodum ad favorem dicti Joannis Baptistæ per acta quondam Laurentii Bonincontri Curiæ Capitolii Notarii sub die 7. Augusti ejusdem Anni venditum, & cessum, ac ad præsens per dilectos filios natos, & hæredes dicti quondam Joannis Francisci solvi solitum, & denique reliqua omnia sua bona mobilia, & immobilia præsentia, & futura, pecuniarum summas, actiones, & credita, juraque, & alia quorumvis montium loca, quæ tempore sui obitus haberet, & possideret, seu ad eum quomodolibet spectare, & pertinere dignoscerentur in hac nostra Urbe, & illius districtu dumtaxat existentia, exceptis tamen tribus millibus scutis similis monetæ Romanæ ad eamdem rationem Juliorum decem pro singulo scuto hujusmodi ex promptioribus suis bonis mobilibus, deponendis per eum alias in animæ suæ refrigerium, Hospitali, & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Monte Serrato nuncupatæ etiam de Urbe donatione causa mortis sub die prima mensis Decembris anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti per acta dilecti filii Ja: Moret Clerici conjugati Alboren. Diœcesis in Archivio Romanæ Curiæ descripti Notarii legatis, necnon quoad vixerit, dicti Palatii cum prædictis membris, adjacentiis, & pertinentiis, usu, & habitatiooe, ac prædictorum, & aliorum quorumcumque locorum Montium, censusque prædicti, & reliquorum omnium tam mobilium, quam immobilium, præsentium, & futurorum quovis nomine nuncupatorum bonorum suorum usufructu, & de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum Testamento disponendi facultate sibi reservatis, expensisque funeralium, & exequiarum suarum, juxta

status

status sui exigentiam, & qualitatem demptis, Nobis, & Successoribus Nostris prædictis canonice intrantibus cum conditione tamen, quod si Collegium, seu Seminarium hujusmodi in dicto Palatio suisque membris, & pertinentiis cum applicatione dictorum bonorum pro illius dote, & Alumnorum in eo introducendorum sustentatione assignatorum vita nostra durante non fundavissemus, erexissemus, vel instituissemus, infrascripta donatio Successori Nostro immediate sub eadem conditione, & eo etiam in his deficiente, aliis Romanis Pontificibus Successoribus nostris, ut præfertur, canonice intrantibus in infinitum donec, & quousque intentio, & pia voluntas dicti Joannis Baptistæ modo præmisso suum plene sortita esset effectum, & non alias, nec alio modo facta esse censeretur, donatione perpetua spontanea, & irrevocabili, quæ dicitur fieri inter vivos, per acta quondam Crisantis Roscioli Fulginaten. similiter Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Notarii sub die prima mensis Junii millesimi sexcentesimi vigesimisexti dedisse, donasse, cessisse, & transtulisse; & pro observatione Statutorum Urbis circa insinuationes similium donationum faciendas editorum sponte, omnique meliori modo, quo poterat, & debebat, dilectum filium substitutum dilecti filii Commissarii Generalis Cameræ nostræ prædictæ ad specialiter, & expresse donationem, cessionem, & translationem prædictas coram quovis Ordinario, vel alio Romanæ Curiæ Judice, & coram quibus opus esset suo nomine insinuandas, significandas, & notificandas Procuratorem suum fecisse, & constituisse; Nobisque præterea, ut tenorem dicti Instrumenti, donationemque, cessionem, & translationem hujusmodi, pro illarum majori subsistentia, & perpetua roboris firmitate, de apostolicæ potestatis plenitudine confirmare, & approbare, omnesque tam formales, & substantiales, quam alios quosvis tam juris, quam facti defectus, si qui quomodolibet in eisdem intervenissent, de ejusdem potestatis plenitudine supplere, & tollere vellemus, & dignaremur instanter supplicavisse: postmodum vero dilectum filium Joannem Altovitum supradicti Commissarii Generalis tunc substitutum facultate procuratoria hujusmodi utentem coram tunc existente dictæ Curiæ Capitolii Primo Collaterali, Romanæque Curiæ Ordinario, & ad interponendum decreta in contractibus voluntariæ jurisdictionis a Nobis specialiter deputato judice, donationem, cessionem, & translationem prædictas originaliter exhibuisse, insinuasse, & significavisse, illasque ad plenam, & veram dicti judicis notitiam juxta statutorum prædictorum formam, & tenorem deduxisse, & tandem illas per dictum judicem pro Tribunali sedentem, causa cognita, admitti, & pro insinuatis haberi, & in actis publicis dilecti filii Joannis Baptistæ de Octavianis dictæ Curiæ Capitolinæ Notarii juxta formam dictorum statutorum registrari, auctoritatemque, & Decretum per eumdem judicem desuper quomodolibet necessaria, & opportuna interponi sub die sexta ejusdem mensis Junii obtinuisse.

A se postea erectum, & ha- num appellandū, privilegiisque auctum;

§.2. Nos, qui catholicæ religionis incrementum, hæresumque extirpationem non solum sinceris desideramus affectibus, sed ad universarum gentium, & animarum salutem procurandam, ac fidem catholicam in universum mundum propagandam, tuendamque debitores Nos esse fatemur, ac propterea laudabili desiderio, & piæ voluntati dicti Joannis Baptistæ, conditionique in dicto donationis instrumento appositæ satisfacere cupientes; Motu proprio, & ex certa scientia, & deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, donationem, cessionem, & translationem hujusmodi, omniaque in Instrumento desuper, ut præfertur, celebrato contenta, acceptata, illaque rata, & grata habentes eadem apostolica auctoritate perpetuo approbavimus, & confirmavimus, illisque perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjecimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, aliosque dictos substantiales defectus, si qui desuper forsan intervenerint, supplevimus, & insuper ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, & Fidei Catholicæ incrementum unum in Palatio prædicto, suisque membris, & adjacentiis Collegium Pontificium, seu Seminarium Apostolicum sub invocatione Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, Pastorale Urbanum nuncupatum pro propaganda, ac tuenda catholica, & apostolica fide, in quo Sacerdotes, seu Clerici dumtaxat seculares, qui ad Sacros, & majores Ordines, seu saltem ad eorum aliquem infra annum ad minus a die eorum in hujusmodi Collegio, seu Seminario receptionis computandum promoveri omnino debeant, & teneantur ex omni natione, & gente recipi, ac bonis moribus, veraque pietate, & sacra doctrina, & aliis catholico homine dignis virtutibus ad effectum dictam fidem Catholicam apostolicamque in partibus infidelium, in quibus aliqui orthodoxæ fidei cultores remanserunt tuendi, & conservandi, necnon eamdem fidem in eisdemmet partibus, quando recepta fuerit, totoque Terrarum Orbe propagandam, & dilatandam instrui, & pro dictæ fidei tuitione, incremento, dilatione, propagatione, vitæ periculum, & Martyrium si opus fuerit subire omnino debeant perpetuis futuris temporibus, & quousque electorum numerus completus, unusque Pastor, & unum Christi Ovile facta fuerint duraturum, auctoritate prædicta etiam perpetuo ereximus, & instituimus, illique sic erecto, & instituto pro ejus dote, & omnimoda illius œconomorum, Rectoris, Magistrorum, Præpositorum, & Alumnorum, in eo pro tempore existentium, sustentatione

viginti

viginti tria prædicta fidei, & alia triginta S. Bonaventuræ, ac quinquaginta salis respective nuncupata loca montium prædicta una cum eorum fructibus, & proventibus ad quingenta sexaginta quinque vel circiter, scuta monetæ romanæ ad rationem prædictam pro singulo scuto hujusmodi annuatim, ut acceperamus, ascendentia, & præterea censum annuum dictorum centum quadraginta scutorum similium, ut præfertur, sortis principalis duorum millium scutorum monetæ similis super bonis dicti quondam Joannis Francisci Ugolini ad rationem septem pro centenario, & anno dicto Joanni Baptistæ debitum, & per dilectos filios natos, & hæredes dicti quondam Joannis Francisci nunc solvi solitum, & deinde reliqua omnia dicti Joannis Baptistæ bona mobilia, & immobilia præsentia, & futura, juraque, actiones, & pecuniarum summas, ac credita dictorum, & quorumvis aliorum montium loca, & jura, quæ dictus Joannes Baptista tempore sui obitus haberet, & possideret, seu ad eum quomodolibet spectare dignoscerentur in Urbe prædicta, & in illius districtu dumtaxat consistentia, tribus tamen millibus scutis monetæ romanæ prædicto hospitali, & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Monte Serrato de Urbe ex promptioribus suis mobilibus bonis desumendis, ut præfertur, per eum in refrigerium animæ suæ donatis, demptis, & exceptis, necnon Palatii prædicti cum omnibus suis membris, & pertinentiis quoad dictus Joannes Baptista vixisset usu, & habitatione dictorumque, & aliorum quorumcumque locorum montium, ac census prædictorum, reliquorumque omnium, & aliorum tam mobilium, quam immobilium, tum præsentium, & futurorum quovis nomine nuncupatorum bonorum suorum usufructu, ac de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum Testamento disponendi facultate sibi reservatis, expensisque funeralium, & exequiarum suarum demptis similiter perpetuo assignavimus, concessimus, appropriavimus, & incorporavimus.

Eiusque regimen tribus Canonicis Patriarchalium Ecclesiarum commissum.

§.3. Et ut dicti Collegii, seu Seminarii de propaganda, ac tuenda fide conservationi, bonoque regimini, & gubernio consuleremus tres Canonicos actu Præbendatos, ex tribus Ecclesiis Patriarchalibus Urbis, illarumque Capitulis videlicet ex Lateranen. unum, ex dicti Principis Apostolorum alterum, ac ex Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatæ reliquum singulos nempe ex singulis Patriarchalibus Ecclesiis hujusmodi quoad personaliter tantum apud easdem Patriarchales Ecclesias residerent, & in illis actu Præbendati forent, & non amplius nostro, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium arbitrio eligendos, & declarandos, prout tunc Julium Zampolinum Lateranen., ac Magistrum Marcum Aurelium Maraldum Cæsenaten. in utraque Signatura nostra Referendarium Principis Apostolorum, & Pompejum de Angelis Romanum San^tæ Mariæ Majoris prædictæ respective Patriarchalium Ecclesiarum Canonicos actu Præbendatos, & personaliter apud eas residentes in Administratores, & Directores, Gubernatores, & Œconomos dicti Collegii, seu Seminarii, ita quod iis, seu eorum altero, vel duobus, ex eisdem deficientibus, seu Canonicatus, & Præbendas in dictis Patriarchalibus Ecclesiis ex quavis causa obtinere cessantibus, statim alius ex Capitulo dictæ Patriarchalis Ecclesiæ, in qua ultimo loco defuisset Canonicus, etiam actu Præbendatus, in ejus locum sub eadem limitatione per Nos, & Successores nostros dumtaxat subrogaretur pariter perpetuo constituimus, & deputavimus, illisque sic constitutis, & deputatis, Rectores, & Præceptores, Magistros, Officiales, Œconomos, & alias personas in dicto Collegio, seu Seminario deputandi, illosque amovendi, & alios in eorum loco sufficiendi, ac Statuta, Ordinationes, & Decreta quæcumque licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus minime adversantia, vel repugnantia faciendi, & edendi, ac illa quoties pro rerum, & temporum qualitate, seu aliis expedire viderentur immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac alia ex integro condendi, itaut ubi edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita forent, eo ipso apostolica auctoritate confirmata, & approbata viderentur, plenam, & liberam facultatem, & omnimodam auctoritatem perpetuo concessimus, & elargiti fuimus: ac insuper Collegium, seu Seminarium hujusmodi, illiusque Œconomos, Rectores, Magistros, Præceptores, & Alumnos pro tempore existentes, illorumque domesticos Officiales, ac Ministros, ac illius Collegii, seu Seminarii bona mobilia, & immobilia præsentia, & futura cujuscumque qualitatis, & quantitatis existentia ab omni jurisdictione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existentium dilectorum filiorum Vicarii, Senatoris, Conservatorum, & Reformatorum, ac Rectoris Studii Generalis dictæ Urbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumque Judicum, & Officialium quorumcumque tam in ipsa Urbe, quam extra eam, & ubicumque constitutorum eximimus, & liberavimus, ipsisque Collegio, seu Seminario, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magistris, Œconomis, Officialibus, Ministris, & personis, ut quibuscumque privilegiis, & exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis, & indultis, quibus Studium generale dictæ Urbis, & aliæ Germaniæ, Angliæ, & Græcæ Nationum, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magistri, Œconomi, Officiales, Ministri, & personæ quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum non solum ad eorum instar, sed æque principaliter,

& pa-

Datumq; Card. Protectorem, ac Judicem.

& pariformiter in omnibus, & per omnia uti, potiri, & gaudere valeant, pariter perpetuo de speciali gratia indulsimus, eidemque Collegio, dilectum filium Nostrum Martium S. Angeli in Foro Piscium S.R.E. Diaconum Cardinalem Ginnettum nuncupatum per Chirographum nostrum in Protectorem, & Judicem, etiam privative quoad quoscumque alios deputavimus successiveque ad protegendum, & majori cum decore hoc tam pium, tamque commendabile ejusdem Joannis Batistæ Vives opus conservandum, & perpetuandum, ut que ipsum Palatium crebrius frequentaretur, & fideles quilibet hoc medio magnam ipsius Joanni Baptistæ Vives pietatem admirantes, ad prædictum augendum, ac alia pietatis, & charitatis opera, etiam ex integro fundanda jugiter allicerentur in idem Palatium Congregationem S. R. E. Cardinalium de Propaganda Fide, qui illic eorum Congregationem facerent introduximus, & instituimus, eisque Collegium, seu Seminarium prædictum plurimum in Domino commendavimus. Hincque, ac etiam ex singulari, & admodum propenso ejus erga Deum, ac pietatis, & misericordiæ opera affectum permotus dilectus filius noster Antonius tunc tituli Sancti Honuphrii, ad præsens vero S. Petri ad Vincula S. R. E. Presbyter Cardinalis Sancti Honuphrii nuncupatus noster secundum carnem frater germanus, major Pœnitentiarius, & Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, unusque ex Cardinalibus Congregationis prædictæ in dicto Palatio, seu juxta illud Ecclesiam proprio ære construi curavit, & postea Nos ejus votis benigne annuentes in prædicto Collegio, seu Seminario primo unum pro duodecim ex Georgianorum, & Persarum, ac Nestorianorum, necnon Jacobitarum, & Melchitarum, ac Cophatarum, duobus videlicet pro qualibet oriundis, & subsequutive alium Alumnatum aliorum tresdecim Alumnorum, septem pro Æthiopicæ, seu Abissinæ, sex vero pro Bragmanæ Indiarum Orientalium Nationum respective Alumnis sub certis modo, & forma tunc expressis respective ereximus, & instituimus, eisque sic erectis, & institutis pro Alumnorum hujusmodi substentatione, aliorumque onerum supportatione redditus annuos ad annua scuta mille, & septingenta monetæ Romanæ ascendentes in tot locis montium non vacabilium de Urbe per dictum Antonium Cardinalem assignatos, & tunc expressos, etiam perpetuo concessimus, & assignavimus, jus nominandi Alumnos prædictos eidem Antonio Cardinali, & certis aliis personis tunc expressis similiter perpetuo reservavimus, & præterea dicto Antonio Cardinali quoad vixerit, & eo defuncto prædictæ Congregationi de Propaganda Fide amborum Alumnatuum prædictorum omnimodam protectionem, regimen, ac gubernationem, plenam superintendentiam, ac facultatem deputandi Rectorem dictorum duorum Alumnatuum per ejus patentes Rectorem pro tempore dicti Collegii, cujus curæ immediate subessent eorum Alumni, quique prædictæ Congregationi, seu ab eo deputando singulo trimestri rationem dati, & recepti reddere deberet, eadem auctoritate perpetuo itidem tribuimus, & impertiti fuimus, aliaque decrevimus, & statuimus, prout in diversis nostris super Collegii, seu Seminarii, & Alumnatuum hujusmodi erectionibus sub Kal. Augusti Anno Quarto, & decimo Kalend. Aprilis Anno Decimoquinto, ac sextodecimo Kalend. Julii Anno Decimosexto Pontificatus nostri respective expeditis Literis, ac etiam in Chirographo prædicto, cujus, & quarum totos, & integros tenores, etiam veriores, ac datæ, præsentibus haberi volumus pro expressis uberius respective continetur.

Erectamque in eo Ecclesiam a Card. S. Honuphrii, institutoque nonnulles Alumnatus.

Causas quoque recenset ejusdẽ Collegii gubernium immutãdi.

§. 4. Cum autem, sicut accepimus idem Collegium, seu Seminarium de Propaganda Fide ad præsens sumptibus, & impensa ejusdem Antonii Cardinalis in pietatis, & misericordiæ operum exercitio continuatis coempta tota domorum eidem Collegio undecumque contiguarum, seu cohærentium Insula, dirutaque earum majori parte, in qua Collegium valde ab eodem Antonio Cardinali ampliatur, & magis insigne efficitur splendida, & insigni, copiosiorique scholarium nuncupato capaci a fundamentis constructione reddatur, ideoque Collegium, seu Seminarium hujusmodi, quod antea paucis constabat Alumnis ob auctum illorum ex erectione duorum Alumnatuum prædictorum intuitu ejusdem Antonii Cardinalis per Nos, ut prafertur, facta, numerum majori administratione, & gubernio, & aliqua speciali circa qualitatem illius Rectoris pro tempore deputandi provisione, & declaratione opus habeat, utilitatique, & fructuoso regimini Collegii, seu Seminarii hujusmodi plurimum conducere existimetur, ut idem Collegium, sive Seminarium, eique successive additi Alumnatus prædicti ab eorum Collegiales, & Alumnos, ac Ministros in pace, & quiete confovendum ab uno tantum Protectore, Rectore, Gubernatore, & Superintendente regantur, gubernentur, & administrentur, idque a nemine melius, & fructuosius præstari posse noscatur, quam a dicto Antonio Cardinale, ac Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide hujusmodi.

Removet prafatos tres Canonicos.

§. 5. Motu itaque, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus ex voto dilecti filii nostri Julii tituli Sanctæ Susannæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Sacchetti nuncupati, ac dilectorum etiam filiorum quorumdam Romanæ Curiæ Prælatorum a Nobis desuper ad id specialiter deputatorum omnimodam, atque totalem facultatem, & auctoritatem per priores nostras Literas tribus Canonicis Ecclesiarum Patriarchalium prædictarum circa administrationem, directio-

rectionem, & gubernium Collegii, ſeu Seminarii prædicti, illiuſque Rectoris, Præceptorum, Magiſtrorum, Officialium, œconomorum, & aliorum Officialium, & circa confectionem Statutorum, & Ordinationum hujuſmodi, ac aliàs quomodolibet per Nos, ut præfertur, conceſſas a modernis, & ad præſens deputatis Canonicis dictarum Eccleſiarum Patriarchalium per præſentes perpetuo avocamus, & auferimus, ac Canonicos Patriarchalium Eccleſiarum hujuſmodi in Adminiſtratores, Directores, Gubernatores, & œconomos Collegii, ſeu Seminarii, illiuſque Rectoris, Præceptorum, Magiſtrorum, Officialium, œconomorum, & aliarum perſonarum, ac bonorum, & jurium hujuſmodi de cætero aſſumi prohibemus, facultatemque, & auctoritatem eligendi, deputandi, ac amovendi Alumnos, ſeu Collegiales Collegii, ſeu Seminarii prædicti cum bonis dicti Joannis Baptiſtæ Vives, ut præfertur, fundatos, & dotatos, Nobis, & Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus, etiam perpetuo reſervamus.

Totumque gubernium S. C. de Propaganda Fide tribuit.

§.6. Ipſius vero Collegii, ſeu Seminarii, illiuſque Rectoris, Præceptorum, Magiſtrorum, Officialium, Œconomorum, Alumnorum, ſeu Collegialium, & aliarum perſonarum, ac bonorum, redditLuum, jurium, & actionum quarumcumque omnimodam adminiſtrationem, directionem, ſuperintendentiam, regimen, & gubernium dicto Antonio Cardinali, quoad vixerit per eum communicato, ut ſuperamus, conſilio cum Congregatione dictorum Cardinalium ita tamen, ut negotiis gravioribus gubernium, & regimen Collegii, ſeu Seminarii hujuſmodi concernentibus dictus Antonius Cardinalis, & ipſa Congregatio reſpective Nos, & Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes conſulere, illorumque participes facere omnino teneantur, dicta auctoritate privative tam quoad Canonicos prædictos, quam quoſcumque alios, etiam quavis dignitate, ſive eccleſiaſtica, ſive laicali prædictos, & quantumlibet privilegiatos, & ſpeciali nota dignos, qui illos, & illa quomodolibet prætendere poſſent, pariter perpetuo committimus, & demandamus, juriſdictionemque, & illius plenum exercitium quoad cauſas, & lites prædicti Collegii in eodem Chirographo contentas Judici prædictæ Congregationis de Progaganda fide, vel alteri eidem Antonio Cardinali donec vixerit, beneviſo per ipſum Cardinalem deputando cum facultatibus in eodē Chirographo expreſſis committimus, ipſique Antonio Cardinali quoadvixerit quæcumque ſtatuta, & Ordinationes proſperum regimen, & gubernium Collegii, ſeu Seminarii, illiuſque miniſtrorum, & perſonarum, ac bonorum hujuſmodi quomodolibet concernentia, ac alias utilia, & neceſſaria cum ſimili conſilio Congregationis Cardinalium prædictorum condendi, & promulgandi, & tam Antonio Cardinali prædicto quoad vixerit cum ſimili ut ſperamus, Communicatione, quam eo defuncto, ipſi Congregationi Cardinalium quoties rerum, & temporum qualitas exiget, ac alias expediens videbitur ſtatuta, & Ordinationes hujuſmodi alterandi, corrigendi, modificandi, & declarandi, ſeu alia ex integro condendi, quæ ſtatim, atque condita, & edita fuerint omnes, quos quomodolibet concernent, ad eorum obſervationem ſub pœnis in eis infligendis, arctent, & adſtringant, non ſecus, acſi apoſtolica auctoritate, motuque pari ſpecifice confirmata fuiſſent, plenam, & liberam auctoritatem, & facultatem concedimus, & impertimur. Inſuper in Rectorem Collegii, ſeu Seminarii hujuſmodi, ſemper unum Presbyterum ſecularem, vel regularem judicio dicti Antonii Cardinalis, ut præfertur, donec vixerit, & dicto Antonio Cardinali defuncto Congregationis Cardinalium hujuſmodi habilem, & idoneum, qui ad libitum, & nutum liberum Antonii Cardinalis, & reſpective Congregationis hujuſmodi duret, & amoveri poſſit, deputandum, & eligendum fore, & eſſe in Alumnos vero ſeu Collegiales tam Collegii, ſeu ſeminarii, quam utriuſque Alumnatuum hujuſmodi perſonas talis ætatis, ut intra annum a die eorum receptionis ad Sacros Ordines, ſeu ſaltem eorum aliquem promoveri poſſint, niſi alias dicto Antonio Cardinali, & Congregationi prædictæ ac aliis jus nominandi & eligendi habentibus, ut ſupra expediens videbitur circumſcripta quoad hoc Literarum Apoſtolicarum erectionis Alumnatuum hujuſmodi diſpoſitione, etiam eligi, & nominari debere ſtatuimus, & ordinamus.

Clauſulas apponit.

§.7. Decernentes præſentes ullo unquam tempore, ſive ex eo, quod cauſæ, propter quas illæ emanarunt verificatæ, & approbatæ, ac Canonici prædicti, & alii quicumque in premiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes ad id vocati non fuerint, ſive aliàs ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in jus vel controverſiam revocari, ſeu ad terminos juris reduci non poſſe, ſicque in præmiſſis per quoſcūque judices, ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiā Cauſarū Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliàs judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8, Quo circa venerabilibus fratribus noſtris Oſtien., & Portuen. Epiſcopis ac dilecto filio Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per apoſtolica ſcripta motu pari mandamus quatenus

ipſi

Executores deputat.

ipsi, nec duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Antonii, ac aliorum Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque circa illa efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes ac in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, ac Antonium, & alios Cardinales Congregationis hujusmodi illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas, legitimis super his habendis Processibus, & iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam, hoc si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.

Derogat contrariis.

§.9. Non obstantibus priori nostra voluntate, prioribusque literis nostris prædictis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in singulis literis, ac Chirographo nostro prædictis voluimus non obstare, contrariis quibuscumque.

Seu si quibus communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de Indulto hujusmodi mentionem.

Clausulas pœnales addit.

§.10. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ avocationis, ablationis, prohibitionis, reservationis, communicationis, mandati, concessionis, impartitionis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum die 16. Maii 1641. An. XVIII.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimoprimo, 17. Kalen. Junii, Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

DCLXXVI.

Constitutio super præservatione Jurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum a quibuscumque præjudicialibus.

Consonat prohibitio Sixti V. Alienationis Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, & Bonorum, etiam jurisdictionalium ad eandem Apostol. Sedem spectantium, de Bull. Rom. Tom. VI, Par. II. quæ nuper in Rubric. Const. DLI. Urbani VIII. ut supr. fol. 117.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex in Sacra Beati Petri Sede a Domino constitutus non valens curam suæ pastoralis solicitudinis in gregem sibi commissum personaliter in qualibet mundi parte exercere, Legatos etiam de Latere, ac Nuntios, aliosque Ministros Apostolicos ad diversas Provincias, & Regna, prout cognoscit in Domino expedire, consuevit destinare, ut vices suas supplendo, facultatesque sibi concessas non excedendo, errata corrigant, & commissis sibi populis justitiæ, & gratiæ incrementa ministrent, juraque Sedis Apostolicæ, jurisdictionem, immunitatem, & libertatem ecclesiasticam tueantur, ac de gravioribus Summum Pontificem reddant certiorem, remediaque, ac mandata opportuna apostolica expectent, & exequantur.

Causa hujus Const.

§.1. Cum autem, ut accepimus, a nonnullis prætendatur, quosdam ex legatis sive natis, sive aliis etiam de Latere, etiam S. R. E. Cardinalibus, Nunciisque, ac aliis ministris Apostolicis quovis nomine nuncupatis, ac etiam ex Rectoribus, seu Gubernatoribus Provinciarum, Civitatum, & locorū ditionis temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per Nos missis, cæterisque officialibus Cameræ Apostolicæ, & Romanæ Curiæ, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam Vicecancellariis, & Camerariis, ac feudatariis quantumlibet qualificatis, & individua mentione dignis, ac etiam Baronibus, aliisque jurisdictionem quomodolibet exercentibus aliqua eidem Sedi, aut jurisdictioni, vel immunitati, seu libertati Ecclesiasticæ, Ecclesiisque, & personis Ecclesiasticis præjudicialia præter, aut contra facultates sibi concessas nedum fecisse, declarasse, concessisse, ac decrevisse, seu alias quomodolibet disposuisse, sed etiam prædicta, & quæcumque alia eis præjudicialia a quibuscumque aliis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet qualificatis, sufficientem facultatem apostolicam non habentibus, commissa, & facta, oneraque super Ecclesiis, ac earum bonis, & juribus, earumque fructibus absque sufficienti facultate apostolica imposita, transgressionesque, & excessus contra sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum universalium dispositionem, contra Sedem Apostolicam, jurisdictionem, immunitatem, aut libertatem Ecclesiasticam, seu Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, earumque bona, & jura quæcumque quomodolibet commissos, & perpetratos tolerasse, & approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem præjudicialibus consensisse, immo ex ipsorum Lega-

Legatorum, Nuntiorum, & Ministrorum apostolicorum, ac etiam respective Gubernatorum, Provinciarum, Civitatum, & locorum ditionis temporalis ejusdem Sedis Apostolicæ, & quorumcumque aliorum ipsius officialium, seu cujuslibet eorum asserta scientia, taciturnitate, tolerantia, vel consensu, ipsorumque præjudicialium observantia inferri posse tam in prædictis, quam in cæteris quibuscumque præjudicialibus, nedum ad præsumptam scientiam, tolerantiam, consensum, seu approbationem Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & cujuslibet eorum, ac nostrum, sed etiam ad præsumendum super eis, & eorum quolibet fuisse concessum beneplacitum apostolicum, etiamsi Prædecessores nostri prædicti multoties ea via, qua licebat, se opposuerint, & Nos quoque contradixerimus, concessiones quoque, & gratias quascumque, ac investituras etiam Civitatum, Terrarum, Castrorum, aliorumque locorum, & bonorum etiam jurisdictionalium, ad eandem Apostolicam Sedem, seu ad Ecclesias inferiores respective spectantium, ab aliquibus ex eisdem Prædecessoribus nostris, vel a Prælatis, seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum prædictarum quomodocumque, & quandocumque ad certas vitas, aut generationes, seu lineas, vel ad certum tempus jam elapsum, illorumque, ac illarum pignorationes, seu in pignus dationes, ac alienationes cum pacto redimendi factas ex prædicta asserta scientia, & tolerantia Sedis Apostolicæ nedum longius protrahi, sed etiam perpetuari, aliaque indebita, & injusta prætendantur in prædictæ Sedis Apostolicæ, jurisdictionis, immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ, aliarumque Ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum maximum detrimentum, & populorum grave scandalum, animarumque ipsorum prætendentium, transgredientium vel occupantium, seu usurpantium, ac in censuris eo ipso incursis insordescentium perniciem;

Præservationi Jurium Sedis Apost. consulit hic Pont.

§. 2. Propterea Nos, sicut ex onere pastorali tenemur, indemnitati Sedis Apostolicæ, jurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis ecclesiasticæ, Ecclesiarumque, & personarum ecclesiasticarum, quantum Nobis ex alto conceditur, prout iidem Prædecessores nostri omnibus præjudiciis obviam ire exoptarunt, consulere volentes, attendentesque, quod prædicti Legati, Nuntii, & Cardinales, etiam Vicecancellarii, & Camerarii, aliique omnes, & singuli prædicti sine speciali Papæ mandato nulla eidem Sedi, & Ecclesiis, aliisque prædictis præjudicialia unquam tacite, vel expresse facere potuerunt, vel possunt, quodque ob locorum distantiam, ac negotiorum molem, quibus Sedes Apostolica premitur, hujusmodi præjudicia non fuerunt Summo Pontifici pro tempore existenti, minusque ejus Successoribus nota saltem cum suis circumstantiis præjudicium inferentibus, & aggravantibus, quodque confirmationes, approbationes, & beneplacita Papæ, præsertim ubi actum fuit, vel agitur de præjudicio perpetuo, semper consueverunt in scriptis expediri, præcipue per Literas Apostolicas sive sub plumbo, sive in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, prout etiam Pontificatu nostro expediuntur, ideo si in registris apostolicis, quæ fideliter custodiuntur, & asservantur, prædictorum quorumcumque præjudicialium approbationes, confirmationes, vel beneplacita Apostolica non reperiuntur descripta, seu registrata, vel non exhibeantur originalia Literarum Apostolicarum, aut transumpta juxta formam Constitutionis nostræ desuper alias editæ sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub die 1. Junii 1635. Pontificatus nostri Anno duodecimo, inde deducitur, neque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, nec Nos umquam præjudicialia approbasse, vel confirmasse, beneplacitaque apostolica super præjudicialibus numquam concessisse: ac denique quod Romani Pontifices Prædecessores nostri pro damnandis, impugnandis, & evitandis omnibus, & singulis præjudicialibus, illisque, & prætensis tolerantiis, conniventiis, consensibus, possessionibus, intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, observantiis, & præscriptionibus quibuscumque impediendis, interrumpendis, penitusque avertendis, & excludendis hactenus consueverunt quolibet anno in die Cœnæ Domini facere processus generales, Bullas ejusdem Cœnæ nuncupatas, & publicare contra quoscumque, prout etiam Nos fecimus, & publicavimus, idcirco etiam prædicta omnia, & singula eidem Sedi Apostolicæ, jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati ecclesiasticæ, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, earumve bonis, juribusque, ac fructibus quomodolibet præjudicialia, per prædictos, & alios quoscumque contra, aut præter facultates, eis concessas, facta; eo ipso fuerint, & sint nulla, & invalida.

Omnia præjudicialia Sedi Apostolicæ Romanæque Ecclesiæ &c. decreta, statuta, indulta &c. irritat, & revocat.

§. 3. Nihilominus abundantiori cautela uti volentes, omniumque, & singulorum quomodolibet præjudicialium quandocumque, & a quibusvis, ac ex quacumque causa, & quovis modo factorum, & gestorum, ac inde sequutorum quorumcumque, cæterorumque hic de necessitate forsan exprimendorum, ac inferendorum tenores, etiam majores, & veriores pro plene expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, motique ex prædictis causis, aut illarum altera, seu ex aliis justis, & rationabilibus animum nostrum moventibus, ad quarum omnium, & singularum verificat onem Ecclesiam Romanam præfatam, Sedemque Apostolicam, & quemcumque alium nunquam teneri volumus, ultra quascumque revocationes hactenus factas, hac nostra perpetua constitutione declaramus, omnia, & sin-

& singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias, & pacta, etiam nomine ejusdem Sedis Apostolicæ inita, venditionesque, & alienationes officiorum, aliorumque ejusdem Sedis jurium, & quascumque alias dispositiones quocumque nomine nuncupata, eidem Sedi Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ, seu quibuscumque aliis Ecclesiis, & locis piis, ac personis Ecclesiasticis, seu jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ quomodolibet præjudicialia, & præjudiciales a quibuscumque Legatis etiam de latere, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Nunciis, seu aliis Ministris Apostolicis, Cameræque Apostolicæ, & Romanæ Curiæ Officialibus, & ministris etiam Cardinalibus, Vice-Cancellariis, & Camerariis, & respective Rectoribus, & Gubernatoribus, Feudatariis, Baronibus, & cæteris jurisdictionem quomodolibet exercentibus, aliisque præfatis quantumlibet qualificatis, & individua expressione dignis, quandocumque, qualitercumque, & quomodocumque præter, vel contra facultates eis concessas facta, & gesta, factasque, & gestas, aut alias quovis modo ab eis emanata, & emanatas hactenus, etiam per modum edicti, declarationis, constitutionis, pragmaticæ, reformationis, ac prohibitionis, etiam generalis, ac alias quomodolibet, etiam cum clausula, salvo, vel reservato Sedis Apostolicæ beneplacito, vel fortasse etiam cum intentione data, vel promissione etiam facta illud ab hac Sancta Sede, seu a Romano Pontifice, aut etiam a Nobis impetrandi, etiam cum prætensa illarum executione, & observantia quantumlibet longissima, ac aliis inde quomodolibet sequutis quibuscumq; etiam in favorem, seu intuitu, vel contemplatione Imperatoris, Regum, aliorumque Principum etiam Supremorum, etiam laicorum, nationum, Rerumpublicarum, Provinciarum, Regnorum, aliorumque Dominorum, & Officialium quorumcumque, vel Civitatum, Universitatum, etiam Studiorum generalium, Collegiorum, Religionumve, seu Militiarum, Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcumque, Ordinum, vel aliorum quorumvis etiam speciali nota dignorum ex quacumque ratione, occasione, vel causa quantumlibet pia, publica, favorabili, seu privilegiata, etiam transactionis, vel concordiæ, seu belli, treguæ, vel pacis etiam universalis, & ad majus malum, vel scandalum, ut asseritur, evitandum, seu ex aliis rationibus, & causis, etiam omnibus insimul concurrentibus, ac alias individuam expressionem requirentibus.

Tolerantiæ, taciturnitates, & conniventiæ &c.

§.4. Necnon quascumque tolerantias, taciturnitates, conniventias, permissiones, consensus, declarationes, executiones, approbationes, vel confirmationes expresse, vel tacite dicto, vel facto, ac alias quomodolibet præter, aut contra suas facultates ab iisdem Legatis, Nunciis, ac Ministris Apostolicis, & respective Rectoribus, & Gubernatoribus, ut asseritur, factas, seu habitas, vel respective præstitas, in quibuscumque actibus eidem Sedi Apostolicæ, seu jurisdictioni, immunitati, seu libertati ecclesiasticæ, aut Ecclesiis, vel personis ecclesiasticis quomodolibet præjudicialibus per quoscumque alios, etiam laicos quantumlibet, ut præmittitur, qualificatos, quavis auctoritate, & potestate, etiam Imperiali, Regali, aut quacumque alia individuam expressionem requirente fungentes, etiam sub prætextu quod Bullæ, seu Constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ, aut contrario usu etiã decennali, & quamtumlibet longissimo, ut prætenditur abrogatæ, vel sub prætextu Constitutionum, Literarum, seu dispositionum Apostolicarum, de quarum existentia per canonica documenta Apostolica non constat, seu revocatæ, aut non sufficientes sunt, ac etiam in permittendo editionem, seu impressionem librorum eidem Sedi, aliisque præjudicialium, seu continentium opiniones damnatas, vel in admittendo, seu exequendo minus legitimam earundem Constitutionum, literarum, seu dispositionum Apostolicarum interpretationem, vel faciendo, aut approbando ea, quibus disciplina ecclesiastica quomodolibet enervatur, seu læditur, factis, & gestis.

Impedimenta Legatis Apost. illata &c.

§.5. Molestias quoque, vexationes, & impedimenta quæcumque Legatis, Nunciis, vel aliis Ministris, & Officialibus Apostolicis, per quoscumque etiam laicos cujusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, dignitatis Ecclesiasticæ, ut præmittitur, existentes quomodolibet factas, & illatas, factaque, & illata, tam eorum ingressum in provincias sibi commissas denegando, quam ne suas facultates libere in illis exercercerent, impediendo, ac eos ab illis expellendo.

Contributiones, Gabellæ, &c.

§.6. Necnon quascumque contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas, vel alias fructuum partes, aliaque onera, & gravamina quæcumque super Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, præsertim vacantibus, vel personis ecclesiasticis, earumque, vel eorum bonis, seu fructibus etiam prætextu, vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi, ac alias quomodolibet per laicos præfatos, & quoscumque alios quomodolibet qualificatos absque sufficienti facultate Apostolica impositas, & imposita, exactasque, & exacta, etiam a sponte dantibus, vel contribuentibus.

Molestationes personarum ecclesiasticarum.

§.7. Item molestationes, perturbationes, acta, carcerationes, executiones, & attentata quæcumque a quibusvis laicis, etiam Officialibus quomodolibet qualificatis, contra personas ecclesiasticas, vel Ecclesias, seu cujuslibet earum bona, sive jura vel fructus, tam civiliter, quam criminaliter, & alias quomodolibet quantumcumque hactenus facta, gesta, & commissa, etiam de facto executioni, etiam pluri-

pluribus vicibus, & quocumque temporis curſu, etiam longævo, & longiſſimo, ac, ut prætenditur, immemorabili, etiam cum fama aſſerti privilegii quomodolibet demandata.

Tranſgreſſiones ſac. Can.

§.8. Necnon quaſcumque tranſgreſſiones, & exceſſus contra diſpoſitiones ſacrorum Canonum, Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Conciliorum univerſalium, præſertim Lateranen. ſub Alexaudro III. Generalis nuncupati ſub Inuocentio III, Vienneuſis ſub Clemente V. Lateranen. ultimi ſub Leone X. fel. rec. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ſeu Tridentini a quibuſcumque, & ex quibuſvis cauſis quomodolibet, & quandocumque factas in præjudicium Sedis Apoſtolicæ, ſive juriſdictiouis, vel immuuitatis, aut libertatis eccleſiaſticæ, ſeu Eccleſiarum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, earumque bonorum, ſeu fructuum etiam effectum, ut præmittitur, de facto ſortitos, & inde ſequuta quæcumque.

Prorogationes gratiarum.

§.9. Item quaſcumque prorogationes, extenſiones, protractiones, ſeu perpetuationes, quarumcumque gratiarum, conceſſionum, & inveſtiturarum a Sede Apoſtolica, vel a Prælatis, ſeu Rectoribus Eccleſiarum inferiorum quandocumque hactenus factarum ad certas vitas, aut generationes, ſeu lineas jam fiuitas, vel extinctas, ſive ad certum tempus jam elapſum, pignorationumque, & venditionum cum pacto redimendi, permntationum, aliorumque contractuum, ac diſpoſitionum quarumcumque de Civitatibus, Terris, Dominiis, Caſtris, locis, & bonis etiam feudalibus, vel juriſdictionalibus, ac juribus ejuſdem Sedis Apoſtolicæ, vel Eccleſiarum inferiorum, a quibuſcumque quantumlibet, ut præmittitur, qnalificatis quandocumque prætenſa, etiam exequutioni demandatas, & quocumque temporis curſu coutinuatas. Necnon reliqua omnia quotcumque, & qualiacumque eidem Sedi Apoſtolicæ, vel jnriſdictioni, immunitati, aut libertati Eccleſiaſticæ, ſen Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis, earumve juribus, bonis, & fructibus quomodolibet præjudicialia, per quoſcumque ſufficienti, & legitima facultate apoſtolica non munitos, facta, geſta, & reſpective perpetrata cum omnibus, & ſingulis quomodocumque inde ſecutis, & quocumque tempore longiſſimo executioni demandatis, ac obſervatis, fuiſſe, & eſſe ipſo jure nullas, & iovalidas, ac nulla, & invalida, nulliuſque roboris, vel momenti, indebitaque, & illicita, ac de facto præſumptas, & præſumpta, nullumque præjudicium eiſdem iutuliſſe, nec inferre unquam poſſe, illaſque, & illa ex quocumque temporis curſu, nec etiam ex quacumqne prætenſa obſervantia quantumlibet diuturna, longæva, longiſſima, ſeu immemorabili, etiam cum fama prætenſi privilegii apoſtolici, ac etiam juncta quavis ſcientia, conniventia, tolerantia, taciturnitate, facultate, & permiſſione etiam ex actibus poſitivis non legitimis reſultante Prælatoru m Eccleſiarum inferiorum, Legatorum, Nunciorum, & aliorum quorumcumque Miniſtrorum Apoſtolicorum, ac etiam reſpective quorumvis Rectorum, & Gubenatorum, aliorumque predictorum, etiam Fendatariorum, etiam Sedis Apoſtolicæ, ac Baronum, cæterorumque juriſdictionem quomodolibet exercentium, ac forſan Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtra, nequaquam fuiſſe hactenus, nec in poſterum fore approbata, convalidata, neque reſpective prorogata, extenſa, protracta, vel perpetuata, minuſque inde aliquam approbationem, vel præſumptionem alicujus beneplaciti apoſtolici, neque aliquam bonam fidem, poſſeſſionem, vel quaſi, aut præſcriptionem iu aliquo etiam impediente, imponente, exigente, attentante, vel reſpective occupante, uſurpaote, vel tranſgrediente, aut quomodolibet continuante, nec in quocumque alio potuiſſe, nec unquam poſſe reſultare, vel induci reſpective in Sedis Apoſtolicæ juriſdictionis, immunitatis, aut libertatis Eccleſiaſticæ, ſeu Eccleſiarum, vel perſonarum eccleſiaſticarum, earumve jurium, ac bonorum, & fructuum præjudicium, talemque præſumi fuiſſe ſemper mentem, & intentionem Romanorum Poutificum Prædeceſſorum noſtrorum prædictorum, ac reſpective noſtram fuiſſe, & eſſe quovis modo prædicta, & quæcumque alia præjudicialia nunquam approbandi, ſeu confirmandi, uiſi de prætenſa approbatione, vel confirmatione apoſtolica conſtiterit ex prædictis regiſtis apoſtolicis, vel alias juxta formam prædictæ alterius Conſtitutionis noſtræ. Quinimo omnia, & ſingula præjudicialia fuiſſe a ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Conciliis, etiam univerſalibus, prælertimque a prædicta Bulla in Cœua Domini legi ſolita reſpective reprobata, ac damnata, prout etiam ad abundantiorem cautelam tenore præſentium reprobamus, & damnamus, beneplacitaque Apoſtolica per Prædeceſſores noſtros, & per Nos hactenus denegata fuiſſe declaramus, ſicut etiam harum vigore denegamus, & quatenus foret opus, omnia, & ſingula præjudicialia prædicta, omniaque alia, ſi quæ ſint, irritamus, & annullamus ac reſpective revocamus cum inde ſecutis quibuſcumque, præſertim intruſionibus, occupationibus, uſurpationibus, & obſervantiis, ac uſibus, & conſuetudinibus quantumvis longiſſimis, & immemorabilibus, etiam cum aſſerta fama privilegii Apoſtolici, quas, & quæ illicitas, & illicita, irrationabileſque, & irrationabilia declaramus, ac pro reprobatis, illicitis, irrationabilibus, irritis, & annullatis perpetuo haberi volumus, decernimuſque, & damnamus; ita quod in poſterum illa, & illæ non poſſint unquam in judicio, nec extra judicium a quoquam quomodolibet allegari, deduci, probari, nec ab aliquo admitti ad quemcumq; effectum, & quatenus opus foret, adverſus illos,

illos, & illa, ac alia quæcumque quomodolibet præjudicialia harum serie eamdem Sedem Apostolicam, Romanamque Ecclesiam, & Ecclesias inferiores, ac personas Ecclesiasticas quascumque plenarie, & plenissime ex justis causis Nobis benevisis, ac si talia nunquam extitissent, in integrum, & pristinum, in quo antea erant statum, restituimus, reponimusque, ac reintegramus, præjudicialiaque hujusmodi, ne imposterum perpetuis futuris temporibus fiant, etiam interdicimus, & prohibemus.

Damnat quasdam abusus circa provisiones Ecclesiarum Cathedralium ex incuria Officialium S. Apost.

§. 10. Insuper cum etiam Nobis innotuerit, quod aliquando in provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarũ, Primatialium, & Patriarchalium, aliisque gratiis, & dispositionibus apostolicis fuit ob incuriam quorumdam Sedis Apostolicæ, seu Romanæ Curiæ Officialium inadvertenter in præjudicium liberæ provisionis earum narrata, vel etiam forsan de facto admissa præsentatio, nominatio, vel supplicatio alterius quantumlibet, ut præmittitur, qualificati, absque eo quod de ejus jure præsentandi, nominandi, vel supplicandi constitisset, & aliquando prædicta, seu alia eidem Sedi Apostolicæ narrativa præjudicialis fortasse in prætenso ecclesiarum ultimo statu fundata extitit, etiamsi de contrario statu, aut alias de libera provisione, etiam per literas erectionis, aut alio modo appareret, seu constare posset; aliquando etiam in provisionibus Ecclesiarum pro cultu divino, & ipsarum Ecclesiarum felici gubernio apponuntur diversa decreta, quæ per obitum provisorum, vel alias asseruntur expirasse, cum nihilominus perdurare debeant, donec fuerint adimpleta.

Item circa facultates, & gratias Regibus, Principibus &c. concessas.

§. 11. Quandoque etiam in concedendis facultatibus, indultis, seu aliis gratiis, per Sedam Apostolicam etiam Regibus, & Principibus, Rebuspublicis, seu Dominiis, acFeudatariis quomodolibet qualificatis, ac speciali expressione dignis concedi solitis, in quibus juxta antiquum stylum erant prius habendæ literæ declarationis, & promissionis per privilegiatos scribendæ Papæ concedenti, quibus ipsi petentes facultates, & privilegia, se e converso obligare debent pro observatione, & conservatione quarumcumque immunitatum, libertatum, & jurium Sedis Apostolicæ, Ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, ac bonorum ecclesiasticorum quorumcumque, & tamen illis literis non receptis fuerunt concessæ facultates, indulta, & gratiæ apostolicæ præfatæ, etiam absque aliquo onere illas intra aliquod tempus scribendi, & eidem Sedi præsentandi, immo etiam aliquando Officiales Cameræ Apostolicæ, sive notitiam jurium, & scripturarum Cameræ non habentes, seu memoria non retinentes, vel alias expediverunt, sive expediri a Romanis Pontificibus, seu etiam a Nobis fecerunt, vel permiserunt vigore conventionum, concordatorum, transactionum, & compactorum cum Sede Apostolica initorum, quasdam gratias, facultates, seu concessiones, & privilegia, uti debitas, ac debita, cum tamen conventiones, concordiæ, & pacta, tunc per obitum personarum, vel alias quomodolibet, etiam ex lapsu temporum saltem in ea parte cessassent, seu expirassent, quæ omnia, eorumq; singula, etiam prætenduntur in magnum ipsius S. Sedis redundare detrimentum.

Præfatas narrativas seu assertiones erroneas declarat.

§. 12. Idcirco motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus præsentium literarum tenore præfatas narrativas, enunciativas, seu assertiones quomodolibet eidem Sedi præjudiciales factas, seu admissas, ac respective easdem facultatum, indultorum, & gratiarum apostolicarum concessiones, ac literarum expeditiones factas non expectatis, nec receptis literis ipsorum privilegiandorum; concessiones quoque in vim conventionum, & pactorum quomodolibet expiratorum fuisse, & esse erroneas, erroneeque respective expeditas, nullumque propterea, cum non sit æquum, ut error veritati prævaleat, intulisse, nec inferre potuisse, neque in futurum posse præjudicium Sedi Apostolicæ, ac statui Ecclesiarum, statumque ultimum ipsarum Ecclesiarum, & respective Civitatum, Terrarum, Dominiorum, Castrorum, & locorũ, jurisdictionalium prædictorum, & quarumcumque facultatum, gratiarum, concessionum, aliorumque jurium Sedis Apostolicæ, & Ecclesiarum inferiorum non fuisse, nec unquam esse attendendum, ubi de antecedenti contrario statu, vel initio constat, modo, & forma præmissis pariter declaramus, ac decernimus, & respective omnia præjudicialia tollimus, & irritamus, ac decreta in provisionibus prædictarum Ecclesiarum apposita non expirasse, nec expirare, sed donec adimpleta fuerint, vigere, & in sequentibus censeri repetita, etiam declaramus, sicque imposterum perpetuo observari volumus. Et quatenus umquam contingeret, tam super præsentium literarum, quam super quarumcumque concessionum, facultatum, indultorum, gratiarum, ac dispositionum apostolicarum in favorem Imperatoris, Regum, Principum, Rerumpublicarum, Dominiorum, Nationum, Provinciarum, seu Regnorum per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & per Nos concessarum, seu aliàs a Sede Apostolica emanatarum interpretatione, vel declaratione hæsitari, vel dubitari, tunc omnibus, & singulis cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ac dignitatis etiam Ecclesiasticæ existentibus, etiam quomodolibet, ut præmittitur, qualificatis, etiam regularibus cujuscumque ordinis, instituti, congregationis, ac societatis, de quibus individua expressio facienda foret, quamlibet interpretationem, ac declarationem sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, ac nullitatis omnium gerendorum pœnis eo ipso, etiam nulla facta declaratione, incurrendis prohibemus, & inter-

interdicimus, & quamcumque declarationem quomodolibet necessariam, seu opportunam desuper quandocumque faciendam dumtaxat Nobis, ac Romanis Pontificibus successoribus nostris canonicè intrantibus perpetuo reservamus, & ante factas declarationes hujusmodi volumus præsentes nostras literas, & quascumque gratias, concessiones, ac dispositiones apostolicas prædictas intelligendas esse ad literam, prout jacent.

Clausulas hujus Const. præservativas apponit.

§.13. Præsentes quoque literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis nullatenus consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi non fuerint, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, deductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullo modo justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis, quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, sive præscriptionis etiam quadraginta annorum, & immemorabilis, ac enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, vel prætextu, etiam in corpore juris clauso, seu ex quacumque causa, & occasione, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad vias, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio, & alias quomodolibet concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud minime posse, sed easdem præsentes semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari.

Clausula sublata &c.

§.14. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apost. Auditores, Clericosque Præsidentes, ac Cameram, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Ministros, & Officiales, necnon S. R. E. Cardinales, etiam Vice-Cancellarios, Camerarios, ac etiam de latere Legatos, ejusdemque Sedis Nuntios, ac quascumque Congregationes etiam specialem expressionem requirentes, etiam quorumcumque S.R.E. Cardinalium, & Prælatorum, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, semper, & ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, similiter decernimus.

Clausula derogatoria.

§.15. Non obstan. præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis tam generalibus, quam specialibus, etiam in Conciliis universalibus editis, & quatenus opus sit, regula nostra, nostra de non tollendo jure quæsito, & fel. rec. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Cam. Apostolicæ concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes nullo unquam tempore in eadem Camera præsentari, seu registrari necesse sit; Necnon quibusvis conniventiis, tolerantiis, consensibus, taciturnitatibus, permissionibus, usibus, consuetudinibus etiam longissimis, & immemorabilibus, etiam cum asserta fama Privilegii Apostolici, ac statutis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, licentiis, & Literis Apostolicis quibuscumque personis etiam, ut præmittitur, qualificatis, ac Provinciis, Regnis, Civitatibus, Universitatibus, Ecclesiis, Ordinibus etiam Militaribus, etiam Sancti Jo: Hierosolymitani, Congregationibus, Institutis, etiam Soc. Jesu, aliisque locis, & personis quibuslibet, etiam speciali nota, & expressione dignis, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, etiam irritan. & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Non intendimus autem, per præsentes tollere declarationes, & causarum terminationes, ac alia, quæ etiam respectu jurisdictionalium tam allo-

allodialium, quam feudalium, præsertim in ditione temporali Sedis Apostolicæ consistentium, factæ seu facta fuerunt hucusque, vel in futurum fient judicialiter, vel etiam extrajudicialiter, causa tamen cognita in Romana Curia, per Rotam, vel Cameram, aut etiam per specialiter deputatam, seu deputatum, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel a Nobis, seu a Successoribus nostris Congregationem, aut judicem: Nec etiam tollere centenariam præscriptionem concurrentibus de Jure requisitis. Nec immemorabilem, nisi in casibus, in quibus per sacros Canones, seu Concilia universalia, vel Constitutiones, Ordinationes, aut dispositiones Apostolic. illa reprobatur, seu illi derogatur, aut alias de jure illa non suffragatur, firma tamen, & illibata remanente Bulla Cœnæ Domini, tam per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores nostros publicata, quam in posterum a Nobis, & Successoribus nostris publicanda, quoad omnia, & singula, quæ in ea continentur.

Publicari mandat. §.16. Volumus autem, & apostolica auctoritate decernimus, ut eædem præsentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Florę de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, arctent, & afficiant, perinde ac si illorum unicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Datum die 7. Junii 1641. An. XVIII. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 7. Junii 1641. Pont. nostri Anno XVIII.

Die 14. Augusti, Anno ut supra, Pontificatus decimonono, supradictæ Literæ Apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ Urbis per me Dominicum Varesium S. D. N. Papæ Cursorem &c.

Pro Magistro Cursorum Dominicus Mangilius Cursor.

DCLXXVII.

Quod Notarii etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti vacabilia Notariatuum officia non habentes, nulla transumpta Literarum Apostolicarum facere possint; habentes vero, nonnisi de Datarii licentia, sub pœnis hic expressis.

URBANUS PAPA OCTAVUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus Constit. Cum, sicut Nobis innotuit, nonnulli Notarii publici etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti, vacabilia tamen Notariatuum officia non habentes, literarum apostolicarum tam sub plumbo, quam in forma Brevis, necnon supplicationum a Nobis, vel ab Officiali ad id deputato signatarum transumpta in vidimus, vel alia forma, etiam quandoque ex simplicibus earumdem literarum, & supplicationum copiis, literisque ac supplicationibus hujusmodi nondum registratis extrahant, faciant, & publicent, in maximum illorum, qui officia Notariatuum vacabilia, & titulo oneroso possident, aliorumque Cancellariæ, & Secretariæ Apostolicarum Officialium prejudicium, & detrimentum; Hinc est, quod Nos abusus hujusmodi e medio tollere, & ne inde occasio falsitatis præbeatur, pro pastorali nostra sollicitudine, providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine;

Mandat prout in Rubrica. §.2. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus quicumque Notarii etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti vacabilia Notariatuum officia non habentes, nulla omnino quarumcumque Literarum Apostolicarum, tam sub plumbo, quam in forma Brevis, necnon supplicationum a Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris, vel ab Officiali ad id a Nobis, & illis respective pro tempore deputato signatarum transumpta; obtinentes vero vacabilia Notariatuum, etiam Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, non autem Capitolii officia, transumpta literarum, & supplicationum hujusmodi, nonnisi postquam illæ per Officiales ad hoc constitutos registratæ fuerint, sub quingentorum scutorum monetæ, ac falsi, privationisque prædictorum officiorum eo ipso incurrendis pœnis facere possint, nisi de nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii licentia in scriptis obtinenda, tenore præsentium statuimus, mandamus, & ordinamus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes, præsentes literas, etiam ex eo quod Notarii prædicti, vel alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, seu ad ea vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quocumque alio, quantumvis magno, & substantiali defectu, aut alias ex quocumque alio capite, causa, occasione, prætextu, & colore, etiam in corpore juris clauso, etiam tali, qui ad effectum validitatis præsentium necessario exprimi deberet, notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu simili concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam in judicio, vel extra illud se juvare nunquam posse, sed semper easdem præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ

concernunt, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§.4. Quocirca dilecto filio nunc, & pro tempore existenti causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus statim atque præsentes nostræ literæ prædictæ præsentatæ illi fuerint, illas solemniter publicet, & publicari faciat, ac in eis contenta quæcumque per se, vel alium, seu alios debitæ executioni demandet, seu demandari procuret. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis, auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus foret, nostra de non tollendo jure quæsito, ac quibusvis aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias in concontrariũquomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiãsi pro illorũ sufficienti derogatione de illis, eorũque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem mandat.

§.6. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de his ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent. Quodque illorum transumptis, etiam impressis, sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutę munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quę prę sentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 20. Julii 1641. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo. Datum die 20. Julii 1641. An. XVIII.

DCLXXVIII.

Declaratio super correctione Constitutionis editæ super præservatione JuriumSedis Apostolicæ, Jurisdictionisque, Immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ. Ex Regest. in Secret. Brev.

Constitutionem, de qua hic fit mentio, lege supra num. DCLXXVII. pag. 289.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

In Const. de qua in Rubrica, per impressionem nonnulla fuerunt omissa.

§.1. CUM nuper Nos ad præservandum Jura Sedis Apostolicæ, Jurisdictionisque, Immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, ac Ecclesiarum inferiorum, personarumque Ecclesiasticarum a quibuscumque præjudiciis Constitutionem perpetuam ediderimus, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 5. Junii proxime præteriti, illamque imprimi, & publicari fecerimus die 25. prædicti mensis Junii, Pontificatus nostri Anno Decimooctavo, postea compertum est, aliqua per errorem impressoris, aut fuisse omissa, vel addita.

Eam corrigi, & iterum imprimi jubet Pontifex.

§. 2. Quapropter eandem Constitutionem corrigi jussimus, & pro cautela abundantiori novam minutam dictæ Constitutionis, ut prefertur, correctę subscripsimus sub eadem data, & super minuta hujusmodi literas nostras in eadem forma Brevis sub Annulo Piscatoris expediri, imprimique, & deinde iterum affigi, & publicari per unum ex nostris Cursoribus sub die 14. presentis mensis Augusti fecimus.

Sic correctam servari præcipit.

§.3. Idcirco motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicę potestatis plenitudine tenore presentium declaramus, hujusmodi constitutionem correctam, noviter impressam, affixam, & publicatam affecisse, & afficere quoscumque; eamdemque Constitutionem correctam, non autem priorem fore imposterum perpetuis futuris temporibus

ribus attendendam, aesi illa primo edita, impressa, & publicata non fuisset.

Clausulas addit.

§.4. Decernentes præseutes literas, etiamsi nullibi publicenter, nihilominus valere, ac omnes, & quoscumque Judices, ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis alios quaeumque auctoritate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate ex tune a die prædictæ datæ seienter, vel ignoranter eontigerit attentari.

Tollitque contraria.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dicta Constitutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuseumque.

Datum die 16. Augusti 1641. An. XVIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16 Augusti 1641. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCLXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Ludovieo Piccardo, nt visitet Statum Castreusem.

Dilecto filio Ludovico Piccardo Eugubino, seu alterius Civitatis, vel Diœcesis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Commissio, de qua in Rubr.

§.1. CUpientes justis ex causis animum nostrum moventibus Ducatum, & Statum Castri in Provincia nostra Patrimonii Beati Petri nuncupata consistentem, cujus Nos, & Apostolica Sedes supremi, & directi in temporalibus Domini sumus, visitari, motu proprio, & ex certa scientia, ae matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis pleuitudine, Tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut Civitates Castren., ejusque arcem, & alia fortalitia, ac Terram Montis Alti, & alia quæcumque loca Ducatus, & Status Castri hujusmodi auctoritate nostra visites, & quatenus aliquam, vel aliquas innovationes circa munitiones, & armorum provisionem extraordinariam in illis reperias, tunc omnibus, & singulis Gubernatoribus, Ministris, & Officialibus nomine dilecti filii nobilis viri Odoardi Farnesii nostri, & dictæ Sedis Feudatarii in Statu, & Ducatu hujusmodi Gubernatoribus, & administrantibus, præcipias, illosque, ac Milites, & quoscumque alios, tam indigenas, quam forenses, & quemlibet eorum peremptoriè moneas sub capitis, rebellionis, criminis læsæ Majestatis, eonfiscationis bonorum, ac exeommunicatiouis majoris, eo ipso absque alia declaratione ineurrendis pœnis, ut infra tres horas; quarum primam pro primo, secundam pro secundo, & tertiam pro tertio, ac ultimo, & peremptorio termino assignabis, incontinenti, quacumque dilatione, excusatione, & tergiversatioue remotis, incipiant ipso facto diruere, & demoliri munitiones noviter factas si quæ sint, & quascumque alias innovationes tolli, & amoveri, militesque, & quoscumque alios officiales bellieos dimitti, & exauctorari, necnon arma, commeatum, & alias quasvis provisiones bellicas, inibi retineri nou solitas, extra Statum, & Ducatum prædictum exportari, aliaque omnia, & singula quomodolibet innovata revocari, & in pristinum statum restitui faciant; eisdemque militibus, & aliis, etiam foreusibus inibi moram trahentibus, sub eisdem pœnis, eo ipso incurrendis mandes, & præcipias, ut statim arma deponant, & infra terminum illis a te assignandum, inde recedant, ac ad proprias Patrias, & Domos respective redeant, & cum effectu se conferant.

Facultates Visitatori tributæ.

§.2. Nos enim quo præmissa facilius exequaris, Tibi pręceptum, & monitionem hujusmodi, etiam per solam affixionem ad valvas portarum, sive Civitatis, sive alicujus Terrę, aut loci Ducatus, & Status hujusmodi, seu etiam alicujus Ecclesię Cathedralis, vel Collegiatę, aut Parochialis in eodem Dueatu, & Statu, vel Civitatibus, & locis ipsi Ducatui, & Statui vicinis existen. faciendi, ita quod pręceptum, & monitio hujusmodi sic affixum, seu affixa omnes, & singulos prędictos, ac quoseumque alios cujuscumque qualitatis, & eonditionis, gradus, status, & dignitatis, etiam eeelesiasticę, & speciali, & individua mentione dignos afficiant, & arctent, perinde ae si eis, & eorum cuilibet personaliter intimata fuissent, necnon eognoscendi, & procedendi, etiam summarie de plano, sine strepitu, & figura judicii, ac manu regia, & more militari contra quoseumque prædictos, omnesque alios in exequutione præsentium nominandos omni, & quacumque appellatione, recusatione, reclamatione, nullitatum dictione, in integrum restitutione, recursu, dilatione, cæterisque juris, & facti remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino rejectis, & remotis. Ac insuper contra quoscumque de omnibus expensis, damnis, & interesse processandi, pleuam, & amplam facultatem, & potestatem earumdem tenore præsentium concedimus.

Contrariorum derogatio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & aliis decretis, etiam consistorialibus quomodolibet, etiam in infeudatione Civitatis Parmæ per fe. re. Paulum Papam III. aliosque prædecessores nostros, ut asseritur, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi in illis caveatur, contra Ducem Parmæ, pro tempore existentem, nisi ex machinatione in personam propriam Romani Pontificis procedi non posse. Quibus omnibus, & singulis illorum teno-

tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 16. Augusti 1641. An.XIX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16 Augusti 1641. Pontificatus nostri Anno XIX.

Sequitur Commissio eidem Ludovico visitandi Terram Montis Alti.

Dilecto filio Ludovico Piccardo Eugubin., seu alterius Civitatis, vel Diœcesis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

CUpientes justis ex causis animum nostrum moventibus Terram Montis Alti in Ducatu, & Statu Castri Provinciæ nostræ Patrimonii Beati Petri nuncupatæ, cujus Status, & Ducatus Nos, & Apostolica Sedes supremi, & directi in temporalibus Domini sumus visitari, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut Terram prædictam auctoritate nostra visites, &c. *Reliqua ut in præcedenti.*

Datum, &c. *ut supra* (a)

DCLXXX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Mandatum Gubernatoribus, & Officialibus Ducatus Castri, ut statim ac præsentes literas viderint, recipiant Ludovicum Piccardum cum septem saltem sociis in Civitate Castren., ejusque Arce, & Fortalitiis, ut videant, & describant milites, & arma.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Mandatum, de quo in Rubr.

§. 1. JUstis ex causis animum nostrum moventibus adducti, motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, & singulis Gubernatoribus, Ministris, & Officialibus tam justitiæ, quam armorum status, & Ducatus Castri, in Provincia nostra Patrimonii B. Petri nuncupata consisten. nomine dilecti filii nobilis viri Odoardi Farnesii nostri, & Sedis Apostolicæ in prædicto statu, & Ducatu Feudatarii Gubernatoribus, & administran. Harum serie, sub excommunicationis majoris, rebellionis, criminis læsæ majestatis, & confiscationis bonorum eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis committimus, præcipimus, & mandamus, statim visis præsentibus literis, ipsi, & eorum quilibet debeant, & debeat recipere, & admittere dilectum filium Ludovicum Piccardum Eugubin. seu alterius Civitatis, vel Diœcesis, cum sua comitiva saltem septem virorum in Civitate Castren. ejusdem status, & Ducatus Castri, ejusque Arce, Fortalitiis, Palatiis, aliisque partibus, & membris, ut videant, recognoscant, & describant quot, & quales milites in ea, & eis retineantur, & sint, ac quæ munitiones, sive commeatus, tormenta bellica, & arma, ac victualia in eis de præsenti reperiantur, & quid, circa præmissa, eorumque loca munienda, fuerit in eis, seu aliquo eorum innovatum.

Obstantium derogatio.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & aliis Decretis, etiam consistorialibus quomodolibet, etiam in infeudatione Civitatis Parmæ per fe. re. Paulum Papam III., aliosque Prædecessores nostros, ut asseritur, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi in illis caveatur contra Ducem Parmæ pro tempore existentem, nisi ex machinatione in personam propriam Romani Pontificis, procedi non posse. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 16. Augusti 1641. An.XIX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Augusti 1641. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

DCLXXXI.

Prohibitio ne Religiosi Præmonstratenses Hispaniæ gestent habitum noviter assumptum, nec dimittant prænomen Fratris.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii Nobis divinitus injuncti assidua solicitudo Nos admonet, ut ad ea libenter intendamus, per quæ sacrarum Religionum status salubriter dirigatur, ac in sua integritate, & puritate conservetur.

Habitum mutarunt.

§. 1. Cum itaque, sicut Nobis nuper innotuit, in Hispaniarum Regnis Religiosi Ordinis Præmonstratensis, absque Sedis Apostolicæ, vel alia legitima licentia antiquum ejusdē Ordinis habitum regularem immutarint, idcirco Nos his, aliisque incommodis, quibus ipse Ordo exinde affici posset, provisionis nostræ ministerio obviam ire cupientes;

§. 2. De Venerabilium Fratrum nostrorum

(a) Eadem die ejusdem exempli Literæ expeditæ quoque fuerunt pro visitanda Urbe Castrensi.

S. Congr. hanc causam diligenter vidit, & examinavit.

rum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio, quibus hoc negotium cognoscendum commisimus, & qui scripturas, & processum a bonæ memoriæ Laurentio Episcopo Senogalliensi tunc in eisdem Regnis nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio transmissa desuper, necnon alia jura, & scripturas oretenus, & in scriptis, tam pro parte Procuratoris Generalis eorumdem Religiosorum in Romana Curia residentis, mutationem ipsam habitus sustineri petentis, quam pro parte Philippi Bernal dilectorum filiorum ejusdem Ordinis Religiosi mutationem prædictam impugnantis adducta viderunt, & diligenter examinarunt; Non licuisse Religiosis prædictis antiquum sui Ordinis habitum hujusmodi immutare, apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus.

Executorem deputat.

§.3. Proindeque Venerabili Fratri Cæsari Archiepiscopo Damiatensi moderno in eisdem Regnis nostro, & Sanctæ Sedis Nuncio per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque illarum vigore fuerit requisitus, Abbati Generali, seu Præsidenti eorumdem Religiosorum Ordinis hujusmodi in præfatis Regnis, auctoritate nostra præcipiat, & insuper edictum in locis solitis suæ Nunciaturæ, & ad valvas Monasteriorum, seu Conventuum dicti Ordinis affigendum promulget, ut infra mensem, a die intimationis præcepti, & affixionis Edicti hujusmodi computandum, tam ipse Abbas Generalis, seu Præsidens, quam cæteri omnes, & singuli ejusdem Ordinis dictorum Regnorum Religiosi professi debeant, & quilibet eorum debeat reassumere antiquum habitum ipsius Ordinis, idest tunicam albam cum caputio magno capiti imponendo: scapularium item regulare album, & cappam cum multiplicis, similiter albam supra caputium, juxta formam, quæ eidem Cæsari Nuncio per literas impressam transmittitur.

Terminum assignat ad habitū deponendum.

Fratris prænomen reassumere debent.

§.4. Fratris insuper prænomen reassumere, & pileo nigro extra Conventum, uti, prout solebant antequam habitus prædicti mutationem facerent, atque hanc habitus formam continuo retinere, quam sine expressa eorumdem Cardinalium, seu Sanctæ Sedis licentia nullatenus immutare valeant, sub excommunicationis latæ sententiæ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, pœnis eisdem Cardinalibus reservatis, in actu contraventionis, ipso facto incurrendis, ad quarum pœnarum declarationem ab eodem Cæsare Nuncio, contra inobservantes, & præmissis non parentes absque alia dilatione omnino deveniri.

Clausulam sub latam addit.

§.5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis prædictæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, vel interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, ac tenore prædictis decernimus.

Contraria aufert.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi imperat.

§.7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 19. Augusti 1641. An. XIX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 19. Augusti 1641. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCLXXXII.

Quod Commissarii Generalis Indiarum Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ S. Francisci non possint dispensare in Constitutionibus generalibus Ordinis.

Ne jam indicata otiose repetam vide in Constit. Aliàs a Nobis, *ut supra*.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Cum sicut, dilectus filius Gaspar Sanchez Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Lector Jubilatus, & in Romana Curia Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, licet in Capitulo Generali dicti Ordinis novissime in Alma Urbe nostra celebrato declaratum fuerit, omnem, & quamlibet potestatem, quæ in Ministro Generali reperitur ad dispensandum in statutis generalibus, totam ipsi provenire a Capitulo Generali, unde quoties ab eodem Capitulo Generali decreto irritante prohibetur, ne in aliquo statuto concedatur absolute dispensatio, aut conditiones ad dispensandum requisitas non observat, ejusdem dispensatio ipso facto irrita evadit; nihilominus præmissis non obstantibus Commissarii Generales Indiarum Ordinis hujusmodi in suis Definitoriis sub prætensa Ministri Generalis potestate, in Constitutionibus Generalibus quandoque absque totius Definitorii consensu dispensent, ex quo maxima regularis Observantiæ relaxatio oritur, frequentesque abusus in eodem ordine introducuntur. Nobis propterea dictus Ga-

ſpar Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

§.2. Nos igitur eumdem Gaſparem Procuratorem Generalem hujuſmodi ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,

Prohib. prout in Rubrica.

§.3. Commiſſariis Generalibus Indiarum hujuſmodi, ne de cætero in, & ſuper ejuſdem ordinis conſtitutionibus generalibus, cujuſcumque facultatis, præterquam a Capitulo Generali ſibi ad id attributæ obtentu, diſpenſent, apoſtolica auctoritate tenore præſentium interdicimus, & prohibemus, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§.4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum Indiarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores præſentibus pro pleue, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi jubet.

§.5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum die 27. Augusti 1641. An. XIX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 27. Auguſti 1641. Pontificatus noſtri, Anno XIX.

DCLXXXIII.

Pro bono regimine Fratrum Reformatorum Strictioris Obſervantiæ Italiæ, quod inſtituant Profeſſoria, & lectionem Theologiæ moralis, ac myſticæ.

De hujuſmodi Fratribus Reformatis plene notatum eſt ad Conſtitut. Injuncti nobis, *ut ſupra.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Eccleſiæ regimini divina diſpoſitione præſidentes ad ea, per quæ cunctorum Chriſtifidelium, præſertim Religioſorum Deo ſub reformatione ad arctiorem regularis diſciplinæ obſervaotiam introducta vacantium ſpirituali directioni, necnon felici progreſſui conſulitur, libenter intendimus, eaque ſtatuimus, & ordinamus, quæ rerum, temporum, & perſonarum qualitatibus debite penſatis, ipſorum Religioſorum ſtatui conducere in Domino conſpicimus. Ad uberes itaque, & ſuaves fructus, quos dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformati nuncupati Provinciarum Italiæ in prædicta Eccleſia afferunt, mentis noſtræ aciem convertentes, quo laudabile eorum inſtitutum majoribus in dies proficiat in via Domini incrementis;

De Profeſſoriis inſtituendis.

§.1. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum tenore perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ut in unaquaque eorumdem Reformatorum Italiæ Provincia unum, vel duo Profeſſoria inſtituantur, in quibus Fratres Clerici ejuſdem Ordinis, quamprimum probationis, ſeu novitiatus annum compleverint, & profeſſionem emiſerint regularem, collocentur, in Profeſſoriiſque hujuſmodi unus Magiſter pro quolibet deputetur, qui prædictos fratres Clericos in vita ſpirituali, & orandi modo, ac Religioſæ perfectionis via inſtruat, qui quidem Clerici anno, ut minimum, in Profeſſoriis hujuſmodi commorari debeant, & interim nullam ſcientiam edoceri poſſint, excepta Grammatica, ſi ejus rudes fuerint.

Et Lectione Theologiæ Moralis;

§.2. Præterea in duobus, aut tribus cujuſque Provinciæ Conventibus Theologiæ moralis lectio fiat, cui omnes Fratres Sacerdotes, & Clerici bis qualibet hebdomada interſint.

Et Regulæ.

§.3. In ſingulis vero Conventibus orandi modus doceatur, & Ordinis prædicti Regula ſemel ſaltem in quaque hebdomada prælegatur, huicque prælectioni tam Fratres Sacerdotes, & Clerici, quam laici intereſſe teneantur.

Legatis non recipiendi.

§.4. Ad hæc Fratres Reformati hujuſmodi nullum omnino legatum perpetuum cum aliquo, aut ſine ullo onere, etiam Eccleſiis, vel Sacriſtiis ipſorum, etiam pro vino ad Miſſarum celebrationem, aut oleo

oleo pro lampadibus, vel quacumque re pro Altaribus factum recipiant, ipforumque Procuratores, aut Syndici hæredes legantium ad præstanda ejusmodi legata judicialiter convenire non possint.

Ornamenta Ecclesiarum, qualia esse debeant

§.5. Insuper Fratres prædicti ad quascumque processiones, præterquam ad processionem in festo Corporis Christi, aut aliquam aliam generalissimam, non conveniant, Defunctorumque corpora, exceptis iis, quæ in eorum Ecclesiis sepeliuntur, ad sepulturam minime comitentur. Altarium ornamentis deinceps aurum, vel inauratio non adhibeatur. Imaginumque, seu picturarum eorumdem Altarium coronides e nuce, aut alio ejusdem coloris ligno fiant, nec candelabra ænea recipiantur, aut emantur amplius, sed tantummodo lignea e nuce.

Præsentium observantia superioribus committitur.

§.6. Novitii in Provinciis prædictis infra annum cum interventu Ministri, ac duorum Definitorum Provincialium, & duorum Guardianorum recipi possint, juxta decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri hac super re editum. Demum Fratres prædicti exceptis in infirmaria illis, qui indiguerint, particulas ex panno lineo etiam in itinere, sub quocumque prætextu nequaquam deferant, particulas vero ex panno laneo illi deferre possint, qui eis loco tunicæ uti voluerint.

§.7. Quocirca dilectis filiis Ministris Provincialibus, ac Guardianis, aliisque Superioribus quibuscumque dictarum Provinciarum nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum eo ipso absque alia declaratione incurrenda, committimus, & mandamus, ut præsentes nostras literas, ac omnia, & singula in eis contenta a Fratribus sibi subditis inviolabiliter observari curent, & faciant; cæteris vero earumdem Provinciarum Fratribus, etiam in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque arbitrii nostri pœnis eo ipso, ut præfertur, incurrendis, præcipimus, ut præmissa omnia, & singula, prout ad unumquemque eorum spectaverit, exacte, & inconcusse observent, & adimpleant.

Contrariis derogat.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus editis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.9. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 1. Octobris 1641. Pontificatus nostri, Anno XIX.

Datum die 1. Oct. 1641. An.XIX.

DCLXXXIV.

Prohibet quibusvis personis in cathalogo Universitatis Studii generalis Bononien. non descriptis ne doceant scientias, quæ in eadem Universitate legi solent.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

UBeres fructus, quos in vinea Domini Universitas Studii Generalis in Civitate nostra Bononien. ab antiquissimis temporibus institutam, & studiorum mater merito nuncupata produxit, & in dies producit, ac summam erga hanc Sanctam Sedem fidem, & devotionem, qua ipsa Civitas semper enituit, attente considerantes, dignum reputamus, & rationi consentaneum, ut dictæ Universitatis conservationi, unde non modica in ipsam Civitatem dignitas, & utilitas redundat, propensis studiis intendamus.

Mandat prout in Rubrica.

§. 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum regiminis dictæ Civitatis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus, & singulis personis tam secularibus, quam ecclesiasticis, etiam regularibus, cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, ac cujusvis Universitatis, Ordinis, Congregationis, Collegii, Confraternitatis, Societatis, etiam Jesu, & instituti quantumlibet qualificatis, & privilegiatis, ac speciali nota, & individua mentione dignis, ne quocumque prætextu, vel ingenio, aut quæsito colore, vel quorumcumque privilegiorum, concessionum, indultorum, & gratiarum, tam in genere, quam in specie à fel. rec. Pio Quinto, vel aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & Sede prædicta, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac subquacumque verborum forma, & ex quacumque causa, quantum-

tumvis pia, publica, & favorabili, ac aliàs quomodolibet, etiam quandocumque concessorum obtentu, seu vigore in Civitatem prædictam, ejusque Comitatu, Territorio, & Legatione quamcumque ex scientiis, artibus, & facultatibus, quæ in publico ejusdem Universitatis Gymnasio docentur, & perleguntur, seu doceri, & perlegi solent publice, vel secreto docere, seu legere, & profiteri audeant, seu præsumant, nisi personæ hujusmodi in publico ejusdem Universitatis Cathalogo, seu Albo Rotulis vulgo nuncupatis descriptæ sint, sub excommunicationis majoris eo ipso, absque alia declaratione, incurrendæ, ac indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Clausulae. §.2. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariorum derogatio. §.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Locorum, Ordinum, Collegiorum, Confraternitatum, Societatum, etiam Jesu, aliorumque Institutorum regularium, & generaliter quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis Locis, ac Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Confraternitatibus, Societatibus, etiam Jesu, & Institutis, ac eorum Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 10. Decembr. 1641. An. XIX. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

DCLXXXV.

Quod Fratres cujuscumque gradus, & dignitatis, commorantes in Conventu Aracœlitano sint sub obedientia, & directione Commissarii Generalis Ordinis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. INter multiplices pastoralis officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam particulariter incumbimus, ut personæ quæ sub suavi Religionis jugo divinis obsequiis se manciparunt, prospere gubernentur, & si quæ earum directioni quoquo modo impedimentum afferre cognoscimus, ea removere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva hujus Constit. §.1. Cum itaque, sicut accepimus, ex multiplicitate Superiorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat., & quia nonnulli prætenduut, se a superioritate Commissarii Generalis ejusdem Ordinis exemptos esse vigore cujusdam statuti in Capitulo Generali dicti Ordinis Toleti Anno 1633. celebrato facti & a nobis confirmati, regularis observantia non modicum detrimentum patiatur.

Mandat prout in Rubric. §.2. Hinc est, quod Nos in præmissis opportune providere volentes, dictique statuti tenorem præsentibus pro expresso habentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, statutum prædictum, tenore præsentium abolemus, revocamus, & annullamus, viribusque, & effectu vacuamus, & quod omnes, & singuli ejusdem Ordinis Fratres, cujuscumque gradus, & dignitatis, ac etiam Ultramontanæ Familiæ existen. pro tempore, qui in cismontana familia commorabuntur, sint, & esse debeant sub obedientia, & directione Commissarii Generalis Ordinis hujusmodi, pro tempore existentis, prout erant priusquam statutum prædictum fieret, eorumdem tenore præsentium statuimus, & mandamus, volumus, & ordinamus; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus statuto prædicto, & literis illius confirmatoriis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac aliis dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Fratribus, & personis quibuslibet in contrarium quomodolibet

libet concessis, confirmatis, & innovatis.

§.4. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 18. Novemb. 1641. An. XIX. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 18. Novembris 1641. Pontificatus Nostri Anno XIX.

DCLXXVI.

Quod Fratres Congregationis Jesuatorum S. Hieronymi, ab Ordinariis approbati, sacramentales utriusque sexus Fidelium confessiones libere, & licite audire valeant, illisque injunctis injungendis absolutionem salutarem impendere.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Christifidelium quorumlibet, præsertim regularem vitam profitentium, votis, quæ eorum Instituti decus, & animarum salutem concernunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. §.1. Aliis siquidem, postquam fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor noster Fratribus Congregationis Jesuatorum Sancti Hieronymi, sub Regula S. Augustini indulserat, ut ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri possent. voluerat autem, ut Fratres hujusmodi ad Sacerdotium promoti, neque ullius secularis personæ, neque alterius Ordinis regularis ullo tempore, etiam de cujuscumque Episcopi, vel superioris regularis licentia confessiones audire possent, sed tantum illis Sacerdotibus, qui ad confessiones audiendas idonei reperti, & ab Ordinariis locorum approbati fuissent, liceret aliorum ipsius Congregationis Religiosorum de sui Superioris licentia confessiones audire, postmodum rec. mem. Gregorius Papa Decimusquintus etiam prædecessor noster omnibus, & singulis ejusdem Congregationis Fratribus, qui ab Ordinariis locorum approbati forent, ut in Parochialibus Ecclesiis domorum Regularium ipsius Congregationis, dumtaxat Parochianorum earumdem Ecclesiarum sacramentales Confessiones audire, ac illis injunctis injungendis, absolutionem impendere salutarem libere, & licite valerent, concessit, & aliis prout in Pauli, & Gregorii prædecessorum prædictorum literis in simili forma Brevis desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Concedit prout in Rubric. §.2. Cum autem, sicut dilectus filius Antonius Legnanus Lauden. Procurator Generalis ejusdem Congregationis Nobis nuper exponi fecit, trigintaquinque anni jam elapsi sint, eo quo Fratres prædicti ad suscipiendum Presbyteratus Ordinem per eumdem Paulum prædecessorem admissi fuerunt, & ab inde citra literis, & doctrinis ecclesiasticis graviter dent operam: Nobis propterea dictus Procurator Generalis ejusdem Congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut concessionem Gregorii Prædecessoris prædicti ad quorumvis Christifidelium confessiones extendere, & ampliare de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur Fratres, ac Procuratorem Generalem prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis ejusdem Congregationis Fratribus, ut prævio examine & approbatione Ordinarii in propriis Ecclesiis dictæ Congregationis, etiam non Parochialibus, sacramentales secularium, etiamsi non sint eorum Parochiani, confessiones audire, illisque injunctis injungendis absolutionem impendere salutarem libere, & licite possint, & valeant, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manualicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20. Novembris 1641. Pontificatus Nostri, Anno XIX.

DCLXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Methodus exigendi spolia Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac fructuum Ecclesiarum vacantium in Insula Sardiniæ præscribitur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Pius Papa V. spolia Ecclesiis pro earum reparatione, & ornamento addixit.

§.1. Aliàs, sicut asseritur fel.rec. Pius Papa V. Prædecessor noster supplicationibus claræ memoriæ Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici inclinatus, spolia Archiepiscoporum, & Episcoporum in Insula Sardiniæ Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias obtinentium, in dicta Insula, & extra eam, non tamen in Italia decedentium, ac fructus, redditus, & proventus earumdem Ecclesiarum, illarum vacatione durante, ab Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Ecclesiis hujusmodi vacantibus, seu succedere contingeret, perpetuo abdicavit, illaque dictis Ecclesiis pro illarum fabrica, structura, reparatione, & conservatione, ac ornamentorum, & paramentorum emptione, & manutentione, etiam perpetuo applicavit, ac singulis capitulis, singularum Ecclesiarum prædictarum, illarumque personis per dictum Philippum Regem, & ejus Successores eligendis, ut spolia, & fructus hujusmodi percipere, exigere, & recuperare possent, & valerent, illaque in restaurationem, reparationem, & manutentionem, emptionem, & conservationem prædictas convertere, Ecclesiasque ipsas restaurare, recuperare, & conservare, ornamentaque, & paramenta prædicta manutenere deberent, concessit, & indulsit, prout in Literis dicti Pii Prædecessoris desuper expeditis dicitur uberius contineri.

Cum vero multum pecuniæ pro Ministrorū mercede insumatur;

§.2. Cum autem, sicut pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, qui etiam Insulæ prædictæ Rex existit, Nobis nuper expositum fuit, personæ ad præmissa electæ Judicem computorum, ac Pro-Rex dictæ Insulæ pro tempore existens duos œconomos, & ipse Judex computorum alios Ministros, videlicet Computatores, Notarios; & Cursorem nominare, illisque, ac sibimet ipsi mercedem, seu salarium assignare consueverint, idque in tanta quandoque summa, ut spolia, & fructus prædicta fere absorbeat, parumque remaneat, quod in utilitatem ipsarum Ecclesiarum, ut præfertur, converti possit. Nobis propterea idem Philippus Rex humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Urbanus assignat œconomū a Pro-Rege deputando mercede;

§.3. Nos igitur earumdem Ecclesiarum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, & quatenus doceatur per legitima documenta de prædictis ejusdem Pii Quinti Prædecessoris Literis, & non aliàs, ac salva remanente Pro-Regi ejusdem Regni Sardiniæ pro tempore existenti facultate nominandi, unum dumtaxat œconomum fide, & facultatibus idoneum, ex personis narratis in eisdem Literis, cum salario ad rationem quatuor, vel quinque pro quolibet centenario quantitatis exactæ, prætensum usum nominandi Judices computorum, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo tollimus, & abolemus.

Episcopis successoribus facultatem dat compura a dicto œconomo recipiendi.

§.4. Necnon Archiepiscopis, & Episcopis in dictis Ecclesiis pro tempore vacantibus successoribus, ut ipsi cum assistentia duorum de Ecclesiarum suarum respective Capitulis gratis, & unius computatoris capitulariter eligendorum, cui quidem Computatori, prout etiam Notario Capitulari de computis rogando assignetur una dicta ordinaria, recipere possint ab œconomo, ut præfertur, deputando rationem exactorum, & cogere debitores ad solutionem ratæ, quæ persolvenda remaneret, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus.

Clausulas addit.

§.5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Obstantibus derogat.

§.6. Non obstantibus dicti Pii Prædecessoris quatenus adsint, literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 7. Decemb. 1641. An. XIX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die septima Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

Appli-

DCLXXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Applicatio nonnullorum reddit1uum Collegii Bononien. Montis Alti nuncupati Triremibus Sedis Apostolicæ, cum reductione scholarium ad triginta.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SÆpe convenit, juxta varietatem eventuum, etiam dispositiones ab initio bene constitutas, mutare.

Sixtus PP. V. Triremes pro defensione Status Ecclesiastici paravit.

§.1. Cum igitur fel. rec. Sixtus Papa Quintus Prædecessor noster inter multa, quæ pro servitio Sedis Apostolicæ, suorumque subditorum, nunc nostrorum ordinaverat, nedum Triremes contra Turcas, & Piratas in oris maritimis maris nostri, tunc sui, mediterranei ditioni temporali Sedis Apostolicæ adjacentibus perpetuo retinendas ordinaverit, & pro illarum manutentione tam idem Sixtus, quam & fortasse alii Romani Pontifices, etiam Prædecessores nostri, quosdam annuos redditus, ex introitibus Cameræ Apostolicæ assignaverint, qui tamen redditus magnam hucusque passi sunt diminutionem, sed etiam, ut juventus Montis Alti, unde idem Sixtus Prædecessor originem duxerat, ac aliarum quarumdam Civitatum, Terrarum, & Oppidorum Provinciæ Marchiæ Anconitanæ religiose educaretur, & Literarum studiis instrueretur, sicut, dum in minoribus existens Cardinalatus honore fungebatur, in prædicto Monte Alto Gymnasium publicum instituerat, ita etiam dum postmodum ad summi Apostolatus apicem fuit assumptus, pro ipsa juventute, ne ob rei familiaris angustiam, & inopiam, ad altiora Literarum studia progrediendi commoditate destitueretur, nolens occasionum tunc suorum nunc nostrorum subditorum commoditates, & profectus procurandi, & augendi prætermittere, in Civitate Bononien., quæ omnium liberalium artium, doctrinarumque studiis semper florere consuevit, Collegium pro quinquaginta scholaribus erexerit, quorum octo per ipsius Collegii Protectorem pro tempore existentem, undecumque sibi placuerit, & alii octo per Montis Alti, & tres per Firmi, & alii tres per Asculi, necnon alii tres per Camerini, & duo per Ripæ Civitatum Communitates, aliique duo per Offidæ, & alii duo per Montis Elpari, necnon alii duo per Montis Floræ, & alii duo per Sanctæ Victoriæ, & alii duo per Porchiæ, seu Porculæ, necnon alii duo per Montis novem, & alii duo per Patrignoni, & alii duo per Grottatum ad Mare, & alii duo per Castignani, aliique duo per Forchiæ alias Furcis, & alii duo Montis Monachi, & reliquus per Cusignani Terrarum, seu Oppidorum dictæ Provinciæ Communitates ex suis Civitatibus, & Terris, seu Oppidis præfatis respective, vel si tot ibidem idonei, & apti non reperirentur, aliunde eorum arbitrio, non tamen extra dictam Provinciam Marchiæ eligi, & nominari deberent, & pro præfatorum Scholarium Collegii, ac Ministrorum substentatione quædam Monasteria, Prioratum, Ecclesias, & Beneficia tam in Diœcesi Bononien., quam alibi consistentia, quorum fructus valorem annuum ducatorum 3600. auri de Cameræ non excedere expressum fuit univerit, applicaverit, eidemque Collegio, & Collegialibus, ac ejus, per eorum Ministris, laboratoribus, colonis, & Arrendatoribus, exemptiooes, & privilegia diversa concesserit, aliaque disposuerit, prout uberius in suis Literis Apostolicis sub plumbo sub dat. Romæ Anno Incarnationis Dominicæ 1588. XV. Kalen. Decembris Pontificatus sui Anno quarto expeditis continetur.

Et Bononiæ Collegium Montis Alti pro Juvenum instructione erexit.

Eique Beneficia nonnulla ecclesiastica adunavit.

Sed cum postea nonnulli in illud abusus irrepserint;

§.2. Verum quia annis præteritis ad notitiam, quod Scholares in eodem Collegio juxta numerum, & qualitates ab eodem Sixto Prædecessore nostro præscriptas & præsertim, ex Civitatibus, Oppidis, & locis per eumdem Sixtum Prædecessorem designatis, non educabantur, immo etiam aliqui exteri, nec etiã Sedi Apostolicæ subditi eligebantur, & in eodem Collegio alebantur, quodque aliqua scandala quandoque inter ipsos Scholares, ac etiam alios fuerant exorta; Idcirco pro opportuno remedio adhibendo nuper idem Collegium visitari fecimus, cumque ex visitatione ad Nos transmissa compertum sit, voluntatem ejusdem Sixti, quoad numerum, & qualitates Scholarium, præcipue ex locis prædictis, nec etiam ex præfata Provincia Marchiæ fuisse aoimpletam, etiam ut creditur, ob deficientiam in prædictis locis a Sixto prædecessore designatis, tot Scholarium qualificatorum, qui in eodem Collegio educari voluerint, & propterea, seu alias redditus prædicti Collegii fuisse hactenus valde auctos.

Urbanus ad eos tollendos, consulendumque Triremium conservationi;

§.3. Idcirco Nos volentes omnibus, & singulis abusibus, qui in prædicto Collegio tam quoad electionem Scholarium, quam quoad alia quæcumque hactenus quomodolibet irrepseruut, convenientem adhibere medelam, & eodem contextu manutentioni dictorum Triremium subvenire, & considerantes, quod si idem Sixtus Prædecessor cogitare potuisset tam ipsos abusus postea introductos in electione Scholariũ, & in ipso Collegio, quam reddituum ipsius Collegii augmentum, & reddituum pro Triremibus assignatorum diminutionem, utique more boni Pastorisfamilias remedium opportunum, ut infra adhibuisset.

Triginta Scholares in eodem Collegio ali jubet;

§.4. Nos igitur tam præfatarum Literarum erectionis ejusdem Collegii, quam assignationis pro manutentione per dictarum Triremium, ac Instrumentorum, ac scripturarum desuper quomodolibet factarum, ac inde sequutorum quorumcumque, necnon actorum, seu processus ejusdem visitationis, aliorumque hic forsan de necessitate exprimen., vel inserendorum tenores etiam majores, & veriores pro ple-

& sufficienter expressis, & insertis habentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, etiam adhibito voto nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus acta visitationis discutienda, & hoc negocium examinandum commisimus, hac nostra perpetua Const. statuimus, & ordinamus, quod de cætero eodem Collegio triginta tantum Schol[illegible] recipiantur, alantur, & manuteneantur, quodque nominatio, & electio ipsorum triginta Scholarium spectet ad infrascriptos scilicet, ad Protectorem pro tempore existentem quinque Scholarium, ex prædicta tamen Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundorum, ac Sedi Apostolicæ in temporalibus immediate subditorum, aliorum vero quatuor Scholarium electio, & nominatio spectet ad Montis Alti, aliorum trium ad Firmi, ac aliorum trium ad Asculi, & aliorum duorum ad Camerini, ac unius ad Ripætransonæ Civitatum, ad singularum vero aliarum Terrarum, seu Oppidorum prædictorum Communitates unius Scholaris pro quolibet ipsarum Terrarum, seu Oppidorum in eisdem Literis Sixti Prædecessoris expressorum, & Scholares sint ex locis designatis prædictis, & quatenus ibi non reperiantur idonei, & apti, qui in dicto Collegio educari velint, tunc saltem ex eadem Provincia Marchiæ oriundi, omnino eligantur, alias electio, & nominatio nulla sit eo ipso, & contravenientes teneantur eidem Collegio expensas, & damna reficere.

Eorumque nominationē non nullis addicit.

§.5. Cumque hactenus, sive ob inobservantiam prædictarum Literarum erectionis, sive aliàs, idem Collegium ex superabundantibus redditibus multas acquisitiones locorum montium, ac bonorum stabilium in Civitate, & Diœcesi Bononien. fecerit, & ex prædicta Scholarium diminutione, eisdem Civitatibus, Terris, & locis, seu Oppidis, ac Provinciæ proportionata scilicet, ex reductione numeri quinquaginta Scholarium ad triginta hujusmodi impensæ victus, & aliæ erunt in posterum fere pro duabus, ex quinque partibus diminutæ, & personæ eidem Collegio, & Scholaribus inservientes, ac etiam impensæ alias solitæ erunt etiam minuendæ, & propterea, etiamsi, ex libris 42000. monetæ Bononien. circiter annui redditus, quem ad præsens Collegium habet, medietas dicatur sufficiens pro ejusdem Collegii sic, ut præmittitur, reformati substentatione, & conservatione, nihilominus tenore præsentium ab eodem Collegio separamus loca montium, & bona stabilia a Collegio empta, & alia, quæ constituant dumtaxat annuum redditum libr. 18400. desumendum tam ex dictis omnibus locis montium, ac bonis stabilibus a Collegio, ex redditum abundantia hactenus in Civitate, & Diœcesi Bononien. emptis, & acquisitis, si sufficiunt, sin minus etiam, ex bonis alicujus prædictorum Monasteriorum, Prioratus, seu Ecclesiarum, seu Beneficiorum unitorum arbitrio infrascripti exequutoris, quem redditum annuum 18400. librarum dictæ monetæ, ac loca montium, & bona stabilia a Collegio hactenus empta, ac pro residuo bona prædicta per eumdem exequutorem assignanda perpetuo dismembramus, & applicamus eisdem Triremibus, & pro illarum substentatione, & manutentione, illisque unimus annectimus, & incorporamus, firma in cæteris remanente earumdem Literarum Sixti Prædecessoris dispositione, quas confirmamus, & si opus fuerit, innovamus, ac observari mandamus.

Super abbundantes vero redditus Triremibus tribuit.

§.6. Quocirca committimus, & mandamus Ven. fratri Cæsari Episcopo Civitatis Castelli Vice-Legato Bononien., quatenus prædictam dismembrationem locorum montium, bonorum stabilium emptorum, & aliorum prædictorum, quæ sufficiant pro prædicto annuo redditu 18400. librarum, prædictarum constituendo, & respective applicationem, unionem, annexionem, & incorporationem illorum cum aliis annuis redditibus pro earumdem triremium substentatione, & manutentione assignatis, & quæcumque alia in præsentibus Literis per Nos disposita, & ordinata, debitæ exequutioni mandet, & exequatur omnibus juris, & facti remediis opportunis, nomineque Sedis Apostolicæ in dictam causam manutentionis Triremium, possessionem illorum per se, vel alium, seu alios ab ipso deputandos assequatur, & capiat. Nos enim eidem Vice-Legato omnem facultatem opportunam, & necessariam, etiam procedendi contra quoscumque, illosque cogendi etiam exequutive, ac manu regia, concedimus, & impertimur.

Vice-Legato Bononiensi exequutionē committit.

§.7. Decernentes præsentes Literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod Protector, & Collegiales dicti Collegii, ac Communitates, & Universitates, & homines Civitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, & quicumque alii in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet pretendentes eis nullatenus consenserint, & ad hoc vocati, aut auditi non fuerint, minusque causæ, propter quas præsentes, emanarint, deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo umquam tempore subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, & alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, aut quocumque alio colore, & etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu

Clausulæ addit.

quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari; sicque, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§.8. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dietis, ac erectione d. Collegii, literisque apostolicis desuper emanatis, & Pii Papæ IV. etiam Prædecessorum nostrorum de gratiis interesse d. Cameræ quomodolibet concernen. infra certum tempus in eadem Camera intimandis, & registrandis, ac quatenus opus sit, nostra de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Collegii, Civitatum, Terrarum, oppidorum, & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Collegio, illiusque Protectori, Collegialibus, & Ministris, ac Communitatibus, Universitatibus, & hominibus Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum prædictorum, & quibusvis aliis sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, & cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis concessis, & pluries, etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter insertis, & expressis habentes harum serie specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 10. Decemb. 1641. An. XIX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCLXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Vicecollectori Jurium Cameræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis circa custodiam, detentionem, & translationem quorumdam officialium Sedis Apostolicæ.

Dilecto filio Hieronymo Bataglino Jurium, & spoliorum Cameræ nostræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Vicecollectori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Ministros a. A. a potestate laicali fuisse detentos.

Cum non sine gravi animi nostri molestia Nobis innotuerit, in istis Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum fuisse, prætextu assertorum excessuum, seu delictorum gravium carceratos, aut aliis detentos auctoritate laicali Ven. Fratrem Archiepiscopum Bracharen., ac Inquisitorem Majorem in ipsis Regnis, Commissariumque Sanctæ Cruciatæ, qui sunt nostri, & Sedis Apostolicæ officiales, aliasque personas ecclesiasticas, inter quas aliquæ in dignitate ecclesiastica, etiam Episcopali sunt constitutæ, quarum causarum cognitio, juxta Sacros Canones, Sacraque Concilia Universalia ad Nos spectat.

Vice Collectori Spoliorum committit, ut eos in custodiam recipiat, & tradat;

§.2. Idcirco, ut Archiepiscopus, ac Inquisitor, Commissarius, & personæ ecclesiasticæ præd. nomine nostro, & Sedis Apost. retineantur, pro pastorali solicitudine nostra providere volentes, tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut apud omnes, & singulos, quos opus erit, instes, seduloque cures, ut Archiepiscopus, ac Inquisitor, Commissarius, aliæque personæ ecclesiasticæ prædictæ, tibi tradantur, seu consignentur, eosque Nostro, & Sedis Apostolicæ nomine recipias, & detineas, seu detineri facias, ac illos personæ, seu personis minime suspectis, sed quibus confidere possis, committas, ab eisque de illis tuto, & fideliter nomine prædicto custodiendis, & tenendis juramentum recipias, illosque de loco ad locum, prout Tibi videbitur, & expedire judicaveris, transferas, seu transferri facias; ita tamen, ut eorum custodia, detentio, & translatio hujusmodi, sumptibus, & expensis, ac periculo, & expensis, & risico illorum, quorum jussu, & auctoritate carceribus mancipati, seu aliàs detenti fuerunt, omnino fiat, & fieri debeat.

Necessariasque ad hoc facultates ei tribuit.

§.3. Nos enim Tibi præmissa, aliaque omnia, & singula, quæ in illis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia forent, quæ specificam, & expressam requirerent mentionem

faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, plenam, & amplam facultatem apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Derogat obstantibus.

§.4. Non obstantibus quatenus opus sit fe. re. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictorum Regnorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorũ quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter exptessis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permausuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 16. Decemb. 1641. An. XIX.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Decembris 1641. Pontificatus nostri Auno XIX.

DCXC,

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Vicecollectori in Portugallia absolvendi illos, quorum jussu, opera, & consilio nonnullæ personæ ecclesiasticæ carceribus mancipatæ fuerant.

Dilecto filio Hieronymo Bataglino jurium, & spoliorum Cameræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Vicecollectori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Ministros S.A. a laicis carceri fuisse mancipatos.

§.1. Cum non sine gravi animi nostri molestia Nobis innotuit in istis Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum fuisse prætextu assertorum excessuum, seu delictorum gravium carceratos, aut aliàs detentos auctoritate laicali Ven. Fratrem Archiepiscopum Bracharen., ac Inquisitorem majorem in ipsis Regnis, Commissariumque Sanctæ Cruciatæ, qui sunt nostri, & Apostolicæ Sedis Officiales, aliasque personas ecclesiasticas, inter quas aliquæ in dignitate ecclesiastica, etiam episcopali sunt constitutæ, quarum causarum cognitio juxta Sacros Canones, Sacraque Concilia universalia ad Nos spectat.

Vice Collectori spoliorum facultatē tribuit eos a censuris absolvendi.

§.2. Hinc est, quod Nos illorum, quorum jussu, & facto, Archiepiscopus, ac Inquisitor, & Commissarius, aliæque personæ ecclesiasticæ prædictæ carceribus mancipati fuerunt, seu detineutur, animarum saluti pro paterna nostra charitate consulere volentes, tibi omnes, & singulos, quorum jussu, auctoritate, facto, consilio, auxilio, ope, & opera, dicti Archiepiscopus, Inquisitor, & Commissarius, aliæque personæ ecclesiasticæ prædictæ capti, carcerati, & detenti fuerunt, & sunt, si absolutionem a Te humiliter petierint, ac si, & postquam ipsi Archiepiscopus, Inquisitor, Commissarius, aliæque personæ ecclesiasticæ prædictæ, & eorum quilibet tibi realiter, & cum effectu traditi, seu consignati fuerint, ab Excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, quas propterea incurrerunt, auctoritate nostra in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, & liberandi, plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinatiouibus, ac dictorum Regnorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis babentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 16. Decemb. 1641. An. XIX.

Datum Romæ apud S.Peirum sub Annulo Piscatoris die 16. Decembris 1641. Pontificatus nostri Auno XIX.

DCXCI.

Declaratio, & moderatio facultatum Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Card. Archipresbyterorum, ac Protectorum, & Titularium Ecclesiarum, & locorum piorum Urbis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quamvis Romani Pontifices Prædecessores nostri eorum motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatioue, deque apostolicæ potestatis plenitudine concesserint S. R. E. Cardinalibus Archipresbyteris Ecclesiarum, seu Basilicarum S. Joannis in Laterano, S. Petri, & S. Mariæ Majoris de Urbe facultatem per se ipsos, suosque Vicarios, & Judices cognoscendi, & terminandi omnes, & singulas causas, ac lites, tam active, quam passive motas, & movendas, inter ipsas Basilicas, earumque Capitula, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Cappellanos, aliosque eis inservientes ex una, ne a servitio Basilicarum hujusmodi retrahentur, & quos-

quoscumque alios ex altera partibus privative quoad Vicarium, aliosque Judices Urbis, etiamsi ageretur de obligationibus Cameralibus, & aliàs, prout in eorum literis, & motibus propriis uberius continetur.

Causa hujus Const.

§.1. Nihilominus, ut acceperamus, prætextu prædictarum facultatum, ac privilegiorum in eis contentorum, ipsisque Basilicis, ac illis inservientibus concessorum quidam abusus, etiam tempore Prædecessorum nostrorum irrepserant, in aliorum Tribunalium, & collitigantium præjudicium: Idcirco Congregatio Prælatorum aliàs a Nobis super inhibitionibus, & non gravetur, cursum justitiæ impedientibus deputatorum ad tollendos, & evitandos eosdem, aliosque abusus decrevit, quod iidem Cardinales prædictarum Basilicarum Archipresbyteri, eorumque Vicarii non concederent inhibitiones generales, sed particulares tantummodo citata parte, & juxta terminos earumdem facultatum, & privilegiorum dumtaxat, & aliàs concessæ non servarentur, libereque eis non obstantibus, fieri posset executio, quodque emphyteutæ, inquilini, coloni, affictuarii, & conductores non gauderent privilegiis prædictis, nisi quando ageretur de Interesse Ecclesiæ, & Ecclesia esset in causa. Cumque postmodum experientia rerum magistra compertum fuerit, Nobisque, etiam pluries, occasione Signaturæ Gratiæ innotuerit, ex observantia facultatum, & privilegiorum prædictorum alia Urbis Tribunalia impediri, ac collitigantibus detrimentum fieri, quando non agitur de bonis, juribus, seu redditibus ipsarum Basilicarum, vel quando Canonici, Beneficiati, Clerici, Capellani, aut alii eisdem Basilicis inservientes sunt actores.

Declaratio, ac moderatio facultatum OO. Archipresbyterorum Protectorum Ecclesiarum Urbis.

§.2. Propterea volentes justitiam æqua lance omnibus ministrari, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra Constitutione, perpetua, nedum decreta prædictæ Congregationis confirmamus, & approbamus, supplentes omnes, & singulos defectus, etiam substantiales, si qui in eis quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici possint, sed etiam statuimus, & ordinamus, quod quando agitur de bonis, juribus, seu exigendi redditibus ipsarum Basilicarum, sive Præbendarum, Cappellaniarum, beneficiorum, administrationum, officiorum, seu onerum in prædictis Basilicis existentium, tunc active agendum sit coram eisdem Cardinalibus Archipresbyteris, sive eorum Vicariis, vel Judicibus per eosdem Cardinales deputatis, & pro tempore deputandis: quando autem agitur de aliis bonis, rebus, vel juribus quibuscumque, tunc si Canonici, Beneficiati, Clerici, Capellani, aliique ipsis Basilicis inservientes erunt rei, pariter conveniri debeant coram eisdem Cardinalibus Archipresbyteris, seu eorum Vicariis, vel Judicibus prædictis, etiamsi convenirentur vigore obligationis Cameralis: si vero fuerint actores, tunc prædictis privilegiis non gaudeant, nec possint reos ad forum Cardinalium Archipresbyterorum quoquomodo trahere. Ac insuper, quia ex facultatibus etiam motu, scientia, deliberatione, & potestate paribus, quacumque de causa quantumlibet favorabili, & pia, ac aliàs quomodolibet concessis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Monasteriorum Monialium, Ecclesiarum, etiam Collegiatarum, Collegiorum, Hospitalium, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, seu quorumcumque aliorum locorum piorum de Urbe, illorumque bonorum, rerum, & personarum quarumcumque apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoribus; sive ipsarum Ecclesiarum Titularibus similia impedimenta, damna, & præjudicia nasci, & emergere nedum accepimus, sed etiam comperimus, propterea præfatas ordinationes, & statuta quoad facultates dictorum Cardinalium Archipresbyterorum, ut præmittitur, factas, & facta, in futurum, etiam quoad prædictos Cardinales Protectores, & Monasteria Monialium, Ecclesias, etiam Collegiatas, Collegia, Hospitalia, Confraternitates, Archiconfraternitates, aliaque loca pia de Urbe prædicta, eorumque bona, res, & personas quaslibet ipsis Cardinalibus tam ratione protectionis, quam ratione tituli, ac alias quovis nomine nunc, & pro tempore per Nos, & Romanos Pontifices etiam Successores nostros commissas, & commissa perpetuo in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari volumus, & mandamus.

Clausulæ præservativæ apponit.

§.3. Præsentes quoque literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiamsi Cardinales Archipresbyteri, & Protectores, aliæqua personæ prædictæ, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, aut habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, minusque causæ propter quas præsentes emanarunt adductæ, aut sufficienter, vel etiam nullatenus justificatæ fuerint nullo umquã tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint; aut ex quovis alio capite a jure, vel facto; aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, & tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis, nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidati,

lidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitatinnibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet faciencomprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictos, aliosque Sanctæ Rnmanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus:

Clausula derogatoria.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, regula nostra de jure quæsito non tollendo, & quibusvis aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac piæ mem. Pii Papæ IV. etiam prædecessnris nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus infra certum tunc expressum tempus in ea præsentandis, insinuandis, & registrandis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam, quatenus opus sit, ipsarum Ecclesiarum, seu Basilicarum, Monasteriorum, Collegiorum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis ipsis Ecclesiis, seu Basilicis, illarumque Cardinalibus Archipresbyteris, sive eorum Vicariis, ac Monasteriis, Collegiis, Confraternitatibus, Archiconfraternitatibus, Hospitalibus, & aliis locis piis præfatis, necnon eisdem Cardinalibus, Monasteriorum, Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum prædictorum Protectoribus, & aliis personis prædictis, sub quibusvis verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium, & singulorum tenores, etiam majores, & veriores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

Datum die 23. Decemb. 1641. An. XIX.

DCXCII.

Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci de observantia, & Reformatis Regni Franciæ eque jus tribuitur laicos ad Tertiariorum habitum admittendi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs per tunc existentem Tertii Ordinis S. Francisci de Pœnitentia reformatorum nuncupatorum Regni Franciæ Procuratorem Generalem fe. re. Paulo PP. V. Prædecessori nostro exposito, quod quondam Joannes del Hierre Ordinis Fratrum minorum S. Francisci de observantia, etiam nuncupat. dum viveret Minister Generalis, habita notitia, quod nonnullæ summa pietate fulgentes personæ in Regno Franciæ existebant, quæ ad imitationem S. Ludovici, & S. Ivonis ejusdem Nationis ad tertiam Regulam S. Francisci pro secularibus a re. me. Nicolao PP. IV., etiam Prædecessore nostro editam recipi desiderabant, dictus Joannes Minister Generalis piis illorum votis volens annuere, ex indulto sibi a Sede Apostolica concesso per suas patentes Literas plenariam, & omnimodam potestatem Provinciali, omnibusque Guardianis domorum Fratrum dicti Tertii Ordinis S. Francisci Reformatorum ejusdem Regni Franciæ concesserat, ut quascumque utriusque sexus personas ad observationem Regulæ dicti Nicolai Prædecessoris, juxta ejusdem Ordinis statuta, recipere, vestire, regere, & congregare libere, & licite possent, & valerent, & si eatenus aliquæ a dictis Fratribus factæ fuissent receptiones hujusmodi personarum, tamquam validas confirmaverat, & approbaverat, ac insuper Provinciali, & Guardianis prædictis potestatem plenam concesserat, ut quibuscumque personis de sua Congregatione benemeritis, quæ ipsius bonorum spiritualium omnium participes fieri desiderabant, literas filiationis nuncupatas impendere possent; prohibueratque etiam Fratribus dicti Ordinis S. Francisci de observantia, ne quempiam habitu Tertiariorum, absque dicti Provincialis consensu, vestirent, vel eos recipe-

rent,

rent, sed tantum liceret eidem Provinciali, & superioribus prædictis eosdem vestire, & recipere; Idem Paulus Prædecessor supplicationibus ejusdem Procuratoris Generalis sibi desuper porrectis inclinatus, prædictas concessiones, & desuper expeditas literas patentes dicti Joannis Ministri Generalis confirmavit, ac tunc, & pro tempore existentibus Provinciali omnibusque Guardianis domorum Fratrum dicti Tertii Ordinis S. Francisci Reformatorum ejusdem Regni Franciæ, ut quascumque utriusque sexus personas ad observationem regulæ per dictum Nicolaum Prædecessorem, ut præfertur, editæ juxta statuta prædicta recipere, & ad habitum in dicta Regula descriptum admittere, & personæ sic admissæ omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, quibus in aliis Regnis, & Provinciis ad habitum hujusmodi admissi de jure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utebantur, potiebantur, & gaudere poterant quomodolibet in futurum similiter, & pariformiter, quoad exemptionem tantum juxta præscriptum Lateranensis Concilii ultimo loco celebrati, uti, potiri, & gaudere, liberè, & licite possent, & valerent concessit, & aliàs prout in ejusdem Pauli Prædecessoris in simili forma Brevis die decimaquarta Martii 1613. desuper expeditis literis, quarum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

Fratres de Observ. exponunt hujusmodi Tertiarios sibi semper fuisse subjectos.

§.2. Cum autem, sicut Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ignatii le Gault Commissarii Generalis, ac Ministrorum Provincialium, aliorumque fratrum minorum dicti Ordinis S. Francisci de Observantia ejusdem Regni Franciæ expositum fuit, jam inde ab exordio dicti Ordinis S. Francisci numquam dubitatum, vel controversum fuerit, quin fratres ejusdem Ordinis Sancti Francisci de observantia jus, potestatem, & usum dandi personis secularibus habitum dicti Tertii Ordinis a Sancto Francisco instituti, eorumque curam spiritualem gerendi habuerint, quinimo ipsi fratres dicti Tertii Ordinis in communi viventes juxta Regulam a piæ me. Sixto PP. IV. etiam Prædecessore nostro approbatam sub cura, & regimine Fratrum Minorum prædictorum semper extiterint, ac juxta similis me. Clementis VIII., & ejusdem Pauli V. Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, & nostras in simili forma brevis literas universi Fratres dicti Tertii Ordinis S. Francisci in communi viventes, & in Regno prædicto existentes Ministro, necnon Commissario in eodem Regno Generalibus ejusdem Ordinis S. Francisci de observantia subsint, Paulique Prædecessoris hujusmodi literæ Fratribus Minoribus prædictis, neque citatis, neque auditis emanaverint; Nobis propterea pro eorumdem Commissarii Generalis, ac Ministrorum Provincialium, & Fratrum prædictorum parte fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere de benignitate apost. dignaremur.

Urbanus declarat per Pauli V. Literas nullum jus Fratribus ... fuisse derogatum.

§.3. Nos igitur Exponentes prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, per primodictas Pauli Prædecessoris prædicti literas non fuisse, nec esse sublatum Fratribus Minoribus dicti Ordinis Sancti Francisci tam de observantia, quam Reformatis, seu Recollectis ejusdem Regni Franciæ jus, & facultatem quibus huculque usi sunt tradendi, & exhibendi personis in seculo viventibus habitum Tertiariorum hujusmodi apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus, & quatenus opus foret, iisdem Fratribus Minoribus jus, & facultatem hujusmodi confirmamus.

Clausulas addit.

§.4. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Obstantibus derogat.

§.5. Non obstantibus prædictis Pauli Prædecessoris prædicti literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisrisque contrariis quibuscumque.

Datum die 25. Januar. 1642. An. XIX.

Dat. Romæ apud S. Petrũ sub annulo &c. die 25. Jan. 1642. Pont. nostri An. XIX.

DCXCIII.

Prohibitio ne in Ecclesiis Civitatis, & Diœcesis Hispalen. fumatur Tabbaccum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cum Ecclesiæ Divino cultui dicatæ Domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, merito Nos, quibus cunctarum per Orbem universum Ecclesiarum cura a Deo commissa est, advigilare convenit, ut ab eisdem Ecclesiis quicumque actus profani, & indecentes procul arceantur; Itaque cum sicuti pro parte dile-

dilect... um filiorum Decani, & Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalen. Nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus sumendi ore, vel naribus Tabaccum vulgo nuncupatum usus adeo invaluerit, ut utriusque sexus personæ, ac etiam Sacerdotes, & Clerici tam seculares, quam regulares clericalis honestatis immemores, illud passim in Civitatis, & Diœcesis Hispalen. Ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam sacrosanctum Missæ sacrificium celebrando sumere, linteaque sacra fœdis, quæ Tabbaccum hujusmodi proiicit excrementis conspurcare, Ecclesiasque prædictas tetro odore inficere magno cum proborum scandalo, rerumque sacrarum irreverentia non reformident.

Usum Tabaci in Ecclesiis prohibet Pont. sub excommunicationis latæ sententiæ pœna.

§. 1. Hinc est, quod Nos, ut abusus tam scandalosus ab Ecclesiis hujusmodi prorsus eliminetur, pro pastorali nostra sollicitudine providere, ac Decanum, & Capitulum præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum Decani, & Capituli Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis, utriusque sexus personis, tam secularibus, quam ecclesiasticis, etiam cujusvis Ordinis, instituti, ac Militiarum, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumlibet privilegiatis, & exemptis, etiam speciali nota, & expressione dignis, ne de cætero in quibusvis Civitatis, & Diœcesis prædictarum Ecclesiis, earumque atriis, & ambitu Tabaccum, sive solidum, vel in frusta concisum, aut in pulverem redactum ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, & aliàs quomodolibet sumere audeant, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ eo ipso absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrendæ pœna, auctoritate apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Executores deputat.

§. 2. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiscopo Damiaten. moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus quatenus per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, solemniter publicans, faciat illas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet, & rebelles, ac prohibitioni hujusmodi non parentes per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, apellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, necnon Ecclesiarum prædictarum, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum regularium, ac Militiarum, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, vel alicui conjunctim, vel divisim sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 30. Januar. 1642. An. XIX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Januarii 1642. Pontificatus nostri, Anno XIX.

DCXCIV.

Declaratio circa exactionem taxæ Collegio Subdiaconorum Sedis Apostolicæ assignatæ ratione provisionum Ecclesiarum Palliis insignitarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Sixtus V. volens circa taxam, de qua in Rub.

§. 1. Dudum felicis recordationis Sixtus Papa V. prædecessor noster, ex certis tunc rationabilibus causis adductus, & abusibus, & scandalis, quæ circa exactionem taxæ emolumentorum ratione Ecclesiarum Palliis insignitarum Collegio Subdiaconorum Apostolicorum de numero participantium debitorum irrepserant, cum interdum emolumenta ipsa iidem Subdiaconi, etiam per retentionem Palliorum perciperent, opportunum remedium adhibere volens, sub datum videlicet Nonis Decembris Pontificatus sui Anno Secundo, Motu suo proprio per eum habita consideratione, quod Romani Pontifices taxas, & emolumenta hujusmodi, tamquam primitias fructuum inferioris Ecclesiæ vacantis pro stipendiis officialium

lium Sedis Apostolicæ, & conservatione universalis Ecclesiæ militantis assignaverant, tunc, & pro tempore existentibus Subdiaconis prædictis, quod de quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, & Metropolitanarum, vel aliàs de jure, consuetudine, aut privilegio Palliis hujusmodi insignitarum, etiam titularium, etiam in partibus infidelium existentium fructibus, in literis super earum provisionibus imposterum conficiendis, expressis, & taxatis, quinque florenos auri pro quolibet centenario ipsos Subdiaconos de numero participantium tantum, juxta eorum constitutiones, seu consuetudines dividendos, & distribuendos, cæteraque jura, & emolumenta percipere, & exigere libere, & licite possent, plenam, & liberam licentiam, & facultatem apostolica auctoritate perpetuo concessit, ac tunc, & pro tempore existentibus plumbi Collectoribus, seu Plumbatoribus Apostolicis, sub ducentorum ducatorum ipsis Subdiaconis pro una, & pro altera medietatibus piis locis arbitrio suo applicandorum pœna commisit, & mandavit, ne postea literas quascumque super hujusmodi Ecclesiis expeditas, vel expediendas plumbarent, aut plumbatas partibus restituerent, nec restitui permitterent, nisi prius de summa singulorum quinque florenorum pro quolibet centenario hujusmodi eisdem Subdiaconis foret integre satisfactum, & de satisfactione constaret per chirographum Receptoris dictorum Subdiaconorum, sive eorum Decani, vel Prodecani manu signatum, vel per appositionem manus ejusdem in literis præfatis loco congruo, ad instar cæterorum officialium similes taxas habentium, & exigentium.

§.2. Voluit autem dictus Sixtus Prædecessor, & districtius prohibendo mandavit, ne ipsi Subdiaconi ultra dictam taxam pro sustentatione, ac dote dictorum Officialium percipi solitam, cæteraque jura, & emolumenta consueta prædicta, quicquam aliud pro ipso Pallio, neque ratione confectionis, benedictionis, sive traditionis ejusdem exigere, aut accipere, sub quingentorum ducatorum ipsis Ecclesiis, a quibus accepissent, pro una, & pro altera medietatibus, locis piis arbitrio pro tempore existentis Romani Pontificis applicandorum pœna auderent, seu præsumerent, & aliàs, prout in cedula motus proprii ejusdem Sixti prædecessoris, sub Datum nonis Decembris, Pontificatus sui anno secundo, & in Literis Apostolicis desuper per piæ mem: Gregorium XIV. etiam prædecessorem nostrum, cum ipse Sixtus antequam ejus literæ desuper confacerentur, sicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, confectis plenius continetur.

Nihilominus novi abusus circa taxam præfatæ exactionis sunt orti.

§.3. Cum autem sicut Nobis nuper innotuit, etiam post literas hujusmodi antiqui perduraverint, vel novi abusus circa exactionem taxæ præfatæ Subdiaconorum, & forsan peiores prioribus irrepserint, & propterea officii nostri partes esse existimemus hujusmodi abusibus, ne ulterius etiam cum non modico fidelium scandalo serpant, opportunum remedium adhibere, Motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Congregationis quorumdam Prælatorum per nos desuper ad id in specie deputatorum, easdem cedulam Sixti, & literas Gregorii prædecessorum prædictorum, hac nostra Constitutione perpetua, ut infra declaramus, & ab omnibus deinceps inconcusse observari mandamus, videlicet.

Quibus remedium adhibeat Pont. hac sua Const.

§.4. Quod Subdiaconi præfati nunc, & pro tempore existentes non solum sub eisdem pœnis inflictis & cominatis, sed etiam sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, & privationis Subdiaconatuum, & aliorum per eos obtentorum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet ipso facto, absque alia declaratione, & citatione incurrendis, & aliis arbitrio Romani Pontificis pro tempore infligendis pœnis taxam ad rationem quinque florenorum pro quolibet centenario eis, ut præfertur, assignatam in tot ducatis auri de Camera, prout alii Officiales Cancellariæ, & Cameræ Apostolicarum participantes earum ratas respective recipiunt, & exigunt, & non quidem pro ipso Pallio, seu occasione Pallii, vel ratione confectionis, benedictionis, propositionis, sive traditionis ejusdem Pallii, sed dumtaxat, ut præfertur in actu expeditionis Literarum Apostolicarum super provisionibus Ecclesiarum Palliis insignitarum, licet ante, vel post traditionem ipsius Pallii expediantur, & quod eas, quæ in partibus infidelium consistunt, & nullos redditus habent, nihil omnino: quo vero ad eas, quæ in dictis infidelium partibus consistunt, & aliquos redditus habent, ad ratam quantitatis redditiuum, & quoad eas, quarum taxæ per speciale mandatum Romani Pontificis, pro tempore existentis perpetuo, vel ad tempus ad minorem summam reducuntur juxta reductionem, & quoad numeros, qui ad centum non ascendunt, ad taxam numerorum hujusmodi respective dumtaxat, & nihil ulterius, etiam a sponte dantibus, & offerentibus exigant, & recipiant, aut exigere, & recipere præsumant, & ad hunc effectum pro perpetua, & inconcussa præsentium, & contentorum in eis observatione commissionem, & mandatum Plumbi Collectoribus, sive Plumbatoribus, necnon prohibitionem dictis Subdiaconis per dictas cedulam Sixti, & literas Gregorii prædecessorum, ut supra factam, pœnasque in eis contentas, ad quarum exactionem manu regia, & via exequutiva, nulla prævia citatione procedi posse volumus, per easdem præsentes innovamus.

Clausula præservativa.

§.5. Decernentes easdem præsentes de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut inten-

intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, notari, vel impugnari, aut ad viam, & terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari numquam posse.

Clausula sublata.

§.6. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra regula de non tollendo jure quæsito, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Collegij Subdiaconorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam antiquissimis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, necnon aliis, quæ idem Sixtus, & Gregorius prædecessores præfati voluerunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idē importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris latissime, ac plenissime ad effectum præmissorum specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 7. Februar. 1642. An.XIX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 7. Februarij 1642. Pontificatus nostri Anno decimonono.

DCXCV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmantur nonnulla antiqua Decreta, & statuta a Notariis Auditoris Cameræ, pro bono gubernio Tribunalis dicti A.C., & substitutorum renovata.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Notarii quædam antiqua statuta renovant, & jurejurando firmant.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Notarii Tribunalis Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditoris, quod ipsi pro felici dicti Tribunalis, suorumque juvenum, & substitutorum gubernio, atque etiam pro bono publico cum interventu, & præsentia ipsius Cameræ Apostolicæ generalis Auditoris nonnulla decreta, & statuta antiqua renovarunt, ampliarunt, & inter se medio Juramento stabiliverunt tenoris subsequentis videlicet.

Die Jovis 5. Mensis Decembris 1641.

Referuntur hujusmodi statuta.

Fuit habita Congregatio in Palatio Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Octaviani Raggii **A.C.** & coram Dominatione sua Illustrissima, ac per Illustre, & Reverendo Domino Antonio Francisco Ruberto ejus Auditore heri pro hodie intimat. in qua interfuerunt infrascripti.

DD. Sanctes Floridus Decanus, Augustinus Thuclus, Gaspar Columna, Adrianus Gallus, Franciscus Jacobus Belgius, Dominicus Burattus, Alexius Chrisostomus, Sebastianus Pasquettus, Antonius Raynaldus, & in eadem Congregatione fuit propositum per Dominum Sanctem Floridum Decanum, quod in Collegio Notariorum A.C. ab antiquissimo tempore fuit pluries decretum, quod sine licentia Congregationis Notariorum substituti, & alii Juvenes recedentes ab aliquo officio non recipiantur ad servitia alterius Notarii, nisi servatis certis conditionibus in dictis decretis expressis, & contentis, quæ quidem decreta habentur in priori libro rubeo fol. 32. & folio 200. & in libro 2. rubeo sub fol. 1. & 41. Verum quia dicta decreta, vel propter injuriam Notariorum, vel aliis de causis non observantur ad unguem, & multum expedit, tam pro publica utilitate, quam pro bono regimine dicti Collegii, ut illa, & illorum ampliationes, & extentiones serventur.

Idcirco institit Dominationi suæ Illustrissimæ pro innovatione, & confirmatione dictorum decretorum, & illorum extensione, innovatione, & ampliatione. Qua propositione audita dictus Illustrissimus Dominus Auditor Cameræ mandavit legi dicta decreta, ac illarum innovationes, & extensiones, prout alta, & intelligibili voce lectæ fuerunt, quibus perlectis, & bene consideratis, fuerunt per Dominationem suam Illustrissimam dicta decreta, cum omnibus suis ampliationibus innovata, & confirmata, annuentibus, & consentientibus omnibus supradictis Notariis sub pœnis in illis contentis, & aliis Dominationi suæ Illustrissimæ, & aliis A.C. pro tempore existentibus benevisis, ac propterea mandavit, prædictos Notarios præsentes dictæ Cogregationi jurare super observatione dictorum decretorum, & illorum ampliatione, & extensione, & dictum Juramentum in manibus Dominationis suę Illustrissimæ præstari perpetuo tactis &c. jurarunt, & præstaverunt &c. Quoad absentes vero mandavit eidem Domino Decano, quod intra triduum recipere debeat simile juramentum de observandis dictis decretis, & dicti Juramenti Instrumentum confici, & hæc omnia in libro decretorum tribunalis registrari mandavit. Præsentibus in Palatio supradicto positum in Platea Capranicæ, & coram Dominatione sua Illu-

Illustrissima infrascriptis Testibus: Illustrissimo, & Excellentissimo Domino, Jacobo Angelutio Filio quondam Simonis Desduesia Spoletanæ Diœcesis, & Illustrissimo, & excellentissimo Domino Juliano Laureto Filio quondam Francisci Sabino &c. Tenor vero supradictorum decretorum est infrascriptus.

Decretum, quod sine licentia nostræ Congregationis Substituti, & alii Juvenes non recipiantur.

Collegium Notariorum A. C. auditis non sine maxima molestia in diversis suis Congregationibus, variisque querelis propositis in Substitutis, & Juvenes quosdam in nostris Officiis inservientes, & cognitis ab experto ipsarum querelarum eventibus qui fuerint, & quale præjudicium intulerint, & de præsenti respective inferant nedum Antecessoribus nostris, sed & aliis, nobisque, & universo tribunali nostro, & cognito etiam, quod malorum omnium radix, & multorum irreverentia, & inobedientia erga Dominos, nonnullorumq; aliorum ex nimia lucri cupiditate, aliorumque modica negligentia, & mala vivendi prava consuetudine, aut ex eorum malis moribus, & licentiosa vita ortum habuit.

Volensque, quoniam unusquisque rerum suarum est moderator, & arbiter, præcavere, ne in similia vel forsan majora iidem, & alii pro tempore existentes in nostris officiis prolabantur, & in tam grandi familia, quæ fere numerum centum, & quinquaginta personarum superat remedia adhibere opportuna, qualia experientia ipsa, tamquam rerum magistra docuit, ipsamque familiam Deo adjuvante reformare, aliaque bene, & recte instituere, ad suam, & communem omnium aliorum utilitatem.

Ex prædictis igitur, & aliis justis, & rationabilibus causis, re prius in pluribus Congregationibus mature discussa innovavit decretum ejusdem Collegii antequam de substitutis disponens de quo in præcedenti libro, rubeo appellat. fol. 200. habetur, & illius ampliationem in eodem lib. fol. 32. a nostris Antecessoribus provide factam. Et illis salvis decrevit, quod occurrente in futurum aliquando recessu alicujus ex substitutis, & aliis Juvenibus, ex aliquo officiorum nostrorum servari debeat sine difficultate, & contradictione aliqua nedum dispositio dicti statuti, & illius confirmationis, sive ampliationis prædictæ, verum etiam antequam recipiatur in aliquo officio proponi a Notario debeat, a quo recessit tamquam de illius vita, & moribus informato in plena ipsius Collegii Congregatione, si ille ad Tribunal redire voluerit causam talis recessus, ut Congregatio ipsa illum cognoscat, & declaret, etiam bene vel male meritum de ipso tribunali, & an in eo de novo sit ille admittendus, vel non, & sine Congregatione prædicta, & licentia integræ Congregationis recipi ab aliis non possit, & ita perpetuo statuit, decrevit, & observare promisit, & juravit sub pœnis in antiquis statutis expressis, & contra illos privationis mensariatus, & conclavistatus aliorumque officiorum ipsius Collegii usquequo paruerint.

Datum in plena Congregatione habita in Domo Domini Ovidii Erasmi nostri Connotarii, ac moderni Mensarii, & Decani die 3. Aprilis 1587.

Ovidius Erasmus mensarius, & Decanus, Joannes Jacobus de Fabiis Notarius, Franciscus Masiuus Notarius, Marcus Antonius Brutus Notarius, Scipio Grimaldus Notarius, Joannes Carpanus Notarius, Hieronimus Fabirus Notarius, Joannes Franciscus Ugolinus Notarius, Mauritius Buccarinus Notarius, Guidus Argenti Notarius.

Tenor vero Decreti antiqui disponens de substitutis, de quo in lib. rubeo appellato sub fol. 200. talis est videlicet.

De Substitutis.

Aliquis Notarius, de copistis, & substitutis alterius se non impediat illos avertendo a servitiis ejus, cum quo stant, & alliciendo ad servitia sua, nec recipiendo illos ad se, si non decesserint a Notario, ad cujus servitia fuerunt prius cum bona licentia, vel saltem steterit per unum annum extra Tribunal. Et si contigat aliquem Notarium contravenire præsenti statuto in substituto privetur turno ordinariarum Commissionum, si in Copista privetur turno appellationis ordinariarum per sex menses, & nihilominus teneatur dimittere talem Copistam, vel substitutum ab ejus officio, & si requisitus non expulserit privetur, & ex tunc privatus existat omnibus turnis per annum, & Mensarii pro tempore distribuentes talibus commissionem aliquam suo salario privati existant, & erescat pœna tam ipsius mensarii, quam dicti Notarii contrafacientis pro contumacia, quam fieri contingat, arbitrio sociorum.

Die 15. Octobris 1641.

Fuit habita Congregatio in Domo Domini Sanctis Floridi Decani heri, pro hodie intimata, in qua interfuerunt omnes præter DD. Fontiam, & Gallum ab Urbe absentes, & in ea fuit collegialiter resolutum decretum, & statutum ut infra videlicet.

Quoniam experientia compertum est quod nonnulli Juvenes, & substituti Tribunalis nostri parum, aut nihil curantes monitiones, & præcepta Dominorum cum quibus degunt, & morantur, etiam illi, qui permanent, ut dicitur, ad rogitus, sine victu, salario, & domicilio, aut alias quomodolibet in longum protrahunt extensiones Instrumentorum, per eos eorum nomine, & in eorum respective officiis rogatorum, & quotidie excrescit illorum irreverentia, & inobedientia erga eosdem Dominos, quod plerumque accidit, & ori-

oritur, ex eorum malis moribus mala vivendi consuetudine, & licentiosa nimis vita, & sæpe etiam ex nimia facilitate nonnullorum Dominorum officiorum in recipiendis in eorum officiis dictis Substitutis, & Juvenibus recedentibus ab aliquo officio contra formam, & dispositionem tam antiquorum, quam modernorum statutorum Tribunalis.

Volens propterea Collegium Notariorum A. C. opportuna præmissis adhiberi remedia, ipsosque Substitutos, & Juvenes reformare ad suam, & omnium utilitatem, maxime vero publicam, negotio hujusmodi in diversis Congregationibus mature discusso licet jam in admissionem cujuslibet Notarii fuerit juratum per quemlibet statuta, consuetudines, & decreta Collegii inviolabiliter observari, nihilominus ne dicta statuta absoluta esse videantur hoc præsenti perpetuo valituro decreto innovarunt omnia antiqua statuta, & decreta Collegii de Substitutis, Juvenibus, & Copistitis disponentia quæ habentur in lib. priori rubeo sub foliis 32. & 200., & in posteriori libro sub fol. primo jam pridem a nostris Antecessoribus consulte facta, & hic ad majorem corroborationem denuo inserta Tenoris &c.

Quæ quidem decreta, & statuta perpetuo observari decreverunt, & cum Juramento promiserunt sub pœnis in illis contentis, & ulterius ducatorum vigintiquinque auri de Camera per contravenientes solvendorum, & aliis destribuenda, & sic se subscripserunt in fidem &c.

Petitur apostolica confirmatio.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat præfati Notarii decreta, & statuta hujusmodi pro illorum firmiori subsistentia, & observatione apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent.

Conceditur.

§. 3. Nos eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus, illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, decreta, & statuta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenirint supplemus.

Clausulæ.

§. 4. Decernentes illa, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit inviolabiliter observari, ipsisque Notariis plenissime in omnibus, & per omnia suffragari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ipsumque etiam Cameræ prædictæ Auditorem generalem, & quosvis alios quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, quibusvis aliis Collegii eorumdem Notariorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Datum die 15. Februar. 1642. An. XIX.

DCXCVI.

Decreta nonnulla edita in Definitorio Provinciæ S. Francisci Galliæ Fratrum Ordinis S. Francisci Recollectorum extenduntur ad omnes d. Regni Provincias.

Ex Regest. in secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Alias hi Fratres jura [illegible] Provinciæ relata hoc modo dirigi petierunt.

§. 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum Fratrum Definitorii Provincialis Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupator. Provinciæ Sancti Francisci in Gallia Nobis exposito, quod in dicto Definitorio ordinatum fuerat, ut jura Patrum dictæ Provinciæ regularentur modo sequenti, videlicet. Primo gaudebunt ubique etiam in Capitulo, & Congregationibus quibuscumque præcedentia, & titulis Patrum Provinciæ juxta statuta generalia, & Provinciæ. Secundo, erunt perpetui discreti ad quæcumque Capitula Provincialia convocandi, in quibus habebunt votum activum, & passivum, sicut cæteri vocales in omnibus si adesse voluerint. Tertio, Exprovincialis finito triennio sui Provincialatus, ad omnes Definitorii Congregationes, & Congregationem intermediam vocabitur, & accedet, ibidemque, sicut cæteri Definitores, suffragabitur usque ad sequentis ministri creationem inclusive; elapso vero hoc Exprovincialis triennio nullum jus ad ingrediendum definitorium, sicut nec cæteri Patres Provinciæ obtinebit. Quarto, omnibus privilegiis, quibus Definitorii Patres juxta statuta Provin-

vinciæ gaudent, & quandocumque gaudebunt, solo ingressu excepto, plenarie potientur, aliisque, quibus antea potiebantur.

Quod ab iis habito fuit præcipitur.

§.2. Ipsique Exponentes præmissa per Nos confirmari cupiebant; Nos de Ven: Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium præpositorum consilio, ordinationes prædictas apostolica auctoritate confirmavimus, & aliàs, prout in nostris in simili forma Brevis Literis de Anno 1634. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Eamdem methodum ad cæteras Regni Galliæ Provincias extendi petunt.

§.3. Cum autem, sicut iidem Fratres Recollecti dicti Regni Nobis nuper exponi fecerunt, subinde Ordinationes hujusmodi, sic per Nos confirmatæ, nedum in prædicta S. Francisci Provincia observatæ, sed etiam in duabus Congregationibus aliis, seu nuper Parisiis, & Nivernis per Patres Recollectos Provinciarum Regni Franciæ celebratis per Statutum receptæ, executionique demandatæ, & sic dissentiones, & querimoniæ eatenus exortæ in præfatis Fratrum Recollectorum dicti Ordinis Provinciis ejusdem Regni circa dicta Patrum Provinciarum privilegia, consopitæ, terminatæque, necnon pax, & uniformitas iisdem Provinciis reddita fuerint, Nobis propterea, denuo nedum pro parte prædictorum Provinciæ ejusdem S. Francisci, sed etiam omnium aliorum Præfatorum Patrum Recollectorum dicti Regni humiliter supplicatum fuit, ut pro bono pacis, & uniformitatis inter ipsos, præfatas nostras literas ad omnes, & singulas eorumdem Fratrum Recollectorum Provincias dicti Regni extendere, & aliàs, ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Præstat Pont.

§.4. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectū præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatas nostras Literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, ad omnes, & singulas Fratrum Recollectorum dicti Ordinis Provincias in eodem Franciæ Regno, apostolica auctoritate, tenore præsentium, extendimus.

Aliud vero Statutum, ex quo controversiis datur occasio.

§.5. Et insuper, cum sicut Nobis innotuit, occasione cujusdam Statuti inter alia in ultimo generali dicti Ordinis Capitulo de anno 1639. celebrato editi, & per quasdam alias nostras in eadem forma Brevis Literas de eodem anno emanatas confirmati, Patribus Recollectis dicti Ordinis ejusdem Regni desuper inauditis, quo nedum Exprovinciali, sed etiam Patri Provinciæ digniori ingressus in Definitorium conceditur, quamplures de novo lites, & controversiæ in præfatis Fratrum Recollectorum dicti Regni Provinciis exortæ sint, nullaque in eisdem Provinciis obtinendæ pacis, & tranquillitatis spes affulgeat, immo maxima relicta sit occasio de majoribus, quam antea dissentionibus dubitandi.

Cassat, & irritat.

§.6. Nos præmissis pro nostra pastorali sollicitudine occurrere volentes, præfatum Statutum, seu dicti Capituli Generalis indultum, quod videlicet Exprovincialis, & Pater Provinciæ dignior Definitorium ingredi possint, quoad præfatas Fratrum Recollectorum dicti Ordinis Provincias ejusdem Regni, auctoritate, & tenore prædictis revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocato, casso, & nullo haberi volumus, & declaramus.

Clausulas addit.

§.7. Decernentes præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædicto, & quibusvis aliis Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.9. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 20. Februar. 1642. An. XIX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Quod

Nos enim tibi desuper plenam, & amplam earumdem, tenore præsentium facultatem concedimus, & impertimur.

Contrariorum derogatio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Principatus, & Comitatuum hujusmodi, illorumque Civitatum, Locorum, & Ecclesiarum quarumcumque, aliorumque Regnorum, Provinciarum, Civitatum, & Locorum quorumcumque, & quibusvis aliis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, & usibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 28. Februar. 1642. An.XIX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 28. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

DCXCIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Patriarchæ Constantinopolitano, & Archiepiscopo Damiaten. Nuncii Hispaniarum exercendi suum munus, etiam extra Regna Hispaniarum, quatenus ex ipsis Regnis expellantur, vel discedere cogantur.

Ven. Fratri Joanni Jacobo Patriarchæ Constantinopolitano nostro, & Apostolicæ Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, & Hispaniarum Regna cum potestate Legati de Latere Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Causa concedendæ facultatis.

§.1. CUm Nos nuper te nostrum, & Apostolicæ Sedis cum potestate Legati deLatereNuncium, ad charissimum in Christo filium nostrum, Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, & Hispaniarum Regna miserimus, ubi resedit, & nunc residet Ven. Frater Cæsar Archiepiscopus Damiaten. eamdem Nunciaturam exercens; Idcirco volentes casibus contingibilibus providere, quatenus indebite, scilicet inimico homine Zizania disseminante, accideret, quod Deus avertat, fraternitatem tuam non recipi, & prædictum Cæsarem, aut etiam post suam receptionem, utrumque vestrum a prædictis Regnis expelli, aut aliis te, quominus commissum tibi munus, & facultates tibi a Nobis concessas libere exerceas, quomodolibet impediri, considerantesque quam graviter ex præmissis, si fierent, nostra, & dictæ, Sedis auctoritas læderetur, quantumque debitæ Nobis, & eidem Sedi obedientiæ, & reverentiæ detraheretur, & pastoralis officii nostri esse duximus, in prædictis casibus, licet plane incertis, & quos vix suspicamur, de illis providere remediis, per quæ nostra, & dictæ Sedis dignitas, & auctoritas sarta tecta conservetur, & tamen ipse Cæsar, quam tu muneribus vobis commissis fungi valeatis, & quilibet vestrum valeat, unus alterum adjuvando, & alter alteri supplendo, ac violentias alteri vestrum inferendas vindicando, jurisque remediis opportunis propullando.

Facultas, de qua in Rubr.

§.2. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tam eidem Cæsari, cujus facultates aliàs perNos sibi concessas in quolibet prædictorum eventuum, ad infrascriptum effectum dumtaxat durare volumus, quam etiam fraternitati tuæ, & cuilibet vestrum insolidum per præsentes committimus, & mandamus, ut etiam extra Regna prædicta, & ubivis locorum, & in quacumque aliena Provincia, Civitate, Diœcesi, & jurisdictione, ubi eumdem Cæsarem, ac te pro tempore, etiam iter agendo, seu transeundo existere, seu morari contigerit, etiam non requisito Ordinario, Episcopo, Diœcesano, Metropolitano, Primate, & quocumque alio cujuscumque ordinis, status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam ecclesiasticæ, ac specialinota, & individua expressione digno, nullaque petita, nec obtenta ab iis, nec a quibusvis aliis licentia nedum omnes & singulas facultates eidem Cæsari, & tibi per Nos concessas in subditos tuæ, & illius jurisdictioni ratione muneris Nuncii hujusmodi non secus acsi in dictis Regnis, & locis solitæ Nunciorum Sedis Apostolicæ ad eadem Regna residentiæ existeretis libere exerceas, & dictus Cæsar exerceat, sed etiam in quosvis alios, etiam extra prædicta Regna commorantes, quorum facto, ope, consilio, auxilio, opera, jussu, & auctoritate tibi ingressus in dicta Regna denegari, aut te, ut par est, non recipi, vel postquam ingressus, & receptus fueris, aut aliàs in muneris Nuncii hujusmodi, & facultatum prædictarum libero exercitio quomodolibet impediri, aut te, ac prædictum Cæsarem, seu alterum vestrum a prædictis Regnis eiici, seu expelli, seu etiam ad inde discedendum cogi contigerit quicumque, & quoscumque sint, ac quantumvis privilegiati, exempti, qualificati, specialique, & individua expressione digni existant, omnibus, & singulis remediis, tam conjunctim, quam divisim, ac etiam ex officio, seu per inquisitionem, etiam summarie, simpliciter, & de plano sine figura, & strepitu judicii, sola facti veritate inspecta, ac omni, & quacumque appellatione remota, procedas, & respective procedat, sententiasque, censuras, & pœ-

& pœnas ecclesiasticas ad tui, & dicti Cæsaris defensionem, ac violentiarum, & injuriarum, quas vobis, & cuilibet vestrum forsan inferri contigerit, ut præfertur, propulsationem, & vindictam non solum extrajudicialiter, sed etiam judicialiter procedendo infligas, & fulmines, ipseque Cæsar infligat, & fulminet, inflictasque, & fulminatas, etiam a jure, & Constitutionibus Apostolicis, contra similia audentes, & perpetrantes uterque vestrum declaret, & denunciet, aggravetque, & reaggravet, aliaque in præmissis quomodolibet necessaria, & opportuna faciat, dicat, gerat, decernat, exequatur, & exequutioni demandari curet, toties quoties opus erit vel cuilibet vestrum videbitur, etiamsi mandatum magis speciale, & individuam mentionem requirerent, necnon quæcumque interdicta ecclesiastica, tam personalia, quam localia, seu mixta in una, seu pluribus Civitatibus, & Terris, seu locis; ac etiam in omnibus, & singulis Regnis prædictis, & in ipsa Cappella Regia Regnorum hujusmodi, cessationemque a divinis decernas, & ponas, ac dictus Cæsar decernat, & ponat: Nos enim ad præmissorum effectum, plenam, amplam, & sufficientem facultatem utrique vestrum desuper tribuimus, & impertimur, cum facultate deputandi ubique alium, seu alios cum simili, vel limitata facultate, prout cuilibet vestrum videbitur ad faciendum, gerendum, & exequendum omnia, & singula prædicta, ac alia, quæ vobis, & vestrum cuilibet videbuntur, quæ erunt quomodolibet necessaria, & opportuna, illumque, & illos mittendi, ad Civitates, Terras, & loca quæcumque vobis benevisa tam intra, quam extra prædicta Regna consisten. etiam cum facultatibus citandi prædictos, omnesque alios etiam per edictum publicum in valvis Ecclesiæ Majoris illius Civitatis, Terræ, vel loci, ubi vos, vel alterum vestrum, etiam per transitum morari contigerit, constito summariè, quantum vobis, seu cuilibet vestrum sufficere videbitur de non tuto accessu, illisque toties quoties opus fuerit inhibendi, etiam sub censuris, & pœnis, etiam pecuniariis, per quemlibet vestrum, vel vestros deputatos vestro, vel eorum arbitrio infligen., applicandis, & moderan., ac quæcumque alia quomodolibet necessaria, & opportuna gerendi, decernendi, mandandi, & exequendi.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus fe. re. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictorum Regnorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Militiarum quorumlibet, ac quarumvis Civitatum, Terrarum, & locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, legibus, usibus, naturis, ac ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Regnis, illorumque Incolis, & quibusvis aliis Nunciis, & personis tam conjunctim, quam divisim sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogat. derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in specie, vel in genere etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis, & forma hujusmodi pro servata habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si eisdem Regnis, illorumque Incolis, & quibusvis aliis locis, & personis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi, & compelli, aut quod citari, seu in judicium coram judicibus de eorum consensu non deputatis, vel extra Regna hujusmodi, & loca suæ habitationis avocari, vel quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia ejusdem Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quam præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, ejusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Datum die 28. Februar. 1642. An. XIX.

Con-

DCC.

Constitutio circa formam, & habitum Sacrarum Imaginum.

De veneratione Sanctarum Imaginum habet Gregorii XIII. Const. LI. Sanctissimos. Tom. IV. Par. III. fol. 311. §. 15. Circa formam autem, & habitum Sacrarum Imaginum lege Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decretum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferre posse, si quid inordinatum, aut præpostere accommodatum, vel prophanum in Ecclesiis appareat, statuit nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit.

Hanc Constit. condit Pont. contra varios abusus circa formas & habitum Sacr. Imaginum.

§. 1. Cum autem, sicut accepimus, ex prædicti Decreti inobservantia varii abusus irrepserint. Idcirco Nos abusus hujusmodi tollere, pro debito pastoralis officii nostri volentes, re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis communicata, & mature considerata, & discussa, inhærendo dictæ dispositioni Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi; Motu proprio, & ex certa scientia nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ne quis cujuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam ecclesiasticæ, etiam individua, ac speciali expressione dignæ existat, Imagines Domini Nostri Jesu Christi, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcumque sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut ante hac sculptas, aut pictas, & aliis quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu, & forma, quam in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, tenore præsentium prohibemus: ac ut Immagines aliter pictæ, vel sculptæ ab Ecclesiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio, & coltus sic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium subiiciuntur non inordinata, nec insolita appareant, sed devotionem pariant, & pietatem: & ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum Frontispiciis, & Atriis imagines prophanæ, vel aliàs indecentiam, & inhonestatem præseferentes, cum Domum Dei deceat sanctitudo, præcipimus. Quocirca quibuscumque Venerabilibos Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, ac nostris, & Apostolicæ Sedis Nunciis, & Legatis etiam de Latere, sub obtestatione divini judicii maudamus, ut prædicta inviolabiliter, & exacte observent. Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & majorum, ac Universitatibus, etiam Studiorum, Monasteriis, ac Collegiis, & personis quibuscumque etiam ecclesiasticis, secularibus, & regularibus cujoscumque Ordinis, etiam Cistercien. Instituti, Congregationis, & Societatis, etiam Jesu, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliarumque Militiarum, & cæteris quibuscumqoe quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione, & speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio subjectis, ac etiam Sedi Apostolicæ immediate suppositis, ut in eorum Ecclesiis, & locis omnia, & singula præmissa observent, & observari faciant.

Exequutorem deputat.

§. 2. Quatenus vero ipsi, præsertim Regulares, ac Moniales præsentibus literis, ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint, & debeant Episcopi, & locorum Ordinarii, & Metropolitani, Primates, & Patriarchæ, Nuncii, & Legati Apostolici de Latere missi, tamquam in hoc a Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes, & singulos prædictos, & quoscumque alios quomodolibet inobedientes, & transgressores procedere, & quacumque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque juris, & facti remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos prævia unica monitione, censuris Ecclesiasticis, & aliis eorum arbitrio, & præsertim quoad loci Superiores etiam privationis officii, & vocis activæ, & passivæ pœnis compellere.

Clausulas præservativas apponit.

§. 3. Præsentes quoque literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quocumque alio, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata &c.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumqoe Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos; nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri, & interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contraria removet.

§.4 Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem etiam perſonarum, atque Ordinum quorumcumque etiam Ciſtercien., ac tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Jeſu, ac cujuſvis alterius inſtituti etiam neceſſario, & individue exprimen. Monaſteriorum, Conventuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque tam ſecularium, quam regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus quibus Epiſcopi, & alii Ordinarii, & Superiores prædicti deferre minime teneantur, & quibuſvis aliis ſub quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicari mandat.

§.6. Et ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, volumus, & apoſtolica auctoritate decernimus, ut præſentes literæ, ſeu illarum exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixæ omnes perinde arctent, atque afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent,

Tranſumptis credi jubet.

§.7. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum die 15. Martii 1642. An.XIX.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 15. Martii 1642. Pontificatus noſtri Anno XIX.

DCCI.

Mandatum Ordinariis Galliæ, ut deputent Conventus in ſingulis Provinciis pro reformatione Fratrum Reformatorum Sancti Franciſci.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Magnus FF. numerus reformationem cupientium.

§.1. CUm ſicut dilecti filii Patres, & Fratres Ordinum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupat. Provinciarum Regni Franciæ Reformationem poſtulantes Nobis, nuper exponi fecerunt in ſingulis eorumdem Fratrum de obſervantia Provinciis dicti Regni copioſus Fratrum reformari cupientium numerus reperiatur, qui tamen hactenus voti compotes fieri nequiverunt, impediti etiam a propriis ſuis Superioribus non reformatis nedum virorum, a quibus reformationi ſic addicti, in Reformatione hujuſmodi, ſed etiam Conventuum, in quibus illi recipi, & erudiri poſſint penuria laborantibus, Nobis propterea iidem exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Mandatum de quo in Rubr.

§.2. Nos igitur eoſdem exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis Ven. Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis in dicto Regno conſtitutis, ac dilectis filiis eorum Officialibus in virtute ſanctæ obedientiæ apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus, & mandamus, ut quoties pro parte eorumdem exponentium fuerint requiſiti, in ſingulis dictorum Fratrum de Obſervantia ejuſdem Regni Provinciis, in quibus adhuc Cuſtodiæ Reformatæ erectæ non fuerint, unam, ſeu duas, vel plures Domos, prout numerus Fratrum qui reformationem acceptare velint, requiret, aſſignent, & ad id prædictos Fratres de Obſervantia, eorumque Miniſtros Provinciales, & alios ſuperiores, etiam per cenſuras eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia cogant, & compellant, invocato, etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ac inſuper, quod prædicti Fratres, in ſingulis Provinciis de Obſervantia reformari cupientes ab uno ex prædictis Archiepiſcopis, vel Epiſcopis ab ipſis Fratribus eligendo congregati, Cuſtodem, Guardianos, & Novitiorum Magiſtros ex aliis Provinciis, vel Cuſtodiis Reformatorum, ſeu Recollectorum dicti Regni pro primo triennio, ad minus,

a qui-

a quibus deinceps gubernentur, erudiantur, & instruantur, & finito anno deliberationis per Constitutionem Clementis Prædecessoris desuper de anno 1601. editam, quæ incipit: *Pro injuncti*, ordinato ad reformationem hujusmodi recipiantur sibi eligere, & assumere libere, & licite possint, & debeant, ita tamen, ut in præfatis domibus, seu conventibus sibi assignandis veram, & realem Reformationem juxta prædictam dicti Clementis Prædecessoris Constitutionem, secundum quam in omnibus deinceps vivant, & aliis Reformatis seu Recollectis dicti Regni se conforment, Cantu Gregoriano, & aliis divini officii cæremoniis, quæ sunt juxta ejusdem Sancti Francisci Regulam, necnon similis recordationis Nicolai III., & Clementis V. Romanorum Pontificum pariter Prædecessorum nostrorum declarationes exceptis introducere teneantur, ac demum, quod omnibus, & singulis aliis immunitatibus, favoribus, privilegiis, & gratiis reformationi veræ, & reali necessariis, & quibus cæteræ Provinciæ, & Custodiæ Reformatorum, seu Recollectorum Ordinis, & Regni hujusmodi fruuntur, & gaudent, frui, & gaudere similiter libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Clausulæ. §.3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis ad quos pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio. §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Provinciarum, & Custodiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis tam eisdem, quam aliis quibuscumque ordinibus, eorumque superioribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. §.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 22. Martii 1642. An.XIX. Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22.Martii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCII.

Prohibitio extrahendi libros e Bibliothecis Conventuum Ordinis B.Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, Congregationis Hispaniæ.

Vide, quæ de his Fratribus habes in Constitut. CDLXXVI. Inter cæteras. *ut supra fol.22. Et in Constit.DXIV.* Aliàs a fel. *ibid. fol.69.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. CONservationi, & manutentioni Librorum Bibliothecarum Domorum Regularium Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsiusque Congregationis Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Prohibet prout in Rubric. §.1. Ne de cætero quivis ejusdem Congregationis Religiosus quavis auctoritate fungens libros, quinterna, folia impressa, sive manuscripta Bibliothecis Domorum Regularium hujusmodi hactenus quomodolibet donata, comparata, sive assignata, seu imposterum donanda, comparanda, vel assignanda, e dictis Bibliothecis, ut secularibus, vel regularibus aliarum Religionum mutuo dentur, extrahere, vel illa sic extracta quoquo modo personis præfatis acommodare, vel mutuare, donare, vel dare sub quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio audeat, seu præsumat, sub excommunicationis majoris pœna, etiam a quovis seculari, vel alterius Religionis, seu Congregationis regulari, qui præd. libros, quinterna, folia impressa, vel manuscripta ex eisdem Bibliothecis, vel illarum aliqua extraxerit, utenda acceperit, vel sibi retinuerit, eo ipso absque alia

declaratione incurrenda, apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariorum derogatio.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.3. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis copia in valvis singularum dictæ Congregationis Bibliothecarum, vel illarum aliquo alio perspicuo loco, ubi ab omnibus commode cerni, legique possit, continuo affixa remaneat, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in diguitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 25. Martii 1642. An. XIX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 25. Mart. 1642, Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCIII.

Pro Capitulo, & Canonicis Majoricensibus, quod contra ipsos ab Inquisitoribus Majoricensibus procedi non possit, nisi in causis Fidei.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

CUm sicut dilecti filii Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Majoricensis, Nobis nuper exponi fecerunt, Inquisitores Officii Inquisitionis Majoricensis jactent, se posse contra dictæ Ecclesiæ Canonicos in quavis civili, criminalique causa, etiam fidei materiam nullatenus concernente, sive ab ea minime dependente procedere, ac de facto contra unum ex dictis Canonicis ad quædam præcepta, & censuras in causa civili potius, quam criminali devenerint, proptereaque ipsi Capitulum, & Canonici determinari cupiant, an contra ipsos a præfatis Inquisitoribus, ut prætendunt, extra causam fidei procedi possit.

Mandat prout in Rubrica.

§.2. Nos eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, qui negotium hujusmodi visis citationibus factis, & intimatis quondam Aloysio de la Infantas Agenti Inquisitionis Hispaniarum, sive Majoricensis, necnon repetitis plurium mensium dilationibus illi concessis, ut jura Inquisitionis Hispaniarum, sive Majoricensis deduceret, mature discusserunt; Nobisque retulerunt, consilio Inquisitores Majoricenses hujusmodi non posse procedere contra Canonicos dictæ Ecclesiæ, nisi pro causis fidei, vel dependentibus ab eis, apostolica auctoritate, tenore præsentium determinamus, & declaramus; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clausulas addit.

Executores deputat.

§.3. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Majoricensi, ac dilectis filiis Decano, et Thesaurario Ecclesiæ Majoricensis per præsentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum Capituli, et Canonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, & illis in præmissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra presentes nostras Literas debite exequutioni demandari, et observari, ipsusque Capitulum, et Canonicos contentorum in eisdem nostris Literis, aliorumque premissorum commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos desuper ab ipsis Inquisitoribus Majoricensibus, et quibusvis aliis quavis auctoritate fungentibus quovis prætextu quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoscumque, et præmissis non parentes per censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Ecclesiæ, & Officii Inquisitionis Majoricensis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate ruboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo

Datum die 31. Martii 1642. An. XIX. nulo Piscatoris, die ultima Martii 1641, Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCIV.

Quod Fratres Conventus Sanctissimi Crucifixi loci Promontorii Januensis Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Januensis Vicario Generali ejusdem Congregationis remaneant subjecti.

Vide, quæ de his Fratribus indicata sunt in Const. CCII. Romanus Pontifex. *Tom. VI. Par. I. fol. 22.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ægidius Cunsonius Mediolanensis Procurator Generalis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod de mense Februarii proxime præteriti a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis regularium præpositis, inter Vicarium Generalem, & Fratres dicti Ordinis Congregationis Januensis ex una, & Fratres Conventus Sanctissimi Crucifixi loci Promontorii etiam Januensis, partibus ex altera, emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet;

Decretum. §. 2. In controversia nuper exorta inter Vicarium Generalem, & Fratres Ordinis S. Augustini Congregationis Januensis ex una, & Fratres Conventus Sanctissimi Crucifixi, loci Promontorii, etiam Januensis, partibus ex altera, super observantia Capitulorum, quæ de anno 1610. a bon. mem. Cardinali Saulio, totius Ordinis S. Augustini tunc temporis Protectore, vivæ vocis oraculo desuper habito, confirmata fuerunt, necnon super observantia concordiæ, quæ de anno 1627. inter Vicarium Generalem dictæ Congregationis, & Fratres ipsius Conventus Sanctissimi Crucifixi pro bono regimine, & gubernio ejusdem Conventus, cum præsentia, & assistentia Patris Generalis tutius Ordinis præfati similiter inita fuit, rebusque aliis &c. Sacra Congregatio Cardinalium negotiis regularium præposita, auditis partibus, et negotio ad relationem Eminentissimi Cæsarini, semel, atque iterum mature discusso, censuit, præfatum Conventum, & Fratres Sanctissimi Crucifixi, prout ceteri ejusdem Congregationis Conventus, Vicario Generali subjectos remanere, eosdemque in habitu, disciplina, & observantia regulari cum aliis Fratribus prædictæ Congregationis, in omnibus, & per omnia se conformari debere, præmissis, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ die 14. Februarii 1642.

Fr. Antonius Card. S. Honuphrii.

Loco † Sigilli.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Ægidius Procurator Generalis hujusmodi decretum præinsertum, quo firmius subsistat, apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret. Nos eumdem Ægidium Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatio decreti prout in Rubrica. §. 4. Decretum præinsertum, cum omnibus, et singulis in eo contentis, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud, ac præsentes Literas valida, firma, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis, quos illa concernunt, et concernent in futurum, inviolabiliter, et inconcusse observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, et Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, ipsis Ordini, et Congregationi, illorumque quibusvis Superioribus, Fratribus, et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 3. Aprilis 1642. An. XIX. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die tertia Aprilis 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Con-

DCCV.

Confirmatio Brevis Gregorii XIII. cum aliis clausulis ad favorem Provinciarum Discalceatorum S. Francisci in Regnis Hispaniarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

ALias felicis recordationis Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster pro bono regimine, & felici directione Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in Regnis Hispaniarum per quasdam suas in simili forma Brevis Literas inter alia ordinavit, ut Fratres Discalceati prædicti jurisdictioni, et correctioni Ministri Generalis Fratrum Minorum ejusdem Ordinis de Observantia nuncupatorum dumtaxat subsint, isque in sua absentia eorumdem Fratrum Discalceatorum gubernium alicui ex iisdē Fratribus Discalceatis committere debeat, & aliàs prout in dictis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Quid in absentia Ministri Gen. a solis Discalceatis moderetur.

§.1. Cum autem, sicut accepimus, dilectus filius Jo: Merinero modernus Ordinis prædicti Minister Generalis, occasione sui e Regnis prædictis in Italiam discessus, gubernium Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis in iisdem Regnis cuidam Fratri ex Observantibus, non autem ex Discalceatis dicti Ordinis commiserit, licet apud eum pro parte eorumdem Discalceatorum institutum fuisset, ut alicui ex ipsis Discalceatis eorum regimen demandaret. Hinc est, quod Nos perturbationibus, quæ inde nasci possent, pro pastorali nostra sollicitudine obviam ire, dictorumque Fratrum Discalceatorum indemnitati, & prospero regimini in præmissis consulere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine prædictas dicti Gregorii Prædecessoris literas tenore præsentium approbamus, & confirmamus, necnon ut omnes, & singulæ eorumdem Fratrum Discalceatorum in Regnis Hispaniarum prædictæ Provinciæ, durante ejusdem Joannis Ministri Generalis ab iisdem Regnis absentia, ab earumdem Provinciarum Ministris Provincialibus, à quibus ad Definitoria ipsarum Provinciarum appellari possit, regantur, & gubernentur: ille vero ex dictis Fratribus Observantibus, cui dictus Joannes Minister Fratrum Discalceatorum prædictorum gubernium, ut præfertur, commisit, nihil plane jurisdictionis, & auctoritatis in illos habeat, vel exerceat, dictique Fratres Discalceati obedire ei nullatenus teneantur, utque ita, & non aliter in præmissis perpetuo observentur quando, & quoties pro tempore existentem Ministrum Generalem ejusdem Ordinis a Regnis prædictis abesse contigerit, tenore præsentium volumus, statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Fratribus Discalceatis plenissime suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilecto filio nunc, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis prædictis Nuncio per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Discalceatorum hujusmodi desuper fuerit requisitus, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicans, illisque efficacis defensionis præsidio in præmissis assistens, faciat illa ab omnibus ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus piæ memor. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum die 8. Aprilis 1642. An.XIX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 8. Aprilis 1642. Pontificatus nostri Anno decimonono.

Depu-

DCCVI.

Ex Regest. in Secret. brev.

Deputatio Collectoris spoliorum ad R. C. A. spectantium in Principatu Cathaloniæ, ac Comitatibus Rossilionis, & Ceritaniæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

De tua prudentia, fidelitate, & diligentia, necnon probitate firmam spem in Domino concipimus, quod ea, quæ tibi committenda duxerimus, solerti, & fideli studio exequeris.

Nuncio Apost. impedito quominus reddituus ad C. A. spectan. exigat;

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus dilectus filius noster, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncius, & generalis fructuum, reddituum, proventuum, annatarum, spoliorum, censuum, & aliorum introituum Cameræ Apostolicæ debitorum in Regnis prædictis Collector in Oppido Madriti residens Officium Collectoris hujusmodi, in Principatu Cathaloniæ, & Comitatibus Rossilionis, & Ceritaniæ, ob vigentes illic ad præsens bellorum motus, impeditumque commercium exercere non possit, nec computa, & rationes Subcollectorum ab eo, ac aliis deputatorum revidere potuerit, nec possit, unde grave eidem Cameræ provenit detrimentum.

Urbanus alium deputat Collectorem.

§. 2. Hinc est, quod Nos ejusdem Cameræ indemnitati in præmissis, pro debito pastoralis officii nostri consulere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine te in Principatu, & Comitatibus prædictis generalem fructuum, reddituum, proventuum, Annatarum, spoliorum, censuum, & aliorum introituum Cameræ prædictæ debitorum Collectorem, & Receptorem, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, cum facultate omnes, & singulos alios in Principatu, & Comitatibus prædictis hactenus deputatos Subcollectores, ac dictæ Cameræ in præmissis Officiales, & Ministros revocandi, prout Nos tenore præsentium omnes, & singulas concessiones, eis super officiis Collectoriæ, ac Subcollectoriarum hujusmodi hactenus factas, auctoritate apostolica, tenore præsentium revocamus, & ab eorum officiis amovemus, ac Tibi per te, vel alium, seu alios Clericos dumtaxat fide, & facultatibus idoneos nostro, & dictæ Sedis nomine a quibuscumque Capitulis, Collegiis, ac Conventibus Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumlibet, aliisque personis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis, etiam individua mentione dignis secularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus exemptis, & non exemptis, etiam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, necnon laicis quibuscumque, etiam Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Principibus, aliisque sublimioribus nobilibus, Communitatibus, & Universitatibus Communitatum, Castrorum, Villarum, Terrarum, & aliorum locorum quorumcumque, in Principatu, & Comitatibus prædictis consistentium, omnia, & singula pecuniarum summas, fructus, redditus, proventus, jura, res, census annuos, & bona alia cujuscumque generis, & speciei, etiamsi confiscata fuerint, Nobis, & dictæ Cameræ, ac S. R. E. in dictis Principatu, & Comitatibus, eorumque Civitatibus, & locis quibuscumque quacumque ratione, vel causa hactenus debita, & imposterum debenda, seu ad Nos, vel Cameram, ac Romanam Ecclesiam prædictas titulo annatarum, & spoliorum pro rata temporis Ecclesiarum, Sede Vacante nunc, & imposterum pertinentia, aut alias quomodolibet spectantia quæcumque, quotcumque, & qualiacumque fuerint, communibus, & minutis servitiis dumtaxat exceptis, petendi, recipiendi, & recuperandi, ac solventes de receptis, & solutis quietandi, liberandi, & absolvendi rationes quoque, & computa a quibuscumque Subcollectoribus, & Receptoribus, aliisque Officialibus, & Ministris Officii Collectoriæ, ac Ecclesiæ, & Cameræ hujusmodi in Principatu, Comitatibus, Civitatibus, & locis prædictis, seu aliquibus earum hactenus quacumque auctoritate deputatis, & dicto beneplacito nostro durante, deputandis, & aliis personis iu quarum utilitatem negotia Ecclesiæ Romanæ, & Cameræ earumdem concernunt, audiendi, & examinandi, seu exigendi, ipsosque ad te si necesse fuerit cujuscumque gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi pontificali, aut quavis alia polleant dignitate, auctoritate nostra per censuras ecclesiasticas, per te nominatim infligendas, vocandi, & per bonorum suorum sequestrationem, & arrestationem personarum, aliaque juris, & facti remedia omni, & quacumque appellatione postposita cogendi, & compellendi, ac contradictores quoslibet, & rebelles, ac tibi in præmissis non parentes per easdem censuras, etiam, ut præfertur, infligendas, sequestrationem, & arrestationem, & alia remedia prædicta, etiam appellatione, ut præfertur postposita compescendi, necnon excommunicationis, & alias sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas similiter, ut præfertur infligendas in eos, & alios Jura Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ prædictæ debita non solventes per te, vel personam hujusmodi, aut alium, seu alios tuo, dictæque Cameræ nomine latas, & promulgatas, si eorum contumacia id exegerit, quoties opus fuerit, & iteratis vicibus aggravandi, necnon contra quoscumque sibi, & tuis Officialibus injuriantes, suos Officiales impedientes, aut negocia dictæ Cameræ directe, vel indirecte, publice, vel occulte perturbantes, eadem auctoritate procedendi, & si necesse fuerit, ipsos ad comparen. coram nostro, & S. R. E. Camerario infra competentem terminum, per te illis præfigendum, citandi, & brachii secularis

Cum facultate alios substituendi.

Aliisque facultatibus necessariis, & opportunis.

laris

laris auxilium invocandi, sententias quoque excommunicationis, suspensionis, & Interdicti contra inobedientes, contumaces, & rebelles, tam per Prædecessores tuos inibi Subcollectores, & eorum Substitutos, quam per personas hujusmodi a te pro tempore deputatas, & deputandas latas, & ferendas cum ad obedientiam debitam venerint tollendi, & suspendendi, ipsosque, injunctis tamen eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, seu aliis quæ injungenda tibi benevisa fuerint, in forma Ecclesiæ consueta, satisfacto prius de his, in quibus dictæ Cameræ tenebantur, aut præstita, & recepta de satisfacien. idonea cautione, vel obligatione, dicta auctoritate absolvendi, & cum eis super irregularitate, si quam Missas, & alia divina officia, non tamen in contemptum Clavium celebrando, vel illis se immiscendo contraxerunt eadem auctoritate illis prius ad tempus de quo tibi, seu personæ prædictæ videbitur ab executione suorum Ordinum suspensis dispensandi, necnon unam, vel plures personas ecclesiasticas cum simili, vel limitata facultate, ac cum solitis honoribus, oneribus, ac ad nostrum, & tuum nutum amovibiles, ubi tu commode adesse non poteris, nec non etiam Advocatos, Procuratores fiscales, & Notarios ad id opportunos deputan. & alia in præmissis omnibus, & singulis necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi, necnon spolia, bona, redditus, obventiones, & fructus Episcopatuum, Archiepiscopatuum, & aliarum quarumcumque Ecclesiarum vacantium cum interventu tamen Procuratoris Fiscalis Generalis a nostro, & S. R. E. Camerario pro tempore in illis partibus deputati componen. transigen. locan. & arrendan., literas quoque monitoriales generales contra occultantes, seu scientes, & non revelantes bona, res, Jura, actiones, & alia quæcumque bona ad Ecclesiam, & Cameram prædictas quomodolibet spectan. decernendi, ac tam super prædictis, & aliis quibusvis rebus occultis indebite acquisitis a quibusvis personis sive familiaribus, domesticis, consanguineis, affinibus Episcoporum, Archiepiscoporum, ac Religiosorum extra claustra decedentium, quam etiam super fructibus quorumcumque Beneficiorum, ac rerum ecclesiasticarum indebite perceptis, ex causa Simoniæ, Confidentiæ, Irregularitatis, & cujusvis alterius causæ, ac super aliis rebus, quæ ab occupatoribus restituendæ, vel adimplendæ forent si detecta, & occulta non essent componendi, & transigendi, absolutionem, & dispensationem, & quamvis aliam canonicam provisionem partibus in utroque foro suffragantes conceden., necnon delatoribus. & revelatoribus quartam, tertiam, vel aliam partem tibi benevisam omnium rerum prædictarum assignandi, relaxandi, consignandi, & quæ bona sint Pontificalia, ne a Capitulis indebite de facto occupentur decidendi. Insuper quascumque criminales, civiles, matrimoniales, & beneficiales meras, & mixtas causas, ecclesiasticas, & profanas, & aliàs ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prædictis Principatu, & Comitatibus præterquam in prima instantia, nisi per appellationem ab irreparabili gravamine, seu sententia vim diffinitivæ habente tam per viam recursus, & simplicis quærelæ, quam etiam quarumcumque appellationum a quibuscumque Judicibus ordinariis, ac etiam a Sede Apostolica delegatis interpositarum, & dicta Collectoris, & Judicis hujusmodi deputatione durante, interponendarum vigore, & aliàs pro tempore quomodolibet devolutas, motas, & movendas cum omnibus eorum inciden. emergen., & dependen. connexis, & annexis etiam summariè, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura Judicii sola veritate inspecta, terminisque substantialibus unico contextu servatis, vel etiam illorum loco præfixo termino arbitrio tuo cognoscendi, audiendi, & fine debito, prout Juris fuerit terminan. & ad hunc, cæterorumque contingentium effectum, quoscumque, etiam per edictum publicum constito prius etiam summariè, & extrajudicialiter de non tuto accessu citandi, & monendi, eisque, ac etiam quibusvis judicibus, cæterisque personis quatenus, & quoties opus fuerit, etiam per simile Edictum, ac etiam sub censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon pecuniariis tuo, vel delegatorum tuorum arbitrio moderandis, & applicandis inhiben. inobedientes quoslibet censuras, & pœnas ipsas incurrisse declarandi, illosque etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis, si opus erit invocandi, seu causas ipsas aliæ, vel aliis personis idoneis in ecclesiastica dignitate Constitutis modo, & forma præmissis, ac cum simili, vel limitata potestate præterquam in eadem prima instantia ut supra pariter audien. & terminandas delegandi plenam, & liberam facultatem, potestatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur.

§.3. Volumus autem, quod de fructibus, redditibus, proventibus, Juribus, obventionibus, annatis, spoliis, omnibusque aliis bonis quibuscumque ad Ecclesiam Romanam, & Cameram prædictas quomodolibet etiam Jure Annatarum per obitum quorumcumque etiam S.R.E. Cardinalium, vel aliàs spectan. ipsi Cameræ persolven. ultra biennii dilationem dare nequeas, & quod in singulis Civitatibus, & Diœcesibus intra Collectoriam tuam hujusmodi consistentibus, etiamsi sint amplæ, & diffusæ, ultra unum Subcollectorem non deputes, & omnium Subcollectorum, quos te deputare contigerit nomina, & cognomina cum illos deputaveris Nobis, seu Camerario nostro prædicto clare, & distincte transmittas, quodque saltem singulis bienniis de receptis, & gestis per hujusmodi Collectoriæ Officiales rationes, & computa reddere, necnon quidquid, se de premissis recipere contigerit per literas cambii, vel alium

Leges generales addit per Collectorem servandas.

alium modum Nobis, aut dicto Camerario nostro, seu personæ a Depositario generali nostro electæ, & a Camera approbatæ quantocitius poteris, mittere oou postponas.

Controversiarum, quas ratione spoliorum contigerit, Judicem delegat.

§.4. Et insuper, ut exequutio spoliorum, aut fructuum, reddituum, & proventuum hujusmodi celerius, & facilius fiat, quod de cætero omnes, & singulæ lites, causæ, & controversiæ, tam super quibuscumque ipsorum spoliurum, ac fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, responsionum, & debitorum, etiam ratione dictarum Annatarum, & aliarum quarumcumque prætensionum ad Ecclesiam prædictam spectan., quam etiam super exemptionibus, immunitatibus, & prærogativis, ac libertatibus, & aliis negociis personas Subcollectorum concernen., & quomodolibet tangen. nunc, & pro tempore penden. a nullo alio, quam a te in prædictis Principatu, & Comitatibus, seu aliis super dictis spoliis, ac fructibus, redditibus, & proventibus pro tempore deputatis Collectoribus, Subcollectoribus, aut particularibus delegatis cognosci, nec alteri, nisi per Commissionem manu nostra signatam, vel per nostras literas committi, aut delegari possint, aut citato moderno, & pro tempore existente dictæ Cameræ Apostolicæ Commissario generali, quodque commissiones, inhibitiones, & mandata, quæ aliàs, quam ex commissionibus, ut præfertur manu oostra signatis, eodem Cummissario citato, emanaverint, quoad earum causarum introductionem, litis pendentiam, seu tuorum ministrorum per te, ad id deputandorum jurisdictionis, & processuum impedimentum, & retardationem nullius sint roboris, vel momenti, quodque a Sententiis per te, aut tuos ministros prædictos, tam super prædictis negociis spoliorum, fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, responsionum, & debitorum, etiam ratione dictarum Annatarum, & aliarum quarumcumque prætensionum ad Ecclesiam prædictam spectan., quam etiam super immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, & libertatibus, ac aliis negociis personas Subcollectorum concernen., & quomodolibet tangen. pro tempore latis, nullatenus possiot, aut debeant appellari, seu earum exequutio differri, aut suspendi, nisi facto prius per Condemnatos rerum, de quibus condemnati fuerint in suis, vel prædictorum suorum manibus actuali deposito dicta auctoritate per præsentes statuimus, & ordinamus. Dantes, & coocedentes tibi privative quoad omnes, & quoscumque alios plenam liberam, & omnimodam, amplissimamque facultatem, potestatem, & auctoritatem in dictis causis spoliorum, & aliorum prædictorum, ut supra in eisdem Principatu, & Comitatibus, ac illa, vel officium tuum quomodolibet concernen., & ad ea spectan. etiam summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii, etiam absque ulla terminorum, etiam substantialium observatione, & alia sola facti veritate inspecta, & manu regia, omnique, & quacumque appellatione prorsus cessante, & remota procedendi, tam civiliter, quam criminaliter, ac mixtim, & in omnibus decidendi, prout juris communis, seu particularium nostrorum Prædecessorum, ac nostrarum Constitutiooum fuerit, aut Jus ipsum exegerit.

Ei obediri mandat.

§.5. Præcipientes quoque, & districtius inhibentes Apostolicæ Sedis auctoritate omnibus, & singulis Principatus, & Comitatuum, ac Civitatum, Oppidorum, & locorum eorumdem Gubernatoribus, Consiliis, Rectoribus, Correctoribus, Regentibus, Locumtenentibus, & aliis Officialibus, etiam Alcaliis, ac aliis quomodolibet nuncupatis, necnon Cancellariis, Audientiis, Tribunalibus, ac Notariis, cæterisque Judicibus, & personis ecclesiasticis, & secularibus quamcumque jurisdictionem per se, vel collegialiter, & in communi, aut aliàs quomodolibet exercen. cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, ac etiam Episcopali, Archiepiscopali Cardinalatus, Regia, ac quavis alia dignitate, & auctoritate fungen., & functuris, sub excommunicationis, & aliis arbitrio oostro infligen. pœnis, ne in vim quorumcumque, & qualiumcumque privilegiorum, exemptionum, & Indultorum tam apostolica, quam quacumque alia auctoritate pro tempore concessorum, & in futurum conceden. vel quovis alio prætextu, aut quæsito colore, causaque, & occasione undecumque quæsita per se, vel alium, seu alios publice, vel occulte, directe, vel indirecte, sese in spoliis prædictis, vel quolcumque illorum, ac rebus, & causis ab ea quomodulibet spectan., & eo nomine venien., necnon pecuniis, & pecuniarum summis, ad Cameram prædictam quomodolibet obvenien. earumque exactione, & recuperatione immiscere, ac ingerere, aut te, vel Ministros tuos quoscumque in officio Collectoriæ hujusmodi, ejusque libero exercitio, jurisdictione, necnon litium, & causarum prædictarum cognitione, ac sententiarum, & mandatorum tuorum, aliorumque desuper a te, vel tuis Commissariis, & Ministris ordinandorum, & decernendorum exemptione, aut quibuscumque aliis ipsum tuum officium quomodolibet concernen. contra præsentium tenorem molestare, perturbare, inquietare, vel impedire, aut ut molesteris, vel impediaris, seu tui molestentur, aut impediantur per aliquem procurare, necnon Notariis, & Officialibus cujuscumque Curiæ, Cancellariæ, Consilii, Audientiæ, Tribunalis, Gubernii, Collegii, Universitatis, Civitatis, & loci dictorum Principatus, & Comitatuum, ne processus aliquos, seu mandata, monitoria, inhibitiones, provisiooes, ac quascumque, & qualescumque aliàs scripturas, per quas, & quæ, ac quarum vigore, seu prætextu tuum hujusmodi exercitium, ac jurisdictio, & facultas tibi per

Nos desuper concessa in toto, vel in parte, & quocumque modo, suspendi, vel impediri possint tibi, vel a te subdelegandis, & deputandis Commissariis, aliisque Ministris tuis præsentare, vel exhibere quoquo modo audeant, vel præsumant.

Clausulas addit.

§.6. Ac decernentes sic per quoscumque Judices, Commissarios, ordinarios, & delegatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§.7. Non obstan. præmissis, ac fe: re: Bonifacii Papæ VIII. Prædecess. nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini Reformationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus prædictis, eorumque Superioribus, Prælatis, & personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoris, aliisque efficacioribus, & insulitis clausulis; & decretis, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.8. Volumus autem, quod in manibus dilecti filii nostri, & S. R. E. Cardinalis Camerarii de ipso officio fideliter exercendo, ac fidelitatis debitæ solitum præstes juramentum, ipsique Subcollectores a te deputandi illud in manibus tuis, antequam officium hujusmodi exerceant præstare, ac idoneam cautionem de fideliter administrando, exigendo, & consignando dare teneantur.

Juramentum ab eo præstari jubet.

Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Maii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Datum die 15. Maii 1642. An XIX.

DCCVII.

De non recipiendis pecuniis pro Missis celebrandis in Provincia Reformata Fratrum Minorum de Observantia Vallis Mazzaræ in Sicilia.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. CUm sicut accepimus, in Provincia Reformata Vallis de Mazzara nuncupata Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia semper servatum fuerit, ut nullæ pro celebrandis Missis pecuniæ recipiantur, sed Missæ gratis pro benefactoribus juxta intentionem Superioris applicentur, nonnulli vero laudabilem usum, & observantiam hujusmodi immutare, & invertere nitantur.

Prohibitio, de qua in Rubr.

§.2. Nos omnem turpis quæstus materiam ab illis, qui perfectam paupertatem profitentur, in re præsertim adeo sacra, e medio tollere pro pastorali nostra sollicitudine volentes, ne de cætero perpetuis futuris temporibus in Provincia prædicta ullæ omnino pecuniæ pro Missis celebrandis exigantur, nec etiã sponte oblatæ recipiantur, sed Missæ gratis, ut consuevit, celebrentur, sub vocis activæ, ac quoad Superiores etiam suorum officiorum, privationis pœna eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, auctoritate apostolica præsentium tenore interdicimus, et prohibemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrar. derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 28. Maii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Datum die 28. Maii 1642. An. XIX.

DCCVIII.

Ex Regest. in secret. Brev.

Confirmantur privilegia Universitati Hæbræorum, Turcarum, Græcorum, & aliorum Mercatorum in Civitate Anconitana commorantium concessa.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Preces Universitatis pro confirmat. Privilegiorum.

CUm sicut Universitas Hæbreorum, Turcarum, & Græcorum, aliorumque Mercatorum Nationis Orientalis in Civitate nostra Anconitana commorantium Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi varia privilegia, sibi a diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa, & respective confirmata pro illorum firmiori subsistentia, et validitate apostolicæ confirmationis robore communiri summopere desiderent.

Confirmatio.

§.2. Nos eamdem Universitatem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegia prædicta, dummodo tamen in usu, ac licita sint, & honesta, & non sint revocata, nec super aliquibus revocationibus compræhensa, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, debitæque Nobis, & Apostolicæ Sedi fidelitati, & obedientiæ non adversentur, ac contra libertatem ecclesiasticam non tendant apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus: ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ.

§.3. Decernentes illa, necnon præsentes Literas semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Datum die 2. Junii 1642. An. XIX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 2. Junii 1642. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

DCCIX.

Ex Regest. in secret. Brev.

Declaratio nullitatis Capitulationum inter Capitulum Colonien., seu cum Maximiliano Henrico ex Ducibus Bavariæ factarum occasione Coadjutoriæ Ecclesiæ Colonien.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Maximilianus Bavarus coadjutor deputatus Archiepisc. Colonien.

§.1. CUm Nos hodie dilectum filium Maximilianum Henricum ex Ducibus Bavariæ Canonicum Colonien. in vigesimoprimo suæ ætatis anno, & ex dispensatione apostolica in Sacro Subdiaconatus ordine constitutum, fidemque catholicam juxta articulos pridie a Sede Apostolica propositos expresse professum, & cum quo tunc decimumseptimum suæ ætatis annum dumtaxat agente, ut ad quascumque Episcopalis, & Archiepiscopalis dignitates, quantumvis Cathedralium, & Metropolitanarum Ecclesiarum eligi, & postulari posset, auctoritate apostolica dispensavimus, Venerabili Fratri Ferdinando Archiepiscopo Colonien. Sacri Romani Imperii Principi Electori Coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem in regimine, & administratione Ecclesiæ Colonien. cum futura in ea successione, attento consensu dilectorum filiorum Capituli dictæ Ecclesiæ, ad quos electio personæ idoneæ in Archiepiscopum Colonien. dum ipsa Ecclesia pro tempore vacat, per Romanum Pontificem pro tempore existentem ad electionem hujusmodi praficiendæ juxta concordata dudum inter Sedem Apostolicam, & inclitam Nationem Germanicam inita spectat, & pertinet, desuper præstito, & per Nos ex voto etiam Congregationis Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium rebus concistorialibus præpositorum, quibus negocium hujusmodi ante examinandum commisimus, & de consilio etiam Ven. Fratrum nostrorum aliorum ejusdem S. R. E. Cardinalium admisso, auctoritate apostolica, expresso etiam dicti Ferdinandi Archiepiscopi, & Electoris ad hoc accedente consensu constituerimus, & deputaverimus [?], ut in similibus, voto, & consilio intendimus, prout in nostris desuper sub plumbo expediendis literis latius explicabitur.

Nonnullas Capitulationes sine beneplacito Apostolico subscribit.

§.2. Sicut autem Nobis innotuit occasione Constitutionis, & deputationis ejusdem Maximiliani Henrici in Coadjutorem hujusmodi, seu consensus dicti Capituli ad id, ut præfertur, præstiti, quædam Capitulationes inter ipsos Capitulares, seu cum eodem Maximiliano Henrico facta, & ab eo subscriptæ, & juratæ fuerint.

Eas irritat Pontifex.

§.3. Hinc est, quod Nos, sine quorum auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacisci fas est, ne ex Capitulationibus hujusmodi, licet ob licentiæ apostolicæ defectum ipso jure nullis, & invalidis, aliquod cuicumque jus acquisitum, aut dictæ Ecclesiæ, illiusque Præsuli, seu Coadjuto-

ri, & Capitulo qualecumque gravamen illatum, jurisdictionique, & libertati ecclesiasticæ quoquo modo præjudicatum fuisse, esse, & fore umquam prætendi, dici, vel censeri, & ne umquam quovis temporis cursu, aut ex quacumque alia, quantumlibet juridica causa prædictas Capitulationes fuisse per Nos, & Sedem Apostolicam approbatas allegari, & beneplacitum apostolicum desuper accessisse umquam præsumi possit, pro pastorali nostra sollicitudine providere volentes, ac earumdem Capitulationum tenores, etiam veriores, præsentibus pro plene expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam prædictæ Congregationis omnes, & singulas Capitulationes prædictas, nullas, ac prorsus invalidas, nulliusque roboris, & momenti fuisse, esse, & semper fore, adeo ut nullum omnino sortiri possint, aut debeant effectum, æque ac si initæ, factæ, aut juratæ, vel conceptæ numquam fuissent, tenore præsentium declaramus, illasque pro non factis, nec interpositis haberi volumus, approbationemque nostram, & beneplacitum apostolicum quoad ipsas Capitulationes denegamus, & propterea consensum a Capitulo prædicto, seu majori illius parte deputationi Coadjutoris hujusmodi cum futura successione, ut præfertur, præstitum prædicto Maximiliano suffragari in omnibus, & per omnia, perinde ac si libere, & non conditionaliter, ac non interpositis Capitulationibus hujusmodi fuisset adhibitus.

Clausulas apponit. §.4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, sedisque præfatæ Nuncios, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Obstantibus derogat. §.5. Non obstantibus præmissis, ac apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac, quatenus foret opus, etiam Regula nostra de non tollendo jure quæsito, necnon dictæ Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu alia quævis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque,

Datum die 16. Junii 1642. An. XIX. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Committitur Auditori Cameræ, ut procedat contra Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ in Ducatu Parmensi.

Dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium. Conservationi libertatis, & immunitatis ecclesiasticæ in Ducatu Parmæ, & Placentiæ, cujus Odoardus Farnesius olim Dux erat pro pastorali nostra sollicitudine consultum esse, & illorum audaciam, qui libertatem, & immunitatem hujusmodi in Ducatu prædicto, aliisque locis, præcipue confinantibus quoquo modo violare ausi fuerunt opportunis juris, & facti remediis reprimi volentes.

Commissio, de qua in Rubr. §.1. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut contra omnes, & singulos libertatis, & immunitatis ecclesiasticæ in Ducatu prædicto, aliisque locis præfatis violatores, si qui hactenus extiterint, & in futurum erunt cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis præeminentiæ, & dignitatis etiam ecclesiasticæ, etiam specialem expressionem requiren. sint, vel fuerint, tam conjunctim, quam divisim, ad instantiam Procuratoris, seu Promotoris Fiscalis, ac quorumcumque adhærentium, & aliorum, quam ex officio, ac alias quomodolibet, & prout tibi videbitur, etiam juxta tuas ordinarias facultates usque ad sententiam, & sententias definitivas, & totalem ejus, & earum exequutionem inclusive simpliciter summarie, & de plano sine strepitu, & figura judicii sola facti veritate inspecta, ipsisque violatoribus tam conjunctim, quam divisim, & separatim, etiam per Edictum publicum, constito etiam summarie, & extrajudicialiter, ac quantum tibi sufficere videbitur de non tuto accessu citatis, etiamsi vigore citationis, seu citationum hujusmodi aliquis extra suam Diœcesim, vel Provinciam, & ultra duas, & plures dietas in judicium trahatur, & evocetur procedas, ac quoscumque in præmissis culpa-

culpabiles repertos, excommunicationis majoris vinculo innodes, eosque in excommunicationem hujusmodi, aliasque censuras, & pœnas ecclesiasticas a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim Bulla die Cœnæ Domini legi solitas contra similia perpetrantes comminata, contra similia perpetrantes comminatas, inflictas, & fulminatas incidisse declares, ipsosque sic excommunicatos declaratos publices, nuncies, & a cæteris Episcopi fidelibus arctius evitari præcipias, pœnasque hujusmodi, prout Justitia exegerit, aggraves, & reaggraves, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, recursu, dilatione, & quarumcumque prætensarum nullitatum, etiam ex tribus, ac prætensæ injustitiæ dictione, & allegatione, aliisque juris remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis. Nos enim tibi desuper necessariam, & quomodolibet opportunam facultatem, & potestatem, per easdem præsentes tribuimus, & impertimur.

Contrariorum derogatio.

§.3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis etiam Conciliaribus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertus habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede Indultum, quod extra loca suæ originis, aut suas Diæceses, & Provincias, in Judicium trahi, vel quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum die 27. Junii 1642. An.XIX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die 27. Junii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Nuncio Sabaudiæ circa dimissionem Cardinalatus Mauritii Cardinalis a Sabaudia nuncupati,

Venerabili Fratri Gaspari Episcopo Montis Fiasconen. nostro, & Apostolicæ Sedis apud dilectum filium nobilem puerum Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Mauritius Card. a Sabaud. ducausas dedicit retinendi Cardinalis dignitatem.

§.1. EXponi nobis nuper fecit dilectus filius noster Mauritius S. R. E. Cardinalis a Sabaudia nuncupatus, ex concessione, & dispensatione apostolica inter Cardinales Diœcesanos connumeratus, licet in aliquo ex Sacris Ordinibus minime constitutus, quod etiamsi ipse in vocatione ecclesiastica, & statu Cardinalitio libenter permansisset, & ægre ferat illum mutare, tamen ex causis uberius ejus nomine Nobis expositis, & præcipue pro bono pacis, præsertim pro administratione muneris tutelæ dilecti filii nobilis pueri Caroli Emanuelis Ducis Sabaudiæ, ejus ex fratre nepotis ineundæ cum dilecta in Christo filia nobili muliere Christina Ducissa Sabaudiæ Vidua, ejusdem Ducis Matre, sibi convenire existimat, ab ecclesiastica vocatione ad laicalia vota transire, quia vero probe novit, moris esse Dignitatem, & Officium Cardinalatus in manibus Romani Pontificis, & in Concistorio dimittere, idque ob sui ab Urbe absentiam, & locorum distantiam, ac aliis ex causis præstare, condecentemque Dignitatis existimationem demonstrare, ac debitum erga Nos, & Sedem Apostolicam obsequium exhibere prompte nequeat, ne præmissorum finis interposita mora suo forsan frustretur effectu; Nobis propterea præfatus Mauritius Cardinalis humiliter supplicari fecit, ut si dimissionem, & cessionem puram, liberam, & simplicem dignitatis, & Officii sui Cardinalatus, ac tituli S. Mariæ in Via Lata, aliis sibi assignati, in manibus fraternitatis tuæ faciendi, tibique nomine nostro, & Sedis Apostolicæ illam recipiendi, & admittendi, ac juramenta quæcumque per eumdem Mauritium ratione dictorum Cardinalatus, ac tituli præstita sibi relaxandi licentiam, & facultatem impertiri dignaremur.

Nuncio Apost. committ. receptio hujusmodi renunciationis.

§.2. Nos igitur ejusdem Mauritii Cardinalis hujusmodi supplicationibus inclinati, ac præsenti rerum statui consulere, & morem solitum pro hac vice relaxare volentes, fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut antequam præfatus Mauritius Matrimonium contrahat tu eamdem Cardinalatus dignitatis, & Officii, titulique præfati, cum omnibus, & singulis eorum præeminentiis, onoribus, privilegiis, insignibus, ac juribus quibuscumque

cumque

ummque dimissionem, & cessionem, ab eodem Mauritio Cardinale, pure tamen libere, & simpliciter coram Notario, & testibus in manibus fraternitatis tuæ faciendam juxta formulam introclusam ab infrascripto Secretario nostro subscriptam, nostro, & Sanctæ Sedis præfatæ nomine recipias, & admittas, juramentaque ab eodem Mauritio, ratione præfati Cardinalatus, & tituli ei præstita relaxes.

Cui necessarie ad hoc tribuit facultates.

§.3. Nos enim ad id fraternitati tuæ omnem facultatem, & potestatem quomodolibet necessariam, & opportunam concedimus, decernentes dimissionem, & cessionem, receptionemque, & admissionem hujusmodi, ut præfertur, faciendam validas, & efficaces fore, ac si illæ in Concistorio, & in manibus nostris factæ, ac aliàs more solito per Nos admissæ fuissent.

Injuncto onere Mauritio Card. Procuratorem ad id Romæ constituendi.

§.4. Volumus autem, quod pro servando, quantum fieri potest, more præfato, & pro condecente tantæ dignitatis existimatione, debitique Nobis, & Sedi præfatæ obsequii præstatione prædictus Mauritius, etiam in verbo Principis in eadem Cardinalatus, ac tituli dimissione, & cessione debeat se obligare ad constituendum procuratorem specialem, & sufficientem, ac irrevocabilem, qui infra quatuor menses ex tunc decurrendos omnino hic Romæ in Concistorio nostro, ac in manibus nostris inhærendo præfatæ Cardinalatus, & tituli, aliorumque præmissorum dimissioni, & cessioni jam factæ, illam ritu solito, & cum consuetis cæremoniis approbet, & ratificet.

Clausula.

§.5. Præsentes quoque Literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, redargui, aut in jus, vel controversam revocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariorum derogatio.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac apostolicis, & in universalibus, provincialibusque conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque, etiã concistorialibus. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq. contrariis quibuscũque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Junii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCXII.

Datum die 30. Junii 1642. An. XIX.

Quod Commissarii Provinciales Indiarum ad Capitula Generalia Ordinis Fratrum Minorum convenientes, suis Custodibus, in labore, & præmio æquales habeantur.

Ex Regest. in Secret. Brev.

De hujusmodi Fratribus Indianis, vide ad Constit. DCXXIV. Circumspectat, *hujus Tomo.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Const.

§.1. Aliàs, postquam Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Alma Urbe nostra, de anno 1639. celebrato, inter alia statutum fuit, restituendum esse Ministris Provincialibus Provinciarum Indiarum dicti Ordinis antiquum jus, quod habebant, mittendi Commissarios ad Capitulum Generale, in eo suffragium suo nomine laturos, habito subinde ea propter ad Nos desuper recursu, per quasdam nostras in simili forma Brevis literas de eodem anno emanatas, Ministris Provincialibus Provinciarum earumdem tunc, & pro tempore existentibus, quod ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere possent Commissarios dicti Ordinis Professores, qui suo nomine suffragium ferrent, apostolica auctoritate indulsimus, ea tamen lege, ut tam Commissarii, qui mitterentur, quam etiam Custodes forent earumdem Provinciarum respectivè filii vel in eis per sexenium completum antea incorporati.

Mandat prout in Rubr.

§.2. Cum autem æquum, & rationi consentaneum esse censeamus, ut quemadmodum præfati Commissarii Provinciarum Indiarum hujusmodi æquales suis Custodibus labores, cum tot, & tantis navigationum, ac viarum periculis subeunt, ita ejusdem Commissariis præmium, & remuneratio paria sint. Idcirco Nos Commissariorum hujusmodi decori, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine: Quod Commissarii Provinciarum Indiarum hujusmodi, qui ad Capitulum Generale dicti Ordinis de eodem Anno 1639. celebratum, ut præfertur, venerunt, & in eo suffragium tulerunt, necnon illi Commissarii earumdem Provinciarum, qui deinceps perpetuis futuris temporibus ad futura dicti Ordinis pro tempore Capitula Generalia mittentur, postquam ad suas reversi fuerint Provincias, Definitorum præteritorum honore, & præcedentia gaudeant immediate post suos Custodes, tenore præsentium statuimus, concedimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§3. Decernentes præsentes literas ullo umquam

unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in jus, vel controverſiam revocari poſſe, ſed ſemper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, eiſdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus, & perſonis, ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum die 12. Julii 1642. An. XIX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 12. Julii 1642. Pontificatus noſtri Anno XIX.

DCCXIII.

Confirmatin Decreti Clem. Papæ VIII. prohibentis fieri uniones Beneficiorum diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervatorum, vel affectorum, cum declaratione, quod Decretum hujuſmodi comprehendit etiam S.R.E. Cardinales, & alios indulta conferendi reſervata habentes, quodque illi non potuerunt, nec poſſunt conferre Beneficia duplici reſervata, vel affecta.

Beneficiorum omnes uniones effectum non ſortitæ ſunt revocatæ hujus Pontificis Conſtitut. IX. Sanctiſſimus, *Tom. V. Par. V. fol. 152. Beneficiorum, ſeu Eccleſiarum unionem petentes debent exprimere verum valorem annuum, etiam Beneficii, cui aliud unitur, alioquin unio non valet, Greg. XV. Conſt. XXXVII. Tom. V. Par. V. fol. 390.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Refert præludia a Judibus S. Sillata ex inobſervantia Decreti Clementis VIII.

QUamvis fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter, accepto quod aliqui Ordinarii beneficia eccleſiaſtica in ſuis menſibus vacantia, & aliàs diſpoſitioni apoſtolicæ non reſervata perſonis ſibi beneviſis conferebant, illa vero, quæ reſervata erant, Seminariis puerorum ſæpe uniebant; ad evitandum hoc Sedis Apoſtolicæ præjudicium, per ejus decretum prohibuerit, ne uniones beneficiorum eccleſiaſticorum diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ tempore, quo uniuntur reſervatorum, vel affectorum fieri poſſent, etiam vigore Decretorum S. Concilii Tridentini in favorem Seminariorum Puerorum, ad præſcriptum ejuſdem Concilii erectorum, ſive erigendorum: nihilominus poſtea prætextu Indultorum Apoſtolicorum conferendi beneficia reſervata, vel affecta per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam per Nos aliquibus perſonis, præſertim S. R. E. Cardinalibus conceſſorum, exequutio prædicti Decreti Clementis, Prædeceſſoris de facto impedita fuit, & impeditur, quoniam Cardinales Iudulta conferendi, & diſponendi de reſervatis, vel affectis habentes aſſerunt, ſe non eſſe in prædicto Decreto comprehenſos, tamquam in eo expreſſim non nominatos, & ulterius tam ipſi Cardinales, quam alii, qui ex prædictis Indultis Apoſtolicis habent facultatem conferendi reſervata, ſeu affecta, ac de eis diſponendi, nedum prætendunt Indulta hujuſmodi continere facultatem diſponendi de eiſdem Beneficiis, etiam per modum Uuionis, & extinctionis in præjudicium perpetuum Sedis Apoſtolicæ, quæ illorum proviſione perpetuo privata remaneret, ſed etiam ex ipſis Indultis eſſe ſublatam, & extinctam reſervationem, & affectionem quamcumque, ideo etiam auctoritate ordinaria potuiſſe, & poſſe per eos fieri eorumdem Beneficiorum, uti non reſervatorum, nec affectorum unionem,

Decre-

Decretaque Concilii eis concedere facultatem uniendi, etiam reservata eisdem Seminariis. Quinimo etiamsi in Pontificatu rec. mem. Pauli V. etiam Prædecessoris nostri, hactenus ex voto duorum Rotæ Auditorum fuerit in Dataria observatum, & observetur, Beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta non comprehendi in prædictis Indultis, tamen etiam prætendunt hanc reservationis duplicitatem non impedire eorum provisionem, vigore prædictorum Indultorum faciendam, eisdemque Beneficiorum unionibus non obstare, & propterea diversimode, etiam exequutio Literarum Apostolicarum provisionis eorumdem Beneficiorum indebitis prætensionibus hujusmodi impedita fuit, & impeditur de facto in diversis Tribunalibus, & Congregationibus, præsertim Rotæ, & Congregationis Concilii Tridentini, in quibus reperiuntur factæ resolutiones, etiam inter se discordantes.

Decretum Clementis VIII. [illegible] prohibentis hujusmodi uniones, confirmat, & observari mandat.

§.1. Volentes igitur prædicta impedimenta tollere, & nostro oraculo prætensas dubitationes dilucidare, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetua constitutione prædictum Decretum Clementis Prædecessoris prædicti, super exequutione, seu interpretatione ejusdem Concilii emanatum confirmamus, ioviolabiliterque de cætero observari mandamus per quoscumque Patriarchas, Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos, ac S. R. E. Cardinales, declaramusque prædictum Decretum etiam eosdem Cardinales comprehendisse, & comprehendere, prædictosque Cardinales, & quoscumque alios prædicta Indulta Apostolica conferendi prædicta Beneficia reservata, seu affecta, & de eisdem disponendi habentes, non potuisse hactenus post prædictum Decretum Clementis Prædecessoris, nec imposterum posse in vim illorum, nec vigore ejusdem Concilii, aut aliàs etiam auctoritate eorum ordinaria, prætextu quod ex prædictis Indultis extinctæ, & sublatæ sint reservationes, & affectiones eadem Beneficia quomodolibet tempore unionis reservata, vel affecta unire, etiam Seminariis prædictis Puerorum, nec de eis per viam cujuscumque unionis, suppressionis vel applicationis disponere, nec etiam in vim prædictorum Indultorum reservata, & affecta conferendi, ac de eis disponendi, potuisse, nec posse conferre Beneficia duplici reservatiooe personali reservata, vel affecta.

Clausula præservativa, & [illegible].

§.2. Præsentes quoque literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, nostræque intentionis defectu, etiam ex eo, quod Seminaria, & quibuscumque, & cujuscumque status, conditionis, gradus qualitatis, ac dignitatis, etiam ecclesiasticæ desuper interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hæc vocati non fuerint, vel præmissis non conseoseriot, notari, impugnari, redargui, aut in jus, vel controversiam revocari non posse; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Sacri Palatii Apostolici causarum Auditores, ac S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, & quoscumque alios speciali expressione indigentes, judicari, definiri, & interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clausula derogatoria.

§.3. Non obstantibus præmissis omnibus, & singulis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, regulis Cancellariæ, & quatenus opus foret, etiam illa de non tollendo jure quæsito, cæterisque contrariis quibuscumque: Quorum omnium, & singulorum tenores, earumdemque litium, & causarum etiam hactenus pendentium statum, & merita, ipsorumque Beneficiorum nuncupatiooes, situationes, & qualitates, partiumque collitigantium, necnon judicum nomina, & cognomina, Tribunaliumque, & Congregationum præeminentias, & facultates, cæteraque hic forsan exprimenda, & inserenda, pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus.

Datum die 15. Julii 1642. An. XIX.

Datum Romæ apud S. Mar. Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 15. Julii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCXIV.

Constitutio circa utensilia Sacristiæ Pontificiæ post obitum S. R. E. Cardinalium debita.

Clemens VII. prius constituerat, quod omnia ornamenta, quibus Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Cappella Pontificia utebantur, post eorum obitum dictæ Cappellæ consignari deberent: cujus Constitutionis hic fit mentio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam,

Exordium.

Æquum est, ut Nos, qui omnium Christifidelium commodis pro paterna nostra charitate jugiter invigilamus, Sacristiæ nostræ Pontificiæ, ac Cameræ Apostolicæ jura non negligamus.

Causa hujus Constit.

§.1. Quamvis enim etiam juxta Constitutionem fel. record. Clementis Papæ Septimi Prædecessoris nostri desuper editam observatum fuerit, quod omnia, & singula Mitræ, Pluvialia, Planetæ, & alia Altaris ornamenta, & vestimenta, ac vasa aurea, & argentea, præsertim sacra, & beoedicta, cujuscumque qualitatis, & pretii fuerint, quibus S. R. E. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Cappella Pontificia, in Missarum tam per Romanos

manos Pontifices, quam in eorum præsentia, etiam per dictos Cardinales celebratione, ac in processionibus, & aliis cæremoniis pontificalibus usi fuerunt, post illorum obitum fuerint, & sint applicata, & realiter consignari debeant dictæ Cappellæ, & illius Sacristiæ, præfataque applicatio, & consignatio impediri non debeat prætextu quarumcumque facultatum testandi, etiam sub quacumque forma, & verborum tenore pro tempore concessarum, & aliàs prout in eadem Clementis Prædecessoris Constitutione uberius continetur. Nihilominus quia tam Romani Pontifices Prædecessores nostri concesserunt, quam etiam Nos eorum exempla sequuti concessimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus facultatem disponendi de ornamentis, & vestimentis, ac vasis, & aliis rebus prædictis, illaque relinquendi Ecclesiis, seu Cappellis, vel locis piis, aut personis, præsertim ecclesiasticis, sibi benevisis, in grave Sacristiæ præfatæ præjudicium, ac etiam Cameræ Apostolicæ detrimentum, quam de suo eidem Sacristiæ de ornamentis, cæterisque rebus hujusmodi ea propter providere oportet,

Innovat, & ampliat Const. Clem. VII. circa utensilia Sacristiæ Pontificiæ post obitum S. R. E. Card. debita.

§.2. Hinc est, quod Nos earumdem Sacristiæ, & Cameræ indemnitati in præmissis consulere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ipsam Const. Clem. Præd. hujusmodi innovantes, & ampliantes, quod de cætero perpetuis futuris temporibus præfata omnia, & singula, Mitræ, Pluvialia, Tunicellæ, aliaque ornamenta, & vestimenta, ac Calices, Patenæ, vasa etiam aurea, & argentea, aliæque res, & utensilia quomodolibet nuncupata, præsertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. Cardinales nunc, & pro tempore existentes, etiam præfatam, aut quamcumque aliam similem, vel dissimilem facultatem apostolicam de illis disponendi, ac ad hæredes etiam ab intestato transmittendi, ut permittitur, habentes, non solum in Cappella Pontificia, seu Processionibus, cæremoniis, & aliis functionibus Pontificiis præfatis, sed etiam in eorum Cappellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, vel quæ detulerint, ad Sacristiam præfatam ipso jure spectent, & pertineant, & ad illam deferri, illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum Cardinalium, excepta una Tunicella pro quolibet Cardinale Diacono, & una Planeta pro quolibet Cardinale Presbytero, ac uno Pluviali pro quolibet Cardinale Episcopo, ac exceptis Candelabris, ac Malluviis, & Gutturnis Bacili, & Bocali vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis, hac perpetuo valitura Constitutione nostra statuimus, & ordinamus, & quascumque facultates præfatas testandi, ac ab intestato transmittendi, & disponendi de vestimentis, ornamentis, vasis, & aliis rebus, ac utensilibus præfatis, etiam in favorem quarumvis Ecclesiarum, seu Cappellarum, & locorum piorum, ac personarum etiam speciali nota, & individua expressione dignarum, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ac aliàs quomodolibet per præfatos Prædecessores nostros, ac Nos ipsos Cardinalibus præfatis quibuscumque concessas, quæ hactenus effectum sortitæ non fuerunt ad præsentis nostræ Constitutionis tenorem reducimus, & quatenus fuerit opus in iis, quæ præsentibus adversantur, revocamus, abolemus, cassamus, annullamus, & irritamus, ac reductas, revocatas, abolitas, cassas, annullatas, & irritas fore, & esse, & imposterum per quamcumque derogationem per Nos, vel Successores nostros faciendam non censeri præsenti nostræ Constitutioni in aliquo detractum, nec d. Sacristiæ præjudicatum, nisi specialiter, & expresse huic Constitutioni referendo ejus datam, ac aliàs sufficienter derogatum fuerit.

Clausulas præservativas apponit.

§.3. Præsentes quoque literas, & in eis contenta quæcumque, licet desuper interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, & ad ea vocati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarunt, deductæ, verificatę, seu aliàs sufficientes, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam substantiali, aut ex quovis alio capite, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata notari, impugnari, invalidari, & retractari posse, sed ipsas præsentes literas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Sacristiæ præfatæ plenissime suffragari.

Clausula sublata.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon dictæ Cameræ Præsidentes, & Clericos, & alios Officiales nunc, & pro tempore existentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clausulas derogatoriæ.

§.5. Non obstantibus quibusvis testandi, ac ad hæredes ab intestato transmittendi, ac aliàs quomodolibet de bonis, & rebus præfatis disponendi per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per Nos ipsos Cardinalibus prædictis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter concessis facultatibus, ac fel. record. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris

foris nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas numquam in ejusdem Cameræ libris registrari necesse sit, & quibuslibet aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac Decretis, etiam Conciftorialibus, & quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostulicæ regulis quibuscumque, etiam in favorem præfatorum Cardinalium, etiam per Nos editis, necnon Collegii Cardinalium prædictorum, & quarumvis Ecclesiarum, & locorum piorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam antiquissimis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Collegio prædicto, Ecclesiis, & locis piis quibuslibet, & quibuscumque personis, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam Ecclesiasticæ, etiam individua expressione dignis, aut aliàs quomodolibet qualificatis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbu ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 19. Julii 1642. An. XIX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 19. Julii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCXV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Significat Regi Christianissimo, spectare ad Sedē Apostolicam privative quoad alios quoscumque cognitionem, & decisionem controversiarum inter Abbatissam Generalem Ordiuis Fontis Ebraldi, & Monachos ejusdem Ordinis vertentium super observatione Regulæ, & communicatione statutorum dicti Ordinis.

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Quanto illustriora sunt Majestatis tuæ, ejusque Prædecessorum clar. mem. Regū Franciæ Christianissimorum eximiæ devotionis, & pietatis, in tuendis hujus Sanctæ Sedis, Ecclesiasticorumque Tribunalium Juribus merita, tanto majori admiratione, & animi molestia affecti fuimus, ubi intelleximus factam Majestatis tuę auctoritatem Ven. Fratrum Archiep. Bituricen., ac Lexovien., & Melden. Episcoporum deputationem, ad cognoscendas decidendasque controversias inter dilectam in Christo filiam Joannam Baptistam de Bourbon Sororem tuam naturalem Ordinis Fontis Ebraldi. Abbatissā generalem ex una, & dilectos filios Monachos ejusdem Ordinis ex altera partibus, super interpretatione, & usu Regulæ, communicatione statutorum dicti Ordinis, aliisque ad nostram, & Sedis prædictæ cognitionem immediate spectantibus vertentes, earumdemque controversiarum, deputationis hujusmodi vigore per Archiepiscopum, & Episcopos prædictos decisionem a Majestate tua arresto die octava Octobris proxime preteriti emanato confirmatam fuisse; Quæ licet sedendarum inter personas regulares litium gratia, non autem lædendæ Jurisdictionis ecclesiasticæ animo te fecisse plane credamus, quis enim aliud de singulari pietate tua suspicetur; attamen pro debito Officii nostri Majestati tuæ significandum duximus, cognitionem, decisionemque controversiarum prædictarum, utpote quæ circa res mere spirituales, declarationemque, interpretationem, & observantiam Regulæ, & statutorum dicti Ordinis a Sede prædicta confirmatorum vertuntur, neutiquam ad Tribunalia laica, ad Judices seculares, sed ad Nos, & eamdem Sedem, privative quoad omnes alios spectare, & pertinere, de qua re cum Majestate tua fusius aget Ven. Frater Hieronymus Archiepiscopus Seleucien. Nuncius noster, cujus verbis, ut fidem habeas rogamus, & Majestati tuæ iterum benedictionem nostram peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Augusti 1642. Pont. nostri Anno XIX. Datum die 13. Augusti 1642. An. XIX.

DCCXVI.

Sequitur Breve Joannæ Baptistæ de Bourbon. Abbatissæ Generali Ordinis Fontis Ebraldi, in idem argumentum. Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilectæ in Christo filiæ Joannæ Baptistæ de Bourbon Abbatissæ Generalis Ordinis Fontis Ebraldi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecta in Christo filia salutem, & apostolicam benedictionem.

Etsi plurimum in Domino commendemus singularem erga Nos, & hanc S. Sedem observantiam, quam ostendisti, dum apud Ven. Fratrem Hieronymum Ar-

Archiepiscopum Seleucien. ad charissimũ in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum nostrum, & dictæ Sedis Nuncium Te purgasti super eo, quod pro deciden. controversiis inter te, & dilectos filios Monachos Ordinis Fontis Ebraldi circa interpretationem, & usum regulæ, ac communicationem statutorum ejusdem Ordinis, aliaque ad nostram, & Sedis prædictæ cognitionem immediate spectantia, vertentibus, recursum ad Tribunalia secularia habuisti; attamen pro paterna, quam de tua salute gerimus cura monemus te, ut cum in excommunicationis, aliasque censuras, & pœnas ecclesiasticas a Sacris Canonibus Apostolicis contra habentes similes recursus inflictas, & promulgatas incideris, quia nedum assensum præbuisti, sed etiam procurasti, ut controversiæ hujusmodi ejusdem Ludovici Regis auctoritate cognoscerentur, & deciderentur; Propterea conscientiæ tuæ securitati consulas, omnibus ad tui favorem ea in re per Judices, a dicto Ludovico Rege deputatos absque legitima facultate decisis renunciando, curandoque, ut controversiæ prædictæ, nostra, & dictæ Sedis auctoritate definiantur: Quod te sedulo facturum Nobis plane persuademus, cum illo clarissimorum Regum genere nata sis, quo orti summo semper devotionis, & pietatis affectu Romanam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam sunt prosequuti, & benedictionem apostolicam tibi iterum peramanter impertimur.

Datum die, anno que eisdem. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimatertia Augusti 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCXVII.

Ex Regest. in secret. Brev.

Declarat cognitionem causarum super prætensa fabricatione monetæ adulterinæ, ac tonsione monetæ aureæ, & argenteæ in Insulis Siciliæ ultra Pharum, & Melevitana contra personas Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, spectare ad Magnum Magistrum, Consilium, & Conventum dicti Hospitalis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert alibi se declarasse Causas de quibus in Rubrica, si contra Ecclesiasticos agantur, ad Locorum Ordinarios pertinere.

§. 1. Alias Nos, ut adulterinam monetam fabricantium, ac monetas aureas, & argenteas tondentium crimina punirentur, per nostram perpetuam Constitutionem nedum cedulam motus proprii fel. rec. Pii Papæ Quinti Prædecessoris nostri desuper editam confirmavimus, & innovavimus, sed etiam pœnam ultimi supplicii ad personas etiam ecclesiasticas, & regulares cujuscumque Ordinis, & Instituti, etiam Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani extendimus, in Italia dumtaxat, cognitionemque causarum contra præfatas personas ecclesiasticas locorum Ordinariis commisimus, prout in nostris Literis sub plumbo sub Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno 1627. Idibus Novembris, Pontificatus nostri Anno V. expeditas uberius continetur.

§. 2. Verum quia, ut accepimus, prætenditur, cognitionem istarum causarum contra Milites, & alias personas Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani in Insula Siciliæ ultra Pharum esse remittendas ad Ordinarios Ecclesiasticos Locorum, etiamsi Insula Melevitana, ubi Magnus Magister consilium, & Conventus ejusdem Ordinis resident, sit valde vicina præfatæ Insulæ Siciliæ, a quibus uti magis informatis, ad id privilegia apostolica habentibus, propterea melius, quam ab Ordinariis locorum præfatæ causæ contra personas ejusdem Hospitalis cognosci debent, & possunt; Idcirco volentes remedium nostræ apostolicæ declarationis adhibere, tenore præsentis nostræ perpetuæ Constitutionis, declaramus, cognitionem prædictarum causarum contra personas prædicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, tam hactenus motas, quam imposterum movendas super prætensa fabricatione monetæ adulterinæ, ac super prætensa tonsione monetæ aureæ, vel argenteæ in præfatis Insulis Siciliæ, & Melevitanæ contra personas dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani spectasse, & spectare ad eosdem Magnum Magistrum, Consilium, & Conventum, propter vicinitatem, quam Insula Melevitana habet cum præfata Insula Siciliæ ultra Pharum, non vero ad præfatos Ordinarios locorum, qui ut plurimum sunt magis distantes; *Si vero contra personas Hospitalis S. Joa. Hierosolymit. agantur in Sicilia, & Insula Melevitana a M. Magistro sunt cognosci.*

Clausulæ addit.

§. 3. Et ita inviolabiliter sub excommunicationis majoris, aliarumque censurarum ecclesiasticarum pœnis eo ipso, absque alia declaratione per quoscumque cujusvis status, conditionis, qualitatis, præeminentiæ, & dignitatis, etiam ecclesiasticæ, ac individua mentione, & expressione dignæ incurrendis, observari præcipimus, & mandamus. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis quibuscumque Regnis, locorum Ordinariis, et aliis quibusvis personis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet con-

concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 20. Augusti 1642. An.XX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima Augusti 1642. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

DCCXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Irritatio Pactionum factarum occasione Coadjutoriæ Ecclesiæ Ratisbonensis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Coadjutor Ratisbonen. nonnulla cum Capitulo paciscitur, ut ejus consensum obtineat.

§. 1. Cum Nos prope diem Venerabilem Fratrem Franciscum Guilielmum Episcopum Osnaburgen., Minden., & Verden. Fratri Alberto Episcopo Ratisbonen. Coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem in regimine, & administratione Ecclesiæ Ratisbonen. cum futura in ea successione, attento consensu ejusdem Alberti Episcopi, ac dilectorum filiorum Capituli dictæ Ecclesiæ Ratisbonen. præstito, & per Nos ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium rebus consistorialibus præpositorum, quibus negocium Coadjutoriæ hujusmodi commisimus, admisso, auctoritate apostolica constituere, & deputare de simili voto intendamus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis literis latius explicabitur. Sicut autem Nobis innotuit, occasione constitutionis, & deputationis ejusdem Francisci Guilielmi in Coadjutorem hujusmodi, seu consensus dicti Capituli ad id, ut præfertur, præstiti, quædam capitulationes inter ipsos Capitulares, seu cum eodem Francisco Guilielmo factæ, & ab eo subscriptæ, & juratæ fuerint.

Pacta quæcumque irritat Urbanus.

§. 2. Hinc est, quod Nos, sine quorum auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacisci fas est, ne ex capitulationibus hujusmodi, licet ob licentiæ apostolicæ defectum ipso jure nullis, & invalidis, aliquod cuiquam jus acquisitum, aut dictæ Ecclesiæ, illiusque Præsuli, seu Coadjutori, & Capitulo qualecumque gravamen illatum, jurisdictionique, & libertati ecclesiasticæ quoquo modo præjudicatum, fuisse, esse, & fore umquam prætendi, dici, vel censeri, & ne quovis temporis cursu, aut ex quacumque alia, quantumlibet juridica causa prædictas capitulationes fuisse per Nos, & Sedem Apostolicam approbatas allegari, & beneplacitum apostolicum desuper accessisse præsumi umquam possit, pro pastorali nostra sollicitudine, providere volentes, ac earumdem capitulationum tenores, etiam veriores, præsentibus pro plene expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam prædictæ Congregationis, omnes, et singulas capitulationes prædictas nullas, et prorsus invalidas, nulliusque roboris, et momenti fuisse, esse, et semper fore, adeo ut nullum omnino sortiri possint, aut debeant effectum, æque ac si conceptæ, factæ, initæ, aut juratæ numquam fuissent, tenore præsentium declaramus, illasque pro non factas haberi volumus, approbationemque nostram, et beneplacitum apostolicum quoad ipsas capitulationes denegamus, et propterea consensum a Capitulo prædicto deputationi Coadjutoris hujusmodi cum futura successione, ut præfertur, præstitum prædicto Francisco Guilielmo suffragari in omnibus, & per omnia, perinde ac si libere, & non conditionaliter, ac non interpositis capitulationibus hujusmodi fuisset adhibitus;

Sicque præcipit in quolibet subsellio judicari.

§. 3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogat obstantibus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac apostolicis, & in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus foret opus, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, necnon dictæ Ecclesiæ Ratisbonen., etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorũ derogatione de iis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbũ, non autẽ per clausulas generales idem importantes mentio, seu alia quævis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorũ omnium tenores præsentibus pro plene, ac sufficienter expressis habentes, illis aliàs in

in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 20. Augusti 1642. An.XX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Augusti 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Sacræ Congregationis Rituum, quo decernitur Prothonotarios Apostolicos non participantes præcedere debere Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, quando dicti Canonici collegialiter non incedunt.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Decretum Congreg. Rituum, de quo in Rubr.

§.1. CUm, sicut accepimus, Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præpositi aliàs censuerint nostros, & Apostolicæ Sedis Notarios, Prothonotarios Apostolicos titulares, seu non participantes nuncupatos præcedere debere Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, quando dicti Canonici collegialiter non incedunt, prout in eorumdem Cardinalium Decreto desuper emanato, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

Illudque confirmat.

§.2. Idcirco Nos Decretum hujusmodi, ut par est, servari volentes, illud apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, eique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulas addit.

§.3. Decernentes Decretum hujusmodi, necnon præsentes Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari, dictisque Notariis, Prothonotariis nuncupatis plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariisque derogat.

§.4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 5. Septemb. 1642. An.XX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die quinta Septembris 1642., Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXX.

Pro observatione Festorum.

Festa observari jussit, festisque diebus mercatus, profanasque negociationes fieri prohibuit Pius V. Const. IX. Cum primum, *tom. 4. par. 2. fol. 284.*

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

UNiversa per Orbem novit Ecclesia Romani Pontificis supremæ incumbere sollicitudini Dominicum Gregem ad æternam dirigere salutem, & apostolica sic explicare præcepta, ut fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant feliciter pervenire.

Causa hujus Constit.

§.1. Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias Regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit, festorum multitudinem per singulas eorum Diœceses, atque Provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quænam ex præcepto, quæve ex libera cujusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente. Quinimo & clamor Pauperum frequens ascendit ad Nos eamdem multitudinem, ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, & quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri mœrore didicimus, tanta sæpe sæpius machinatū inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine, nō ad ædificationē, & ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident, itaut quæ ad glorificandum Divinum Numen sunt primitius instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, gravemque jacturam converterit animarum. Quamobrem dicti Ven. Fratres Archiepiscopi, & Episcopi Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in prædictis de Apostolicæ potestatis plenitudine congruam aliquā iniremus rationem.

Eos tantum dies pro Festis ex præcepto colendos esse statuit Pontifex, qui hic recensentur.

§.2. Nos itaque volentes ex debito pastoralis officii providere, & Sanctificationis festorum certum deinceps firmare præceptum,

ceptum, antiquam Ecclesiæ in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque Viros, quos ad hæc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, necnon de prædictæ apostolicæ plenitudine potestatis, hac perpetuo valitura Constitutione, de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum, apostolica auctoritate decernimus, & declaramus, infrascriptos dumtaxat dies proFestis ex præcepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos scilicet dies totius Anni, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inventionis Sanctæ Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & Judæ, & Sancti Matthiæ Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri Papæ, & Confessoris, S. Josephi etiam Confessoris, & S. Annæ Deiparæ respective Sponsi, ac Genitricis, Solemnitatis omnium SS. atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerati contigerit.

Ad reliquorum vero dierum observantiam Christi fideles non teneri.

§.3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœcesi, aut loco quomodocumque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tamquam festivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri dicta auctoritate tenore præsentium perpetuo etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum stndeant abstinere. Ut vero ea, quæ superius expressa sunt, ferventiori, qua decet veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis antiquiorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis: Quæ quidem licentiæ non aliter, quam ad formam prædictorum Canonum, ut præmittitur, concedendæ, nonnisi gratis, libere, & fine nllo prorsus pretio, aut pacto, directe, vel indirecte concedantur, sub pœnis etiam gravioribus nostro, Successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Coustitutionem dies feriatos circa Judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu, & terminis, in quibus erant ante ejusdem promulgationem.

Mandat Præsentes publicari, & ad unguem observari.

§.4. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, nunc, & pro tempore existenti nostro in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, ac universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis, ac cujuscumque generis locorum Ordinariis, etsi Cardinalatus honore fulgeant, ut has præsentes literas, omniaque, & singula in eis contenta, singuli videlicet in eorum respective Diœcesibus publicent, & ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant.

Contrariis quibuscumque derogat.

§.5. Non obstatibus qnibusvis Apostolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus, & universalibus Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac singularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus longissimo tempore præscriptis, ac observatis, etiam immemorialibus, privilegiis quoque, indultis, Decretis, Declarationibus, & Literis Apostolicis, aliisque gratiis, tam per ipsos Romanos Pontifices Prædecessor. nostros, ac per Nos etiã motu simili, etiam concistorialiter, quam per Ordinarios locorum, cujuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut præfertur, fulgentes, Legatos etiam de latere, & Sedis Apostolicæ Nuncios, ipsis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & locis, aliisque quibuscumque, etia i quamtumvis privilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac aliàs in contrarium forsan. quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæte-

cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, & manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ alicujus in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§.7. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationum, Monitionis, Intentionis, Mandati, Derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum die 13. Septemb. 1642. An XX.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1642. Idibus Septembris, Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Committit Episcopis Sylvanecten., & Redonen. una cum Definitore Generali Fratrum Reformatorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia erectionem Custodiæ pro dictis Reformatis in Gallia cum assignatione Conventuum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa dandæ Commissionis.

§.1. Cum, sicut accepimus, visitatio Provinciæ Turoniæ Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum per dilectos filios Michaelem Samson, & Bonaventuram Philippon, Ordinis prædicti Prædecessores juxta formam a Nobis aliàs præscriptam peracta fuerit, & in visitatione hujusmodi Michael, & Bonaventura prædicti plusquam centum, & viginti Fratrum ejusdem Ordinis declarationes receperint, qui Reformationem amplecti, & in exacta Regula Sancti Francisci Observantia vivere, & mori desiderant.

Commissio, de qua in Rubric.

§.2. Hinc est, quod Nos, ut Fratres prædicti in suo laudabili proposito confoveri, illudque exequutioni demandare valeant, pro pastorali nostra solicitudine providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Venerabilibus Fratribus Sylvanecten., ac Redonen. Episcopis per præsentes committimus, & mandamus, ut ipsi, vel alter eorum cum dilecto filio Ignatio Legault Ordinis prædicti Definitore Generali custodiam pro Fratribus Reformatis, & Reformandis hujusmodi ad præscriptum Constitutionis fel. rec. Clementis Papæ Octavi Prædecessoris nostri, aliàs ea super re editæ, auctoritate nostra erigant, illique Conventus Redonen., ac Veneten., necnon Dinamen., & Guingant Kimpercorentinç Bourgneus vulgo nuncupat. dicti Ordinis in Britannia existentes, & alios jam reformatos, qui tamen pro Reformatis, & Reformandis hujusmodi sufficiant, in quibus omnes, qui Reformationem hujusmodi amplecti voluerint, recipiantur, assignent, dictæque Custodiç Custodem, & alios Superiores, & Officiales pro hac prima vice constituant. Nos enim illis ad id necessariam, & quomodolibet opportunam facultatem concedimus.

Obstantium derogatio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciç hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 23. Septemb. 1642. An.XX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Septembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declarat Inquisitores Officii Inquisitionis Majoricen. non posse procedere contra Parochialium Ecclesiarum Rectores, & reliquos Sacerdotes, Curatos, & Simplices Ecclesiasticos Minoricæ, & Majoricæ Insularum, nisi pro causis fidei, vel ab eis dependentibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Decretum aliàs ab Urbano latum favore Capituli Majoric.

§.1. Aliàs Nos de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, Inquisitores Officii Inquisitionis Majoricen. non posse procedere contra Canonicos Ecclesiæ Majoricen. nisi pro causis fidei, vel dependentibus ab eis apostolica auctoritate determinavimus, & declaravimus, & aliàs prout in nostris in simili forma Brevis desuper sub die ultima Martii proxime præteriti expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Instantia Cleri & ecclesiasticorum.

§.2. Cum autem sicut dilecti filii Clerus, & singuli ecclesiastici seculares Majoricen. Diœcesis Nobis nuper exponi fecerunt, indecorum sit, ut Sacerdotes, & reliqui Altaris Ministri loci Ordinario subjecti, & ab omni seculari potestate exem-

pti,

pti in causis, quantumvis levibus ad fidem minime pertinentibus, & ab ea nullatenus dependentibus a Judicibus delegatis in Tribunali dicti Officii Inquisitionis Majoricen. ad Judicium evocentur, ac aliàs in præmissis diversimode molestentur; Nobis propterea iidem Clerus, & Ecclesiastici humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Dictum Decretum ad alios ecclesiasticos extenditur.

§.3. Nos igitur eosdem Clerum, & Ecclesiasticos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, determinationem, & declarationem, literasque nostras præfatas observari etiam cum Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & reliquis Sacerdntibus Curatis, & aliis simplicibus Ecclesiasticis Minoricæ, & Majoricæ Insularum, apostolica auctoritate, tenore præsentium pariter determinamus.

Clausula.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Exequutorum deputatio.

§.5. Quocirca Ven. Fratri Episcopo Majoricen, & dilectis filiis Decano, & Thesaurario Ecclesiæ Majoricen. per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte ipsorum Cleri, & Ecclesiasticorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes literas hujusmodi debitæ exequutioni demandari, & inviolabiliter observari, ipsosque Clerum, & Ecclesiasticos præfatarum Minoricæ, & Majoricæ Insularum contentorum in eisdem nostris literis, aliorumque præmissorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper ab ipsis Inquisitoribus Majoricen., & quibusvis aliis quavis auctoritate fungentibus, quovis prætextu quomodolibet indebite molestari, contradictores quoscumque, & præmissis non parentes, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis,

Contrariorum derogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ecclesiarum, & Officii Inquisitionis Majoricen. hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Septembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

Datum die 24. Septemb. 1642. An. XX.

DCCXIII.

Irritatio actorum omnium, quæ in præjudicium Ecclesiæ Papien. Sede Episcopali vacante per Regios Ministros gesta sunt.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Ministri Regii nonnulla in præjudicium Ecclesiæ Papien. & Immunitatis ecclesiasticæ attentant.

§.1. Cum annis præteritis Sede Episcopali Papien. Nobis, & Apostolicæ Sedi immediate subjecta vacante Œconomus Regius, ac alii Ministri Regii Status Mediolani multa inconvenientia, & scandala, ut Nobis pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum; ac Vicarii Capitularis Ecclesiæ Papien., ut præfertur, vacantis, aliarumque personarum ecclesiasticarum Civitatis Papien. expositum fuit, occasione prætensi Œconomatus, & onerum Ecclesiis, & personis ecclesiasticis de facto impositorum, & imponendorum timore Dei postposito perpetraverint, actusque etiam publicos in præjudicium immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ, & etiam in scriptis fecerint, & propterea Capitulum, & Canonici, ac Vicarius, & personæ hujusmodi ad Nos super præmissis recursum habuerint.

Urbanus rei examen nonnullis Cardinalibus deleg.

§.2. Nos, ad quos pro pastoralis officii nostri debito immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ tuitio, & defensio pertinet, negocium hujusmodi diligenter examinandum, & discutiendum Ven. Fratri nostro Marcello Episcopo Ostien. Lantes, & dilectis filiis nostris Joanni Baptistæ Sancti Eusebii Pamphilio, ac Joanni Baptistæ Sancti Sylvestri in Campo Martio Titulorum Presbyteris Palotto, necnon Francisco S. Laurentii in Damaso Diac. Card. Barberino, respective nuncupatis S. R. E. Vicecancellario, nostroque secundum Carnem ex Fratre Germano Nepoti ejusdem S. R. E. Cardinalibus, ac Magistro Francisco Paulutio in utraque Signatura nostra Referendario commisimus.

§.3. Qui hac super re sæplus congregati, eaque accurate examinata, & discussa, & audi-

& auditis pluries partibus, tam ecclesiasticorum, quam laicorum, nedum super negocio principali, sed etiam super incidentibus, & emergentibus quibuscumque, inhærendoque declarationibus per eos aliàs in eadem causa factis fecerunt Decretum tenoris sequentis videlicet; Die 16. Julii 1642. Sacra Congregatio inhærendo declarationibus a se aliàs in hac causa factis, mature denuo, Processibus, Juribus, Bannimentis, Edictis, & aliis scripturis exhibitis, declaravit, & declarat, omnes, & singulos actus gestos Sede Episcopali Papien. vacan. a Generali Œconomo Caimo, & a Ministris, & Officialibus Regiis, seu a Deputatis ab eis, & ab Officialibus, & Ministris Laicis Civitatis Papien. contra Jurisdictionem temporalem, & spiritualem Capituli Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Civitatis Papien. seu Generalis Vicarii Capitularis, vel aliorum Vicariorum, & personarum, & Ministrorum, etiam ecclesiasticorum fuisse, & esse prorsus invalidos, irritos, nulliusque momenti, & respective hujusmodi actus gestos per dictum œconomum generalem esse contra dispositionem Sacri Concilii Tridentini, ab aliis vero supranominatis gestos continere manifestam violationem jurisdictionis, Immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ, ac propterea omnes dictos actus, tamquam invalidos ab omnibus in judicio, & extra perpetuo haberi debere, nullumq; prorsus, ex illis præjudicium eisdem jurisdictioni Capituli, Immunitati, & libertati, Ministris, personis ecclesiasticis, ac bonis supradictis respective potuisse, nec posse quoquo modo resultare, & ad censuras propterea fulminatas occasione supradictorum fuisse bene processum; Et ità declaravit, & declarat, non obstantibus quibuscumque in contrarium &c. Et non solum præmisso, sed etiam alio omni meliori modo; A. Cardinalis Lantes, die 5. Augusti 1642. Sanctissimus Dominus Noster perlecto suprad. Decreto, approbavit, & jussit desuper expediri Breve annullativum, cum clausulis tamen, ut non præjudicetur Constitutioni generali per S. Sanctitatem editæ, sed jura juribus, cautelam cautelis addendo &c.

Irritat Pontifex.

§.4. Ne autem ex dictis actibus aliquod jurisdictioni, immunitati, libertati, ministris, personis, & bonis prædictis præjudicium illatum fuisse, vel esse, aut fore prætendi possit, quantum cum Domino possumus providere volentes, ac omnium, & singulorum actuum, processuum, jurium, bannimentorum, edictorum, & scripturarum prædictorum, ac inde sequutorum quorumcumque etiam graviorum, & atrocissimorum, aliorumque hic forsan exprimendorum, vel inserendorum tenores, etiam veriores, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Decretum prædictum apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, etiam quamtumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & licet quæcumque jurisdictioni, immunitati, & libertati, ac personis, & bonis ecclesiasticis quibuslibet præjudicialia per generalem nostram Constitutionem die 5. Junii 1641. editam, & publicatam nulla, & irrita declaraverimus, & quatenus foret opus revocaverimus, & proinde actus prædicti ante eamdem Constitutionem facti per illam nulli jam declarati, & revocati fuerint, nihilominus, ad abundantiorem cautelam juraque juribus accumulare volentes, citra ullum tamen ejusdem Constitutionis præjudicium earumdem tenore præsentiū omnes, & singulos actus, & excessus, ut præfertur, ac aliàs quomodolibet gestos, & respective perpetratos, Sede Episcopali Papien. vacante, tam a dicto Generali Oeconomo, quam ab Officialibus, & Ministris Regiis quibuscumque, seu a deputatis ab eis, vel altero eorum, & ab Officialibus, & Ministris Laicis, etiam dictæ Civitatis Papien. cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, præeminentiæ, & dignitatis existentibus, etiam speciali nota, & expressione dignis contra jurisdictionem spiritualem, & temporalem Capituli, seu Vicarii Capitularis, vel aliorum Vicariorum, & personarum, ac Ministrorum ecclesiasticorum prædictorum, necnon contra personas, & bona, tam mensæ episcopalis, quam eorumdem, ac aliorum ecclesiasticorum, ac in, & super personis, & bonis, ac juribus ecclesiasticis fuisse, & esse ipso jure nullos, & invalidos, ac nullius plane roboris, vel momenti, indebitosque, & illicitos, ac violentos, & de facto præsumptos, nullumque præjudicium eisdem Capitulo, Vicariis, Ministris, personis, & bonis ecclesiasticis intulisse, nec inferre, neque ullum statum fecisse, aut facere, nec aliquod omnino jus aut titulum, vel possessionem, vel quasi tribuisse, vel tribuere umquam posse, in favorem prædictorum Oeconomi, & Ministrorum, Officialiumque Regiorum, & Civitatis prædictæ, ac quorumvis aliorum cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, præeminentiæ, & dignitatis existentium, & individua expressione dignorum declaramus, ac quatenus opus sit, eosdem actus cum omnibus, & singulis inde sequutis annullamus, irritamus, cassamus, damnamus, viribusque, & effectu evacuamus.

Clausulae addit.

§.5. Decernentes præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite, a jure facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, ac quocum-

cumque alio colore, vel prætextu, etiam in corpore juris clauso, seu ex quantumvis juxta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam Motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes cum omnibus, & singulis in eis contentis semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quoscumque alios quavis auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorū cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, interpetrari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatque contrariis.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac apostolicis, & in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, &, quatenus opus sit, nostra de non tollendo jure quæsito, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon dictæ Civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Œconomo, Ministris, Laicis, & aliis prædictis, cæterisque quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in contrarium præmissorum, etiam motu simili, & consistorialiter, & aliàs quomodolibet emanatis, concessis, confirmatis, & pluries innovatis, quatenus talia extarent. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita inserti essent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, & formam in illis traditam pro servata habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Octobris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

Datum die 22. Octob. 1642. An.XX.

DCCXXIV.

Prohibitio ne Fratres Laici, seu Conversi Ordinis Fratrum Minorum strictioris Observantiæ S. Francisci, præcedant Clericos professos sub pœna excommunicationis.

*De hujusmodi materia præcedentiæ, vide notata ad Constit.*460. Inter gravissimas, *ut sup.fol.*2.*& ad Const.*730. Aliàs.*ib.fol.*352.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. CUM sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ex quo fratres Laici, seu Conversi ejusdem Ordinis indebite prætenderint semper, & prætendant se in omnibus, & singulis functionibus, tam publicis, quam privatis Fratres Clericos dicti Ordinis præcedere debere, gravissimæ perturbationes, lites, & contentiones, aliaque incommoda orta fuerint, & in dies oriantur, non sine maximo personarum secularium scandalo, & offensione; & propterea idem Procurator Generalis per Nos in præmissis opportune provideri desideret.

Prohibet prout in Rub.

§.2. Hinc est, quod Nos eorumdem Fratrum, quos Deo in humilitatis spiritu juxta suam vocationem servire convenit, tranquillitati consulere, & ne ob præmissa mutuæ inter eos charitatis ardor intepescat, providere pro pastorali cura nostra volentes; Motu proprio, ac ex certa scientia nostris, ne de cætero ulli dicti Ordinis Fratres Laici, seu Conversi quovis sub prætextu, quæsito colore, vel ingenio, etiam ratione antiquioris suæ ad habitum regularem dicti Ordinis receptionis, aut in eo emissæ professionis, seu cujusvis consuetudinis Fratres Clericos ejusdem Ordinis in quibusvis functionibus, tam publicis, quam privatis præcedere, & ne quicumque Superiores ejusdem Ordinis id deinceps quoquo modo permittere audeant, vel præsumant, sub excommunicationis pœna ipso facto per contrafacientes incurrenda, apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, ordinamus, & prohibemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, invio-

inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Fratribus, & personis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiã derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.5. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutę munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 17. Novem. 1642. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17. Novembris 1642. Pontificatus Nostris Anno Vigesimo.

DCCXXV.

Quod Electiones Prominiſtrorum Custodum, & Guardianorum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, ac Reformatorum Cismoutanæ Familiæ, extra Capitulum fiant per suffragia secreta, & ballottatiooes.

Quia in sequenti Constit. nulla fit mentio de Commissario ad Comitia generalia mittendo, Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium die 27. Januarii 1645. per suum Decretum statuit ipsum eligendum esse per schedulas, & vota secreta, ac per pluralitatem votorum, nemine proponente, & ita semper servari mandavit in omnibus Provinciis Reformatorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt, sicuti peculiaribus hujus Sanctæ Sedis favoribus, & gratiis dignos existimamus, ita ad circumspectam illius providentiã pertinere dignoscimus, ea sedulo statuere, atque ordinare, quibus Religiosi ipsi, qui in ea, quam singulari divinæ benedictionis præsidio ingressi sunt, via digne ambulantes, amplioribus in dies coram oculis Domini proficiant incrementis.

Concedit prout in Rub.

§.1. Hinc est, quod Nos dilectorum filiorum Fratrum Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum pro paterno, quo eos prosequimur, charitatis affectu, statui, & felici guberoio consulere, eisque specialem gratiam facere volentes, supplicationibus dilecti filii Fabii Papazoni Commissarii generalis Curiæ ejusdem Ordinis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cætero omoes, & singulæ electiones, tam Ministrorum, Proviucialium, & Custodum, quam Guardianorum dicti Ordinis per suffragia secreta, & ballottationes fiant, & in paritate suffragiorum, Præsidens electionibus hujusmodi votum, sive suffragium decisivum habeat.

Fiat compilatio Statutorũ.

§.2. Præterea, ut postquam statuta generalia dicti Ordinis in unum volumen cõpilata, & typis edita, & revisa, & approbata per Sedem Apostolicam fuerint, nulla alia ab inde in futurum statuta, seu Coostitutiooes in familia Cismontana ejusdem Ordinis fieri, seu condi possiot, sed prædicta generalia statuta, postquam, ut præfertur, revisa, & approbata per dictam sedem fuerint, imposterum servari debeant.

Pro transitu ad aliam Familiam.

§.3. Ad hæc ut de cetero fratribus de familia nuncupatis dicti Ordinis transitus ad Fratres Reformatos ejusdem Ordinis non concedatur, nisi in apitulis, Cseu Congregationibus Provincialibus cum consensu utriusque Ministri Provincialis, vel Ministri Generalis, & quod eos, qui a Fratribus Reformatis hujusmodi ad illos de Familia transire voluerint, fel. recordationis Clementis VIII. & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, ac nostrarum in simili forma brevis hac super re aliàs emanatarum literarũ forma omnino servetur, apostolica auctoritate tenore pręsentium statuimus, mandamus, & ordinamus.

Concedit facultates Poenit. Confessariis Portiunculæ.

§.4. Demum, ut Fratres ejusdem Ordinis ad audieodas Christifideliũ confessiones aliàs approbati, omnibus, & singulis facultatibus Pœnitentiariis Apostolicis in hac Alma Urbe Nostra concessis circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupatæ, ejusdem Ordinis prope Assisium, quotannis die secunda Augusti, qua festum solenne in dicto ordine celebrari consuevit dumtaxat uti possint, eisdem auctoritate, & tenore concedimus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spe-

spectat, inviolabiliter observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Familiæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 20. Novemb. 1642. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20. Novembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmantur nonnulla Decreta Congregationis Concilii Triden. pro Ecclesia Gandaven.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proposita ab Episcopo Gandaven. Dubia.

§.1. Alias pro parte Ven. Fratris Episcopi Gandaven. Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Triden. Interpretibus exposito, quod nonnulli Ecclesiæ Gandaven. ad Sacros Ordines non promoti, ex quodam asserto dictæ Ecclesiæ statuto, quod Canonici Sacrorum imperiti possint divina officia obire per alios Canonicos ejusdem Ecclesiæ peritos, a se substituendos, prætendebant sibi licere per alios Canonicos Sacerdotes in suo turno divina officia præfata peragere, & ex eadem imperitia se ad Sacros Ordines suscipiendos cogi nullatenus posse, propterea que ipse Episcopus per eosdem Cardinales cupiebat declarari. I. An allegatum statutum, quod Canonici deservire possint per alios Canonicos Sacerdotes substitutos pro Canonicis non habentibus Ordines Sacros suffragetur, & exequi debeat non obstante Decreto Sac. Concilii Tridentini præfati. II. An imperitia debeat eosdem Canonicos perpetuo, vel ad tempus excusare. III. An eisdem Canonicis suffragetur, quod dicta Ecclesia ante erectionem Sedis Episcopalis esset regularis a Jurisdictione Ordinarii exempta. IV. An Episcopus post factas monitiones contra Canonicos prædictos parere recusantes, valeat procedere ad privationem Canonicatuum: subinde ab iisdem Cardinalibus Decretum, declaratumque fuit, ut infra videlicet. Die 20. Julii 1641. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad dubia supradicta respondit, ut sequitur. Ad primum: Hujusmodi statutum non suffragari. Ad secundum: Imperitiam non excusare. Ad tertium: non suffragare. Ad quartum: Episcopum procedere debere, servata tamen forma Concilii Trident. Cardinalis Pamphilius. Franciscus Paulutius S. C. C. Secret.

Congreg. Concilii Decreta.

Petitur Pontificia Confirmatio.

§.2. Cum autem sicut idem Episcopus Nobis nuper exponi fecit, Decretum, & Declarationem hujusmodi quo firmius subsistant apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret,

Confirmantur.

§.3. Nos eumdem Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum, & declarationem præinserta, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula.

§.5. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac præfato, & quibusvis aliis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectū hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 30. Novemb. 1642. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Novembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

Fa-

DCCXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Cardinali Antonio Barberino deputandi personas ad compilandos Processus contra Ducem Mutinensem, ejusque Officiales, tamquam immunitatis ecclesiasticæ, juriumque Sedis Apostolicæ violatores.

Dilecto filio nostro Antonio Sanctæ Mariæ in Vialata Diacono Cardinali Antonio Barberino nuncupato S.R.E. Camerario nostro secundum carnem ex Fratre Germano nepoti.

URBANUS PAPA OCTAUUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Tenlier, de qua in Rubric.

§.1. Conservationi libertatis, immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ pro pastorali nostra sollicitudine consultum esse, ac illorum audaciam, qui libertatem, immunitatem, & jurisdictionem hujusmodi quomodolibet violare, hancque Sanctam Sedem quoquo modo offendere ausi fuerint, opportunis juris, & facti remediis retundi volentes, motu proprio, ac ex certa scientia nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine, circumspectioni tuæ unam, seu plures personas, sive laicas, etiam non graduatas, sive ecclesiasticas, etiam in dignitate non constitutas, & aliàs tibi benevisas, quæ contra quoscumque Ministros, & Officiales dilecti filii nobilis viri Francisci Ducis Mutinen., ac etiam ipsum Franciscum Ducem, quatenus Ecclesias, Monasteria, & alia quævis loca pia, ac personas ecclesiasticas, earumque, & illorum res, & bona quælibet collectis, taleis, tributis, vectigalibus, contributionibus, vel quibuscumque aliis impositionibus, & oneribus, aut militum hospitationibus gravare, vel immunitatem jurisdictionem, & libertatem ecclesiasticam quoquo modo violare, aut quidquam adversus Nos, & Sedem prædictam, seu in nostrum, & illius damnum, & præjudicium moliri, & attentare præsumerent, processus formare, & fabricare, ac desuper diligentes informationes capere, & quoscumque Testes etiam Ecclesiasticos tam seculares, quam regulares, etiam quantumvis exemptos pro informatione Curiæ examinare, ipsosque Testes ad testificandum in præmissis juxta Sacrorum Canonum Decreta compellere, ac quos, & quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie, & extrajudicialiter, ac quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, etiam ultra tres, & plures dietas citare, aliaque omnia, & singula in præmissis necessaria, & quomodolibet opportuna facere, & mandare possint, & valeant, auctoritate nostra tam in scriptis, quam etiam oretenus deputandi plenam, & amplam facultatem, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus.

Derogatio contrariorum.

§.2. Non obstantibus fe. re. Bonifacii Papæ VIII. de una, & in Concilio Generali de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, & usibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, quod omnes, & singulos processus, & testium depositiones, quos fabricari, ac quas sumi super præmissis contigerit, sub sigillo tuo clausos, & clausas ad Nos quam primum caute, & diligenter transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, matura consultatione adhibita decernamus.

Personæ delegandæ non teneantur docere de sui deputatione.

§.4. Uolentes ac decernentes, quod neque tu, neque illi, quos, ut præfertur, deputaveris, præsentes nostras, aut deputationum suarum literas, seu instrumenta cuiquam exhibere, vel aliàs de facultatibus Tibi, & illis vigore præsentium datis, & concessis docere, vel aliqua fide in Judicio, vel extra illud facere umquam teneamini, sed suis, & eorum attestationibus, seu attestationi, etiam oretenus faciendis super facultatibus, & deputationibus hujusmodi plena adhibeatur, & adhiberi debeat fides ubique, ac tam in judicio, quam extra illud, etiam post completos processus, ad quamcumque præfatum effectum.

Datum die 6. Octob. 1642 An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Decembris 1642. Pontificatus Nostri Anno XX.

DCCXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declarat a Delegatis per se in causa amotionis P. Nicolai Rodulphi a Magisterio Generali Ordinis Prædicatorum, & electionis alterius Magistri Gen. procedendum esse extrajudicialiter.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert depositionem Mag. Gen. variasque subsequutas electiones.

§.1. Nuper a Nobis accepto, quod in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Prædicatorum in eorum Monasterio S. Dominici Civitatis Januen. celebrato die

die XXV. Octobris proxime præteriti facta fuerat depositio, seu amotio dilecti filii Nicolai Rodulphi prædicti Ordinis Magistri Generalis, & die XXVI. dicti mensis electus in Magistrum Generalem dicti Ordinis a nonnullis vocalibus, aliisque forsan. non vocalibus dilectus filius Michael Mazzarinus Prior Provincialis Provinciæ Romanæ, & deinde die 30. ejusdem mensis Octobris in Monasterio loci de Corniglìano ejusdem Ordinis, a Civitate Januen. per tria milliaria distante, ab aliis Fratribus ejusdem Ordinis vocalibus, & aliis forsan non vocalibus electus, quoque fuerat in Magistrum Generalem prædicti Ordinis dilectus etiam filius Thomas Roccamora Definitor Provinciæ Aragoniæ Ordinis hujusmodi, quodque desuper factæ fuerant diversę protestationes etiam super nullitate, seu invaliditate Definitorii, seu Capituli prædicti, & interpositæ appellationes nedum ad dilectum filium Nostrū Antonium Sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem Barberinum nuncupatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem, verumetiam ad Nos, & Sedem prædictam.

Causasque omnes inde exortas ad se fuisse avocatas.

§. 2. Nos illico habita de præmissis notitia, ne exinde eidem Ordini aliquod majus præjudicium resultaret jussimus nec in Conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam de Urbe ejusdem Ordinis, nec alibi occasione præmissorum aliquid innovari, donec hujusmodi controversiæ, justitia mediante fuerint a Nobis terminatę, ac subinde omnes, & singulas controversias, litesque, & causas, ac appellationes interpositas nullitatesque hinc, & inde allegatas, allegandasque, & deducendas adversus quæcumque acta, etiam capitularia, in quocumque loco, & a quibuscumque præmissorum occasione facta, & gesta, illarumque cognitionem, & terminationem ad Nos vocavimus, cognitionique, & terminationi nostræ reservavimus, prædictamque jussionem confirmavimus, exequutionemque amotionis, & electionis prædictarum, ac aliorum quorumcumque actorum in Capitulo, & alibi factorum, & inde sequutorum, ipsasque amotionem, & electiones, ac quæcumque alia acta prædicta, sine tamen præjudicio, quorumcumque jurium, cuicumque competen., ac sine retardatione inquisitionis, & processus causæ, & causarum, litisque, & litium pendentium contra dictum Nicolaum suspendimus, donec a Nobis controversiæ, causæque, & lites hujusmodi prout de jure terminatæ fuerint, prout in nostris sub die 9. Nov. proxime præteriti desuper expeditis literis, quarū tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Nonnullisque commissis, quo sibi referrent.

§. 3. Ac subinde volentes Nos de præmissis exactam cognitionem ad Nobis referendum capi dilecto filio nostro Hieronymo tituli Sanctæ Agnetis in Agone Presbytero Cardinali Verospio nuncupato, ac Venerabili Fratri Joanni Baptistæ Episcopo olim Camerinen., ac dilectis filiis Magistris Marco Aurelio Maraldo, Prospero Fagnano, & Francisco Paulutio, in utraque Signatura nostra Referendariis, & Petro Francisco de Rubeis Fisci, & Cameræ nostræ Apostolicæ Advocato, seu eorum majori parti omnium, & singularum controversiarum, contentionum, controversiarum, litium, & causarum appellationum interpositarum, nullitatumque hinc inde allegatarum, & allegandarum hujusmodi cum omnibus, & singulis earum incidentibus, & emergentibus annexis, & connexis, totoque negotio principali cognitionem, & discussionem ad referendum Nobis cum facultatibus, ac sub modo, & forma tunc expressis commisimus, & aliàs, prout in aliis nostris, etiam in forma Brevis die 10. ejusd. mensis Nov. expeditis literis uberius continetur.

Habitis tunc per Delegatis aliquibus Congregationibus.

§. 4. Quarum vigore prædicti Deputati, seu eorum major pars, nedum eidem Michaeli Mazzarino personaliter primodictas nostras literas, ac etiam præceptum, pro illarum observatione intimarunt, sed etiam aliquas Congregationes pro premissis discutiendis fecerunt, in quibus, ut etiam accepimus, ex parte prædictorum Nicolai, & Michaelis, ac Provincialium, qui illum deposuerunt, & hunc elegerunt plura fuerunt coram eisdem deputatis simul congregatis sępius, & voce, & scripto deducta, ac etiam ipsemet Michael, semel personaliter in una prædictarum congregationum comparens fuit auditus.

Adjunctisque postea nonnullis Card. &c.

§. 5. Ut autem accuratior præmissorum discussio fiat, prædictis Deputatis, pro cognitione eorumdem præmissorum, ad Nobis referendum dilectos filios nostros Bernardinum S. Petri ad Vincula, Spadam, Julium Sanctæ Susannæ titulorum, Sacchettum, ac Franciscum Mariam Basilicæ Duodecim Apostolorum, Presbyteros Cardinales Brancatium respective nuncupat., necnon Magistrum Julium Rospigliosum, in utraque Signatura nostra Referendarium per aliàs nostras, in simili forma Brevis die 29. dicti mensis Novembris expeditas Literas adjunximus, in quorum omnium, pluribus Congregationibus prædicti, & alii Provinciales, qui dictum Nicolaum deposuerunt, ac prædictum Michaelem elegerunt, fuerunt auditi.

Urbanus, ut citius res componantur.

§. 6. Quia vero nostræ mentis, & intentionis fuit, & est, controversias, & contentiones hujusmodi, tamquam tendentes in maximum dicti Ordinis, & regularis disciplinæ detrimentum, remotis litium, & Judiciorum ambagibus, quanto citius radicitus amputari, & tolli, idcirco ne circa modum cognitionis præmissorum contingat in aliquo hæsitari;

A delegatis extrajudicialiter procedendū esse declarat.

§. 7. Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine ten. præsentium declaramus, ejusdem mentis, & intentionis nostræ fuisse, & esse, ut Cardinales, & Prælati, ac Advocatus fisci, & Cameræ Apostolicæ prædicti, in prædictis nostris literis deputati, seu eorum major

pars

pars iu præmissis, oon judicialiter procederent, sed ut partes hinc inde extrajudicialiter nullo Juris ordine servato, & absque ulla tela judiciaria, ac non servata aliqua judicii forma, aut juris solemuitate audiant, illisque, sie extrajudicialiter auditis, Nobis referant, satisque fore, & esse, si per extrajudicialem qualemcumque monitionem contra prædictos Nicolaum, & Michaelem, si personaliter haberi poterunt, nisi minus per dimissionem copiarum, ad loea eorum habitationis, & affixionem in Valvis Monasterii Beatæ Mariæ supra Miuervam; adversus autem alios omnes, & quoscumque interesse habentes, aut quomodolibet habere putantes, seu prætendentes, per proclama in eisdem Valvis Monasterii Beatæ Mariæ supra Minervam, ac in Acie Campi Floræ, & in Valvis ædium prædicti Joannis Baptistæ, Episcopi Olim Camerinen. per unum ex nostris cursoribus, de ordine prædictæ Congregationis, etiam ex officio semel, ut præmittitur, intimandam, seu exequendam, iidemque Nicolaus, & Michael, omnesque, & quicumqoe alii quomodolibet interesse habentes, aut habere putantes, seu prætendentes, fuerint moniti, ad exhibendom in actis dilecti filii Sebastiani Cæsii Notarii Vicarii Urbis, diceudum, & allegandum, tam verbo, quam scriptis, coram ipsa Congregatione, seu ejus deputatis infra peremptorium terminum trium dierū a die hujusmodi intimationis, seu exequutionis respective decurren., qui quidquid volunt, & possunt super hujusmodi negocio, cum comminatione, quod elapso prædicto triduo, Nobis prædicti deputati relatiunem facient, & hujusmodi extrajudiciales monitiones, seu certiorationes, ut præmittitur, facieudas, & exequendas, perinde afficere, ac si forent prædictis, & eorum singulis personaliter intimatæ.

Eisque necessarias ad id facultates concedit.

§.8. Ac etiam propotiori cautela, quatenus opus sit, eisdem deputatis, ut supra pleuam, & amplam, necessariamque, & quomodolibet opportnnam potestatem, & facultatem denuo super prædictis ten. præsentium concedimus, & impertimur, ac ex nunc, omnia, & siugula quæ earumdem vigore facta fuerint valida fore, pleuamque roboris firmitatem obtinere decernimus, & declaramus, illasque approbamus, & confirmamus, supplentes omnes, & singulos facti, & Juris defectus quantumlibet substātiales, si qui forsao desuper intervenerint.

Clausulas addit.

§.9. Decernentes præsentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quocumque alio, quantumvis substantiali defectu ex quovis capite, prætextu, causa, & occasione notari & impugnari, in controversiam adduci, aut adversus illas aperitionis oris restitutionis in integrum, & quodvis alind juris facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili coucesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore; sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit &c.

Tollitque contraria.

§.10. Non obstantibus omuibus, & singulis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 6. Decem. 1642. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Decem. 1642. Pontificatus uustri Anno XX.

DCCXXIX.

Ex Regest. in secret. Brev.

Cavetur, quominus Doctoribus Collegiatis Studii Bononien. ut in venditione locorum redemptorum Montis Annonæ tertiæ erectionis a Regimiue, & Administratoribus Gabellæ prædictæ præjudicium nou inferatur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert datam Regimini Bonon. facultatem quandam Montium Loca vendendi.

§.1. Aliās dilectis filiis regimini, & Reformatoribus libertatis Civitatis nostræ Bononien, quo pecuniæ, quibus iu præseutes necessitates utantur, illis suppeterent concessimus, ut cum participatione dilecti filii nostri tuuc existentis in prædicta Civitate, & illius Comitatu nostri, & Apostolicæ Sedis de latere Legati, ea omnia, & singula loca, & portiones Montis Retalei ouncupati, vel Montis de Annona tertiæ erectionis, etiam nuncupati apostolica nostra auctoritate alias erectorum, eo usque redempta, seu francata, ex illis pecuniis, quæ superfuerant de exactis ratione augmenti datii carnis pariter nuncupati, in Civitate, Comitatu, districtu, & legatione Bononien., ac insuper majorem eorumdem locorum, seu portionum alterutrius ex montibus hujusmodi quantitatem, cum eisdem privilegiis, & immunitatibus contentis in Literis Apostolicis super erectione montium hujusmodi emanatis, eisdemque modo, & forma in omnibus, & per omnia vendere, illorumque dote in prædictas necessitates tantum uti, ita tamen, ut ex eo, quod superesset, scuta mille Bononien. libera remanerent in Montis, cujus loca revenderentur, extinctionem, & francationem, in erectione montis hujusmodi, seu licentia illum erigendi ordinatam convertenda, necnon etiam, quia non ita pridem aliam medietatem augmenti datii prædicti, quæ Cameræ Apostolicæ solvenda erat juxta nostras super erectione dicti Montis del Retaglio nuncupati expeditas literas, eisdem Regimini, & Reformatoribus concesseramus ea lege, ut ipsi eidem Cameræ quotannis vigintiduo libr. monetæ prædictæ millia persol-

solvere deberent juxta Instrumentum desuper celebratum; Nos eisdem Regimini, & Reformatoribus insuper indulsimus, quod pariter illa pecuniarum quantitate, quæ ultra dicta viginti duo librarum hujusmodi millia quotannis percipi posset ex exactione medietatis augmenti dicti datii, ad eamdem Cameram Apostolicam prius spectantis, ut præfertur, uti, & inde tot loca alterutrius ex Montibus hujusmodi pro solvendis quorum fructibus ad rationem quinque scutorum pro quolibet loco pecuniarum quantitas prædicta sufficeret, erigere, seu jam erecta vendere libere, & licite possent, & valerent, & aliàs prout in nostris in simili forma brevis die 5.Oct. proxime præteriti desuper expeditis literis quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Doctores autem studii Gen. supplicasse, ut suis privilegiis consuleretur. Consulit Urbanus.

§.2. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Doctores Collegiati Universitatis studii generalis dictæ Civitatis ducenti, & amplius anni effluxerint, ex quo datium gabellæ grossæ nuncupatum eum ejus annexis in Civitate prædicta fuit auctoritate apostolica separatum ab aliis datiis ejusdem Civitatis, & pro manutentione dicti studii applicatum concessa Doctoribus Collegiatis hujusmodi totali ejus administratione, & relicto aliorum datiorum ejusdem Civitatis gubernio eisdem Regimini, & Reformatoribus indeque factum fuerit, ut Nos, quando partem redditum dictæ gabbellæ grossæ pro dote Montis Annonæ prædicti assignavimus, facultatem vendendi loca Montis hujusmodi illiusque administrationem non solum Regimini, & Reformatoribus prædictis, scilicet assumptis ab eodem Regimine deputatis pro administratione prædictæ gabellæ grossæ, sed etiam gabellæ prædictæ Syndicis, & Administratoribus, per alias nostras in eadem forma brevis die 23. Septembris 1628. expeditas literas concesserimus; de hac vero concessione in prædictis nostris literis die 5. Octobris expeditis nulla fiat mentio, Nobis propterea exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut eorum indemnitati in præmissis per opportunæ declarationis nostræ ministerium providere de benignitate apost. dignaremur.

Consulit Urbanus.

§.3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, mentis, & intentionis nostræ non fuisse, ullum per jam dictas nostras literas præjudicium juribus exponentium prædictorum inferre, ac proinde circa administrationes locorum dicti Montis Annonæ vigore earumdem literarum nostrarum venditorum servandum esse omnino id, quod per dictas nostras literas die 23. Septembris 1628. desuper, ut præfertur, expeditas statuimus, & ordinamus, servata in omnibus forma, & dispositione prædictarum nostrarum dicta die 5. Octobris expeditarum literarum apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.

Sicque ab omnibus judicari præcipit.

§.4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Et contraria tollit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis quæ in dictis nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis &c.

Datum die 12. Decem. 1642. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Decembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXX.

Modus præcedendi inter Fratres Minores Strictioris Observantiæ Sancti Francisci Familiæ Cismontanæ.

Statuta, de quibus agitur, fuerunt confirmata Anno 1628. prout sub Constit. CL. Tom. V. Par. V. fol. 361. Sacrosanctum, *Reliqua vide ad Constitr.*668. *supr. fol.*249. Religiosos viros, *ac in Const.*612. Injuncti Nobis *fol.*193. *hujus Pontif.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Aliàs pro Congregatione Generali proxime præterita, ut in Provinciis Reformatis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod electiones in Capitulis, & Congregationibus capitularibus earumdem Provinciarum per secreta suffragia fiant, & in suffragiorum paritate Præsidens ipsius Capituli, seu Congregationis votum decisivum habeat, ac circa transitum eorumdem Reformatorum ad Fratres de Familia, seu Observantes ejusdem Ordinis, Constitutiones fel. rec. Clementis VIII. necnon Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostra desuper edita observentur, apostolica auctoritate statuimus, concessimus, & indulsimus, & aliàs prout in nostris desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Commissarii Gen. preces.

§.1. Cum autem, sicut dilectus filius Commissarius Generalis eorumdem Fratrum Reformatorum Ordinis hujusmodi Nobis nuper exponi fecit, statuta generalia omnium, & singularum Provinciarum Reformatorum Cismontanæ Familiæ dicti Ordinis a Nobis approbata, & confirmata typis mandari debeant, præmissa vero concessiones, & indulta, necnon ordo in eisdem statutis circa præcedentiam stabilitus, cum nonnullis Constitutionibus Apostolicis non con-

concordent: Nobis propterea idem Commissarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut præmissa pro illorum subsistentia firmiori apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communire, ac aliàs opportune, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio Indultorum Pontificiorum.

§.2. Nos igitur eumdem Commissarium Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfata concessiones, & indulta apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; & insuper quod Definitores secundum Ordinis antianitatem præcedant.

Ordo Præcedentiæ.

§.3. Quinam autem, & quomodo precedere debeant, ut sciatur quis Minister Provincialis, qui aliàs Ministri generales, seu Commissarii Generales, qui tamen uni soli duntaxat Superiori actuali suberunt, & qui Procuratores, aut Definitores Generales, qui propriæ, aut alterius Provinciæ Ministri Provinciales, qui Custodes regiminis in sua, aut aliena Custodia reformata, qui Secretarii Generales per triennium, juxta Bullam unionis, aut qui Guardiani Terræ Sanctæ fuerunt, necnon Custos vocalis, & Definitores actuales durante officio, Provinciales actuales extra Provinciam præcedant eos, qui aliàs Ministri Provinciales fuerunt; post eosdem Ministros Provinciales actuales in Sacra Theologia Lectores actuales, ac Guardiani in ejus Conventibus omnes, & singulos, eorum Superioribus actualibus exceptis; Vicarii omnes alios præter Ordinis, & Provinciæ Patres præcedant; sedebunt tamen in Refectorio juxta, & prope Guardianos immediate, & absentibus ipsis Guardianis in actionibus publicis etiam omnes supradictos præcedent: Post ipsos autem Vicarios, Sacerdotes, deinde Clerici, & post Clericos Laici dicti Ordinis juxta antiquitatem receptionis habitus pariter præcedent.

§.4. Ac ut cuivis perturbationi, quæ circa modum præcedentiæ hujusmodi oriri posset, obviam eatur, mandamus omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus Reformatis hujusmodi sub suorum officiorum privationis ipso facto incurrenda pœna, ut prædictum præcedentiæ modum, & ordinem inter eosdem Fratres Reformatos, ut præfertur, stabilitum ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari curent, & faciant, & ipsimet observent.

Clausula.

§.5. Decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Provinciarum, & Custodiarum Reformatarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 22 Decemb. 1642 An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 22. Decembris 1642. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

DCCXXXI.

Confirmatio Privilegiorum, & declaratio statutorum pro gubernio Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum, ac Indiarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur Literæ aliàs emanatæ.

Aliàs pro felici, prosperoque regimine, & gubernio, ac uniformiori Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupat., Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum perfectione, & puritate à Nobis emanarunt literę tenoris subsequentis videlicet: Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

Tenor hujusmodi Literarum.

§.1. Aliàs, postquam sublatis per recolendæ memoriæ Gregorium Papam XV. Prædecessorem nostrum Patribus Provinciarum in Definitorio Generali Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum de anno 1639. in Alma Urbe nostra celebrato, de consensu dilecti filii Nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini, nuncupati, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex Fratre Germano Nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris statutum fuisset;

§. 2. Ut duo tantum Patres Provinciæ in singularum Provinciarum Ultramontanę Familiæ definitoria introducerentur, unus scilicet, qui in Provincia reliquis dignior esset, ille nimirum, qui inter Patres Provinciæ primum locum sibi vindicaret, qui quidem in definitorio semper assisteret; Alter vero, qui immediate Ministri Provincialis officium absolvisset, ut sequenti etiam immediate triennio dumtaxat eam obtineret dignitatem, & in definitorio assisteret, ea tamen

tamen lege, ut si iste ex qualibet causa deficeret, in ejus locum subrogatus eo ipso esset qui ante ipsum Minister Provincialis immediate extitisset, triennio autem hujusmodi transacto, alius, qui Ministri Provincialis officio etiā immediate functus fuisset, subsequeretur, & sic deinceps de triennio in triennium dumtaxat servaretur: Ita quod numquam hi duo Patres in dd. Provinciarum definitoriis desiderarentur, quodque si contingeret, ut qui hujusmodi assistens, alio titulo de eodem definitorio esset dignior, & perpetuus in definitorio existeret, sibique ejus in illud ingrediendi competeret, tunc in ejus locum ipso facto subrogatus esset ille Pater Provinciæ, qui eidem dignitate proximus fuisset. Subinde Nos institutionem, seu restitutionem præfatorum duorum Patrum Provinciæ pro definitoriis Provinciarū præd. in dicto generali definitorio factam, & postmodum omnia, & singula statuta in Capitulo generali dicti Ordinis de eodem anno celebrato edita, sine tamen præjudicio observantiæ regularis, ac statutorum apostolica auctoritate confirmatorum, ac ordinationum, & Brevium Apostol. pro Fratribus Discalc. d. Ordinis Hispaniarum, & Indiarum factorum, & emanatorum, confirmavimus.

Hoc Patruum non competit Discalceatis.

§.3. Ac demum cum Nobis innotuisset, quod institutio, seu restitutio præfatorum duorum Patrum Provinciæ, quoad eosdem Fratres Discalceatos Hispaniarum, & Indiarum dicti Ordinis, nedum eorum statutis, ac Literis Apostolicis, pro ipsis emanatis adversabatur, sed etiam causa perturbationum fuisset: Idcirco Nos motu proprio, ac ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, præfatos Fratres Discalceatos Hispaniarum, & Indiarum, ac eorum Provincias, & Custodias præsentes, & futuras, quoad introductionem duorum Patrum Provinciæ in singula Provinciarum suarum definitoria, sub præfato definitorio generali hujusmodi edito, ac certis nostris literis incipientibus: *Onerosa*, &c. aut quibusvis aliis dicti Ordinis statutis, aut decretis, Literisque Apostolicis, circa eamdem materiam emanatis, quæ, & quas quoad hoc revocavimus, cassavimus, & annullavimus, nullatenus comprehendi, nec esse comprehensos declaravimus.

Quod non introducantur Patres inter Discalceatos.

§.4. Et insuper statuimus, & ordinamus, ut in Provinciarum Hispaniarum, & Indiarum corumdem Fratrum Discalceatorum Capitula, Congregationes, & Definitoria nullus omnino Pater Provinciæ quovis sub prætextu introduceretur, sed in illis dumtaxat Minister Provincialis, aut Vicarius Provincialis, & Definitores actuales, Custodes autem juxta usum, & morem Provinciarum, & Custodiarum admitterentur. Quodque, si in alicujus ex dictis Provinciis definitorium præfati duo Provinciæ Patres introducti fuissent, illi ipso facto amoverentur, & electio per eos facta, sub privationis suorum officiorum, aliisque arbitrii nostri pœnis omnibus, & singulis superioribus, qui dictos duos Patres Provinciæ, & definitorium hujusmodi admisissent, nulla, & irrita existeret, ipsique Fratres Discalceati Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi, sub eisdem pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, juxta statuta, & Ordinationes Provinciarum hujusmodi viverent, & regerentur, ac aliàs prout in diversis nostris in simili forma brevis literis desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

§.5. Cum autem, sicut nuper accepimus, dilecti filii, Minister, & Procurator Generalis dicti Ordinis præmissis sese opposuerint, prætextu, quod aliquæ ex Provinciis eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi, quedam generalia, seu particularia ordinationes, & statuta, seu privilegia habeant, juxta quæ diversimode, & aliàs, quam in præfatis nostris literis statutum, dispositum que fuit, gubernantur; idcircò Nos pro majori, & uniformiori eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi perfectione, & puritate in præmissis opportunc providere volentes, motu, scientia, ac deliberatione similibus, deque apostolicæ potestatis plenitudine; Quod præfatæ nostræ literæ pro eisdem Fratribus Discalceatis Hispaniarum, & Indiarum emanatæ, ut præfertur, sive illorum aliquæ Provinciæ habeant aliqua statuta, & ordinationes, seu privilegia generalia, aut particularia, sive non habeant, omnino, & inviolabiliter observentur, observariq; debeant in omnibus eorumd. Fratrum Discalceatorum Provinciis, & Custodiis nunc, & pro tempore existen. in partibus Hispaniarū & Indiarum hujusmodi; quodque præfatæ Provinciæ, & Custodiæ dictorum Fratrum Discalceatorum nunc, & pro tempore existentes in eisdem Hispaniarum, & Indiarum partibus per sua propria statuta, ordinationes, & leges gubernentur, absque eo, quod generalibus totius Ordinis statutis, & consuetudinibus subiaceant, ea tamen lege, ut ad receptionem prædictorum duorum Patrum Provinciæ nullum, sive Generale, sive particulare, & proprium statutum possit ipsis Fratrum Discalceatorum Provinciis, & Custodiis Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi suffragari, sed semper literæ nostræ prædictæ inviolabiliter, & inconcussè, ac generaliter observentur, tenore præsentium decernimus, statuimus, & ordinamus.

Quod Discalceati per sua propria statuta gubernentur.

§.6. Si vero forte contingat in eisdem Provinciis, & Custodiis Fratrum Discalceatorum prædictorum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi aliqua Capitula, Congregationes, seu actiones, in quibus præfati duo Patres Provinciæ, vel eorum aliquis interfint, & reperiantur, celebrari, eo ipso omnia, & singula, quæ inibi decreta, & constituta fuerint, irrita, & nulla, nulliterque, & invalide gesta, & facta fuisse, & esse, ac fore declaramus.

§.7. Dantes eisdem Fratrum Discalceatorum Provinciis, & Custodiis Hispania-

Quod Discalceati possint mittere Procuratorem ad Roman. Cur.

niarum, & Indiarum hujusmodi facultatem mittendi ex eisdem Fratribus Discalceatis suos proprios Procuratores ad Romanam Curiam, quotiescumque sese obtulerit occasio, pro negotiis earumdem Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi pertractandis. Volumus autem, ut salvis supradictis, dicti Fratres Discalceati Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi, in reliquis subjecti remaneant jurisdictioni, visitationi, & correctioni Ministri eorumdem Fratrum de Observantia Generalis, pro tempore existentis, ita quod ipse Minister Generalis per seipsum, vel alium, seu alios ex ipsis Discalceatis dicti Ordinis tantum, possit eosdem Fratres Discalceatos corrigere, visitare, & in eos jurisdictionem exercere. Quodque si Minister Generalis prædictus abfuerit, non deputatis ab eo hujusmodi Fratribus Discalceatis ad supradictum effectum, tunc omnes, & singulæ Provinciæ, Custodiæ prædictæ per Ministros, ac Custodes suos gubernentur, juxta quasdam alias nostras in simili forma brevis die 8. Aprilis proxime præteriti expeditas literas, quarum etiam tenores præsentibus pro expressis haberi volumus.

Subiiciuntur Ministro Generali.

§.8. Mandantes propterea omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, a qua nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, aliisque arbitrii nostri, necnon officiorum suorum privationis, perpetuæque inhabilitatis, ad illa, & alia imposterum obtinenda pœnis, ut eosdem Fratres Discalceatos Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi, præmissorum omnium commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant.

Decretum irritans.

§.9. Decernentesque præsentes literas, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu, etiam quantumvis substantiali, vel formali nullatenus umquam notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut in jus, vel controversiam adduci, vel revocari posse; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutoris deputatio.

§.10. Quocirca dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ nunc, & pro tempore in Hispaniarum Regno existenti Nuncio, per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra præfatas, & præsentes nostras literas hujusmodi debitæ, & omnimodæ exequutioni demandari. Non permittens eos contra earumdem prædictarum, & præsentium literarum tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§.11. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, necnon præfatis Ministri, & Procuratoris Generalium dicti Ordinis oppositionibus, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon ipsius Ordinis, ac Provinciarum, & Custodiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, ac Provinciarum, & Custodiarum hujusmodi Superioribus, Fratribus, & personis, ipsisque Provinciis, & Custodiis, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus pariter, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Ro-

mæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Julii 1642. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

Confirmatio prædictarum Literarum.

§. 12. Cum autem, sicut accepimus, in præfatis Indiarum partibus ob ingentes distantiam, & quæ inter ipsos Fratres Discalceatos cum Observantibus ejusdem Ordinis intercedit contractionem, expediat, ut literæ Apostolicæ, quæ eo perveniunt maxime claræ sint, clausulasque contineant efficaces, earumdemque literarum exequutio venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis illarum partium, in quibus nullus Sedis Apostolicæ Nuncius existit, committatur. Idcirco Nos pro nostra pastorali sollicitudine in præmissis opportune, ut infra, providere volentes, motu, scientia, ac deliberatione paribus deque apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas nostras literas cum omnibus in eis contentis tenore præsentium confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Et insuper quod dicti Ordinis Fratres Discalceati hujusmodi, qui absentibus eorum Ministris Generalibus, supradictas Provincias, & Custodias Indiarum præsentes, & futuras regere, & visitare debebunt, earumdem Provinciarum, & Custodiarum Indiarum, aut Hispaniarum ex Discalceatis hujusmodi filii esse, & in illis habitum per eosdem Discalceatos gestari solitum suscepisse, & professionem per eos emitti consuetam expresse emisisse debeant, quodque nullus ex dicti Ordinis Observantibus, præter illius Ministrum Generalem pro tempore existentem, aut qui aliàs de Observantia fuerit, etiamsi inter eosdem fratres Discalceatos regere, nec visitare, nec in eos ullum superioritatis actum quoquomodo exercere queat: in eventum vero, in quem Ministri Generales præmissis, aut illorum cuilibet contraveuirent, præfatæ Provinciæ, & Custodiæ eorumdem Fratrum Discalceatorum Indiarum hujusmodi, juxta quasdam aliàs nostras in simili forma Brevis die 8. Aprilis proxime præteriti ad hunc effectū pro Provinciis eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum concessas, & emanatas vivere, & gubernare possint.

Communicatio hujusmodi Privilegiorum.

§. 13. Ac demum, quod dictæ Provinciæ, & Custodiæ eorumdem Discalceatorum Indiarum, præsentes, & futuræ quarumvis literarum, privilegiorum, & gratiarum a Sede Apostolica Provinciis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum, videlicet S. Josephi, S. Pauli, & S. Joannis Baptistæ concessorum, & concedendorum participes sint, statuimus, & ordinamus.

Clausulæ.

§. 14. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quoquam defectu nullateous umquam notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam adduci, vel revocari posse; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputati.

§. 15. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis in eisdem Indiarum partibus constitutis, sive dilectis filiis eorum in spiritualibus Vicariis, & Officialibus per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, aut quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum Provinciarum, & Custodiarum Indiarum hujusmodi fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præinsertas, & præsentes nostras Literas hujusmodi debitæ, & omnimodæ exequutioni demandari. Non permittentes eos, contra earumdem præinsertarum, & præsentium Literarum tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem præinsertis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§. 16. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 22. Decemb. 1642. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vigesimasecunda Decembris 1642. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

Con-

DCCXXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Concilii, quod Episcopus Saonen. non possit impediri a Visitatione Hospitalis Beatæ Mariæ de Misericordia Civitatis Saonen.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa vertens inter Episcopum, & Administratores Hospitalis de Misericordia;

§.1. Exponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater modernus Episcopus Saonen., quod in causa inter ipsum ex una, necnon inter dilectos filios Communitatem, & Homines, ac Administratores Hospitalis B. Mariæ de Misericordia nuncupati Civitatis Saonen. partibus ex altera, super visitatione dicti Hospitalis vertente dubio, jussu nostro proposito a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis videlicet.

S Cong. Conc. decrevit Episcopū non posse impediri ab illius visitatione.

§.2. Die 6. Decembris 1632. S. Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum partibus auditis, ore, & scriptis, ac rationibus hinc inde deductis reiterate, & mature perpensis unanimi voto censuit Episcopum non posse impediri a Visitatione dicti Hospitalis Beatæ Mariæ de Misericordia, nec ab assistentia in revisione rationis reddendæ administrationis, & redditunm ejusdem Hospitalis.

Card. Pamphilius.

Loco † Sigilli.

Franciscus Paulutius S. Congregationis Concilii Secr.

Quod Decretū Episcopus petiit confirmari.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat idem Episcopus decretum hujusmodi, quo firmius subsistat apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret.

Confirmatur.

§.4. Nos eumdem Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit,ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,decretum præinsertum apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulæ.

§.4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere,ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Archiepiscopus Januen. executor deputatur.

§.5. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Januen.per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte ejusdem, & pro tempore existentis Episcopi Saonen. fuerit requisitus solemniter publicans, illique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra præinsertum decretum, præsentesque nostras literas debitæ, & omnimodæ exequutioni demandari, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit observari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tolluntur.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatis, & Hospitalis hujusinodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 3. Januarii 1643. An.XX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Jan. 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Indultum Alumnis Collegii Scotorum Parisiis suscipiendi Sacros Ordines absque Literis dimissorialibus, et titulo.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Indultum, de quo in Rubr.

§.1. Ut Alumni Collegii Scoti in Civitate Parisien. canonice erecti,eo ad literarum studia prosequenda, specialibusque suæ patriæ necessitatibus succurrendum alacriores sint, quo ampliores ab hac Sancta Sede gratias, & favores receperint, illorum, necnon dilecti filii Rectoris Collegii hujusmodi supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dc Venerabilium Fratrum nostrorum

S.R.E.

S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio eisdem Alumnis, ut eo temporis spatio, quo in Collegio prædicto sese continuerint, & Superiorum judicio in studiis profecerint ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines, etiam sine Literis dimissorialibus, nisi habeant Episcopos proprios, a quibus illæ obtineri potuerint, cum ad Collegium dirigentur, & sine beneficii ecclesiastici, aut patrimonii titulo, ac etiam extra legitimarum ordinationum tempora, dummodo tamen aliàs ad id reperiantur idonei, promoveri possint, & valeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus.

Indulgentia Alumnis nonnullis temporibus proposita. §.2. Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis Scholaribus, qui in dictum Collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu, siquidem confessi, & contriti Sacram Communionem devote receperint, atque etiamsi in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargimur.

Contrariorum derogatio. §.3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis universalibus provincialibusque, & synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 11. Januar. 1643. An. XX. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 11. Januar. 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXXIV.

Privilegia concessa Universitati, & personis Mercatorum Fundaci, & Mercantiæ Urbis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Universitas, & Homines Artis Mercatorum de Fundaco, & Mercantia nuncupata hujus Almæ Urbis nostræ erga Nos, & Apostolicam Sedem gerere comprobantur, Nos inducit, ut eorum indemnitati libenter consulamus.

Creditur libr. Merc. sine adminiculis usque ad sc. 50 mon. contra omnes personas. §.1. Volentes igitur Universitatem, & Homines hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Universitati, & Hominibus, & eorum singulis, ut ipsorum Codicibus, & Libris rationum de mercibus, & rebus ad Artem Mercatorum hujusmodi spectantibus usque ad summam quinquaginta scutorum monetæ Romanæ dumtaxat contra quamlibet personam, omnibus partitis ejusdem rationis simul computatis, ubique in judicio, & extra judicium plene credatur, & indubia fides adhibeatur, etiam sine adminiculis, dummodo dicti libri mercantiles, & mercantiliter, mercatorumque more, & ordine scripti, confecti, & retenti sint, rationabilique suspicione careant, ac ipsi mercatores scribentes sint bonæ fidei, & a Consulibus dictæ Universitatis approbati.

Præferuntur Mercatores pro sc. 50 mon. not. Pistores, & Aromatarios, omnibus aliis etiam haben. oblig. Camerales, & ex causa dotis. §.2. Præterea, quod dicti Mercatores, ac eorum hæredes, & successores pro pretio mercium, & rerum ad eamdem Artem spectantium post Pistores, & Aromatarios ejusdem Urbis omnibus, & singulis aliis cujusvis defuncti, quamvis potioribus, & anterioribus creditoribus, etiam quasvis obligationes, etiam Camerales, & publica Instrumenta jurata, & quavis hypotheca vallata, etiam causa dotis, & quasvis aliàs clausulas, seu cautelas in se continentes habentibus usque ad similem summam quinquaginta scutorum hujusmodi tantum præferantur, & præferri debeant dummodo, quoad dotes probetur versio in utilitatem viri, & uxoris, ac filiorum in communione viventium.

Appellatio suspensiva datur in causis Mercatorum in summa pro summa pro qua permittatur appellare in causis Pistorum, & Aromatariorum Urbis. §.3. Demum, quod in causis Mercatorum hujusmodi contra quoscumque motis, & movendis de mercibus, & rebus ad Artem prædictam spectantibus non sit locus appellationi suspensivæ pro ea summa pecuniarum dumtaxat, pro qua in causis Aromatariorum, & Pistorum prædictorum, vigore Indultorum Apostolicorum eis concessorum non datur pariter appellatio suspensiva, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes præsentes literas nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, vel impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodvis juris, & facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Mercatoribus plenissime suffragari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, ac Curiæ Cameræ Apostolicæ Generales Auditores, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Or-

& Ordinationibus Apostolicis, legibus quoque etiam Imperialibus, ac prædictæ Artis, etiam juramento, confirmatione apost., vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 12. Jan. 1643. An. XX. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 12. Januarii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXV.

Indulgentia perpetua in Ecclesiis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci pro Festo Portiunculæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

In Literis Apostolicis Indulgentiæ Portiunculæ non nominabantur Ecclesiæ Tertii Ordinis. §. 1. CUM, sicut dilectus filius Joannes de Solis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci. Provinciæ Andalusiæ, & Regni Granatensis in Hispania Procurator Generalis suo, & eorumdem Fratrum nominibus Nobis nuper exponi fecit, aliàs fel. record. Pius Papa V. Prædecessor noster per quasdam suas literas incipientes: *Ea est officii nostri ratio*, Fratribus Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci, eorumque Ecclesiis omnia, & singula privilegia, dispensationes, Indulgentias, & Indulta Apostolica dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, & eorum Ecclesiis concessa, & concedenda, multique alii, & præsertim Paulus V. & Gregorius XV. Rom. Pontifices etiam Prædecessores nostri omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictas eorumdem Fratrum Minorum Ecclesias die secunda Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem perpetuo duraturam misericorditer in Domino respective concesserint. Quia vero dicta plenaria Indulgentia perpetua nominatim, & expresse Fratribus dicti Tertii Ordinis per literas eorumdem Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum concessa non reperitur, Christifideles ad eorumdem Tertiariorum Ecclesias die præfata non confluunt.

Procuratoris Gen. preces. §. 2. Nobis propterea per eumdem Joannem Procuratorem Generalem hujusmodi dictis nominibus supplicatum fuit, ut in præmissis opportune, ut infra, providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Joannem Procuratorem Generalem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati;

§. 3. Quod omnes, & singuli utriusque sexus Christifideles vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, qui Ecclesias Fratrum Tertiariorum hujusmodi ubilibet existentes dicta secunda die Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei visitaverint, & ibi oraverint, ut præfertur, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia eamdem plenariam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequantur, perinde, ac si præmissa in Ecclesiis prædictorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia peragerent, apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, concedimus, & indulgemus. Concedit, ut in Rubr.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ dicti Romani Pontifices Prædecessores voluerunt non obstare, ac quatenus opus sit, regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogat contrariis.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 13. Januar. 1643. Pontificatus Nostri Anno XX. Datum die 13. Januarii 1643. An. XX.

Ere-

DCCXXXVI.

Erectio Provinciæ Reformatæ Sancti Vigilii Fratrum Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ.

*De erectione Custodiarum Reform. in Provincias vide in Const.CL. Tom. V. Par. V. fol.*361. Sacrosanctum, *& in Const.*612. Injuncti Nobis. *supr. fol.*193.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Pastoralis officii Nobis divinitus injuncti assidua sollicitudo nos admonet, ut omni cura, & vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ regularium personarum, quæ relicto seculo, Dei obsequio se sub arctioris disciplinæ norma dedicarunt, statui consulitur, ut secundum Ordinum suorum Regularia instituta gratum Altissimo impendentes famulatum, felicioribus in dies in via Domini proficiant incrementis.

Motiva separationis. §.1. Cum itaque, sicut exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Commissarius Generalis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorum nuncupatorum, e re Ordinis hujusmodi apprime futurum sit, si S. Bernardini Tridentini, ac S. Antonii de Cles, necnon Sanctæ Mariæ Gratiarum nuncupatæ de Arco, ac S.Rocchi de Rovereto, & Sancti Francisci de Burgo, necnon ejusdem Sancti Francisci de Pergine Terrarum, seu Locorum Tridentinæ, & Feltrensis respective Diœcesis, Domus Regulares, seu Conventus Fratrum Reformatorum Ordinis hujusmodi a Provincia Veneta, aliàs Sancti Antonii, ejusdem Ordinis, sub qua existunt, omnino separentur, dismembrentur, ac ex illis nova Provincia sub titulo Sancti Vigilii erigatur, & instituatur, nedum quia Fratres domorum Regularium seu Conventuum hujusmodi sunt nationis diversæ ab aliis Provinciæ Venetæ prædictæ Fratribus, sed etiam ob linguarum varietatem, Commissariorumque Ordinis hujusmodi in Germania pro tempore mittendorum commoditatem, qui ad munus Commissarii hujusmodi eo aptiores erunt, quo magis idiomate, ac moribus italis imbuti fuerint, prout sunt Tridentini, tum etiam, quia major erit numerus illorum, qui habitum regularem suscipient, quando propriam in illis partibus Provinciam habuerint, magno cum animarum Christifidelium Germaniæ fructu, & consolatione.

Erigit in Provinciam prout in Rubrica. §.2. Nobis propterea dictus Commissarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum Divinum, & Regularem Disciplinam nostris temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, piis dicti Commissarii Generalis votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, domos Regulares, seu Conventus supradictas, & supradictos a dicta Provincia Veneta, seu S. Antonii ejusdem Ordinis, sub qua hactenus, ut præfertur, extiterunt, omnino dismembramus, & separamus, ac Domos Regulares, seu Conventus hujusmodi sic dismembratas, seu dismembratos, separatasque, seu separatos in novam Provinciam S.Vigilii nuncupandam cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, indultis, privilegiis, & gratiis, quibus aliæ Fratrum Reformatorum ejusdem Ordinis Provinciæ frui, & gaudere solent, ac possunt, & debent apostolica auctoriate tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Fratribus prædictis plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4. Non obstantibus Costitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ Venetæ, seu S. Antonii hujusmodi, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Provinciæ Venetæ, seu S. Antonii, ejusque Ministro Provinciali, & quibusvis aliis Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 18. Januarii 1643. An.XX. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 18. Januarii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

Ere-

DCCXXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Erectio Monasterii Monialium SS. Quatuor Coronatorum de Urbe pro puellis Orphanis ibi educandis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

IN specula militantis Ecclesiæ per abundantiam Divinæ gratiæ constituti inter ceteras apostolicæ servitutis curas eam peculiari studio amplectimur, per quam Monasteria devoti feminæi sexus ad majorem Dei gloriam ubique, præsertim vero hac in alma Urbe nostra, a qua velut fonte in cæteras orbis Christiani partes bonorum operum exempla dimanant propagari, in iisque Puellæ, quæ sub clausuræ, & observantiæ regularis disciplina, virginitatem suam Deo consecrare, illisque perpetuum impendere desiderant famulatum, recipi valeant, ac desuper pastoralis officii nostri partes libenter interponimus, prout rerum, & personarum qualitatibus debite pensatis conspicimus, in Domino salubriter expedire.

Monialium defectum orphanas puellas educandi postea ad professionē admittendas.

§.1. Sane pro parte dilecti filii nostri Antonii Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E. Camerarii nostri secundum Carnem ex Fratre Germano Nepotis, ac Archiconfraternitatis Orphanorum de Urbe prædictæ apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, necnon dilectorum officialium dictæ Archiconfraternitatis Nobis nuper, expositum fuit, quod in Monasterio Monialium Sanctorum Quatuor Coronatorum de eadem Urbe Ordinis Sancti Augustini una Priorissa, & viginti quatuor Moniales expresse professæ existant, quæ Puellas Orphanas instruant, inter quas plures spretis mundi vanitatibus, Altissimi obsequiis, sub suavi Religionis jugo sese mancipare in eodem Monasterio desiderant; Verum desiderii sui hujusmodi compotes effici nequeunt, quia numerus monialium dicti Monasterii augeri non potest.

Administratores arch confraternit. Orphanorum petūt erigi Monasterium pro hujusmodi puellis

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, pro construendo alio ejusdem Ordinis Monasterio Puellis Orphanis prædictis quondam Bartholus Venturonus, quatuor millia, & quingenta scuta legaverit, & dilecta in Christo filia Dorothea Bonsiola Romana summam aliorum decem millium scutorum donaverit, aliaque legata pia eisdem Puellis Orphanis, seu d. Sanctorum Quatuor Coronatorum Monasterio, & Archiconfraternitati prædictæ relicta fuerint, & propterea, tam Antonius Cardinalis, quam Officiales dictæ Archiconfraternitatis, ac ipsa Dorothea unum Monasterium Monialium ejusdem Ordinis pro recipiendis in illud Puellis Orphanis in primodicto Monasterio educatis, & non aliis, præterquam duabus per dictam Dorotheam nominandis in certis ædibus in platea de Petra nuncupata Urbis prædictæ ad Archiconfraternitatem hujusmodi spectantibus ex nunc, prout postquam ad usum Monasterii redactæ fuerint, per Nos ad instar dicti Monasterii Sanctorum Quatuor Coronatorum erigi summopere cupiant.

Erigit Pont. pro 12 ex hujusmodi puellis.

§.3. Nos piis eorum votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere, ac Officialium, & Dorotheæ prædictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem Antonii Cardinalis, ac Officialium, & Dorotheæ nominibus desuper Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum desuper a Nobis deputatorum consilio in ædibus prædictis ex nunc, prout ex tunc, & e contra postquam ad formam Monasterii redactæ, debitaque, & convenienti clausura munitæ, ac sacra, & prophana supellectile luculenter instructæ fuerint, unum Monialium dicti Ordinis sub invocatione Sanctæ Mariæ de Orphanis Monasterium cum Ecclesia, Campanili, Campanis, Cœmeterio, Claustro, Refectorio, Dormitorio, Cellis, Hortis, Hortalitiis, cæterisque Officinis, membris, & commoditatibus necessariis, & opportunis pro perpetuis, usu, & habitatione unius Priorissæ, quæ triennalis esse debeat, & ad triennium tantum juxta Sacri Concilii dispositionem duret, ac duodecim aliarum Monialium ex prædictis Puellis Orphanis in primodicto Monasterio pro tempore educatis dumtaxat, exceptis duabus per dictam Dorotheam, ut præfertur, nominandis semper, et perpetuo assumendarum, et recipiendarum, quæ omnes habitum per Moniales prædicti Monasterii Sanctorum Quatuor Coronatorum dicti Ordinis Sancti Augustini gestari solitum suscipere, et anno probationis elapso professionem per easdem emitti consuetam, expresse emittere, perpetuamque clausuram, necnon ritus, mores, consuetudines, ac regularia instituta primodicti Monasterii, et Ordinis hujusmodi servare, et sub regulari habitu prædicto perpetuo Altissimo famulatum exhibere, divinisque laudibus insistere debeant, et aliàs in omnibus, et per omnia, ad instar primodicti Monasterii Sanctorum Quatuor Coronatorum, et aliorum Ordinis prædicti Monialium Monasteriorum perpetuo, sine tamen alicujus præjudicio, auctoritate nostra apostolica, tenore præsentium erigimus, et instituimus;

Dotem assignat

§.4. Illique sic erecto, et instituto pro ejus dote, ac Priorissæ, et duodecim Monialium hujusmodi sustentatione, onerumque eis incumbentium supportatione pecunias, ut præfertur, legatas, et donatas respective

ctive in bonis stabilibus, vel locis montium Cameralium Urbis non vacabilibus ad favorem, et commodum ejusdem Monasterii investiendas, necnon omnia, et singula tam mobilia, quam immobilia bona, jura, census, et montium loca, redditus, obventiones, et emolumenta quæcumque in perpetuum, vel ad tempus, ac simul, vel successive eidem Monasterio sic erecto, et instituto, illiusque Priorissæ, & Monialium pro tempore existentium, seu alicujus earum intuitu per viam testamenti, codicillorum, donationis inter vivos, et causâ mortis, vel cujusvis alterius dispositionis, ac etiam in eleemosynam donanda, assignanda, relinquenda, et acquirenda ex nunc, prout ex tunc, et e contra postquam assignata, donata, relicta, et acquisita fuerint, ita quod liceat Priorissæ, et Monialibus Monasterii hujusmodi pro tempore existentibus, seu administratoribus infra deputatis illarum, et ejusdem Monasterii nomine corporalem, realem, et actualem illorum omnium possessionem per se, vel alium, seu alios nomine ejusdem Monasterii per præsentes erecti propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, fructus quoque, jura, obventiones, et emolumenta ex eis provenientia, necnon obventiones, et eleemosynas eidem Monasterio, illiusque futuris Priorissæ, & Monialibus, pro tempore elargitas percipere, colligere, & levare, recipere, recuperare, arrendare, locare, ac juxta regularia earum instituta administrare, in suosque communes, & Monasterii hujusmodi, illiusque Ecclesiæ, & Sacristiæ usus, utilitatem, & necessitates convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, etiam perpetuo applicamus, & appropriamus.

Privilegia exemptionesque concedit.

§.5. Insuper eidem Monasterio per præsentes erecto, illiusque Priorissæ, & Monialibus, necnon Officialibus, & Ministris earumque bonis, & rebus, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, concessionibus, indultis, cæterisq; gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus quibusvis Monasteriis dicti Ordinis S. Augustini, illarumque Priorissis, Monialibus, Officialibus, & Ministris, rebus, & bonis in genere, vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, & aliàs quomodolibet nunc, & pro tempore concessis, ac quibus illa, & illæ de jure, usu, consuetudine, privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu, ac non revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, neque Sacris Canonibus, aut Concilii Tridentini decretis, ac regularibus dicti Ordinis institutis repugnent, similiter uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter absque ulla prorsus differentia in omnibus, & per omnia perinde, ac si illa Monasterio sic erecto, illiusque Priorissæ, & Monialibus hujusmodi specialiter, & expresse concessa essent, indulgemus;

Facultatem quoque peculiaria statuta condendi.

§.6. Necnon Priorissæ, & Monialibus prædictis, ut Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta quæcumque ad earum, & Monasterii hujusmodi, illiusque personarum, rerum, & bonorum temporalium curam, regimen, gubernium, directionem administrationem, ac Monialium præfatarum receptionem, ætatem, qualitates, victum, amictum, vestitum, instructiones, & disciplinam, modumque, & formam recitationis divinorum officiorum, precum orationum, & aliorum suffragiorum pertinentis, ac aliàs utilia, & necessaria, licita tamen, & honesta, sacrisque canonibus, & institutis regularibus Ordinis hujusmodi, Constitutionibusque Apostolicis, ac dicti Concilii decretis minime contraria, & a dicto Antonio Cardinale, & pro tempore existente Archiconfraternitatis prædictæ Protectore auctoritate apostolica deputato prius examinanda, & approbanda facere, edere, & quoties pro rerum, & temporum qualitatibus, ac aliàs expedire videbitur, de consensu tamen predicti Protectoris illa immutare, corrigere, moderare, & in melius reformare aliaque ex integro per Priorissam, & Moniales, aliasque personas prædicti Monasterii per Nos, ut præfertur, erecti firmiter, & inviolabiliter sub pœnis in eis infligendis observanda, & implenda condere pariter possint, & valeant, concedimus.

Monasterium a cujuscumq; ordinarii Iudicis jurisdictione eximit.

§.7. Propterea idem Monasterium, ac ejus Priorissam, Moniales, & personas quascumque, earumque bona præsentia, & futura cujuscumque qualitatis, & quantitatis, ac ubilibet existentia, ob omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existen. Urbis Vicarii, Gubernatoris, Senatoris, Conservatoris, necnon Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris Ordinariorum locorum, etiam tamquam Sedi Apostolicæ delegatorum, eorumque Locatenentium, Vicesgerentium, Vicariorum, & Officialium, aliorumque quorumcumque Judicum ubilibet existentium, ac quavis, tam mundana, quam ecclesiastica auctoritate, & dignitate, etiam Cardinalatus honore fungentium, necnon Protectorum, ac Priorum Generalium, & Provincialium, Ministrorumque, & aliorum Prælatorum, & Superiorum, tam prædicti S. Augustini, quam aliorum quorumvis ordinum in spiritualibus, & temporalibus, necnon a decimarum, & aliorum quorumcumque onerum sive ordinariorum, sive extraordinariorum, ex quacumque causa, etiam favore Seminarii, vel Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac pro manutentione Classis Triremium Sedis Apostolicæ impositorum, ac deinceps imponendorum, etiam perpetuo eximimus.

Mona-

Sub Sedis Ap. protectione recipit.

§. 8. Monasteriumque, ac ejus Priorissam, Moniales, personas, & bona hujusmodi sub ejusdem Principis Apostolorum, nostraque, & dictæ Sedis protectione recipimus, illudque, ac illas, & illa gubernio, regimini, administrationi, correctioni, visitationi, jurisdictioni, & superioritati prædicti Protectoris, ac Congregationis ejusdem Archiconfraternitatis Orphanorum similiter perpetuo subiicimus.

Protectorisque, & Congregationis Orphanorum curæ committit.

§. 9. Dictisque Protectori, & Congregationi, ut Monasterii hujusmodi curam, & regimen, in spiritualibus, & temporalibus suscipiant præcipimus, ac illis facultatem eligen. confessarios a nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis in Urbe prædicta Vicario in spiritualibus generali ad audiendas confessiones approbatos, necnon Cappellanos pro Monasterio, ut præfertur, erecto, ejusque Priorissa, & Monialibus, ac earum Ecclesia impertimur.

Quibus nonnullas alias tribuit facultates.

§. 10. Necnon Protectori prædicto, ut e dicto Sanctorum Quatuor Coronatorum Monasterio duas, vel tres Moniales expresse professas moribus, & ætate idoneas, & ad id consentientes de suæ Priorissæ consensu educere, illasque pro instruendis Monialibus in Monasterium per præsentes erectum introducendis in disciplina, observantia, & ritibus regularibus transferre, concomitantibus eas aliquot honestis matronis per eumdem Protectorem eligendis recto tramite, rheda clausa, seu oris Monialium hujusmodi parte velata, necnon, ut Fundatoribus, Gubernatoribus, Officialibus, & Ministris, aliisque personis quibuscumque, quoties opus fuerit, in casibus necessariis, & a dicto Concilio Tridentino permissis dumtaxat licentiam ingrediendi dictum Monasterium concedere, illudque toties, quoties opus erit, tam in capite, quam in membris, visitare, & quæ in illo reformatione indigere repererit Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositionibus, & præsertim dicti Concilii decretis, ac Ordinis prædicti regularibus institutis inhærendo reformare, & quidquid desuper statuent observari facere. Demum eidem Protectori, seu ab eo deputato, ut quascumque causas contra Monasterium prædictum, illiusque Priorissam, Moniales, Officiales, Ministros, & personas pro tempore motas eisdem modo, & forma, quibus causas motas contra dictum Sanctorum Quatuor Coronatorum Monasterium, illiusque Priorissam, Moniales, Ministros, & personas cognoscere potest, cognoscere, & fine debito terminare possit, & valeat facultatem, auctoritate, & tenore prædictis impertimur.

Clausulas addit.

§. 11. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quocumque quantumvis substantiali, & individua expressione digno defectu notari, impugnari, impediri, rescindi, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra se tueri, vel juvare posse, sed illas, & illa semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque ab omnibus, & singulis censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§. 12. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis universalibus provincialibusque, & synodalibus æditis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac prædicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, eidem Ordini, illiusque superioribus, & personis, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum ten. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Datum die 21. Januarii 1643. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21 Januarii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXXVIII.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis Domorum Regularium totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§. 1. Conservationi, & manutentioni librorum Bibliothecarum domorum

rum Regularium totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac dilectum filium moderuum Procuratorem Generalem dicti Ordinis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Prohibet prout in Rubr.

§.2. Ne de cætero quisquam quavis auctoritate fungens libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus dictis Bibliothecis donata, & assignata, quam imposterum per quoscumque Christifideles donanda, & assignanda, sub quovis prætextu, ingenio, causa, colore, ratione, aut occasione, e dictis Bibliothecis, seu earum aliqua extrahere, seu asportare, aut ut extrahautur, seu asportentur permittere, aut consentire, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes, eo ipso iucurrendis, apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.4. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in valvis cujuslibet dictarum Bibliothecarum, aut aliquo alio perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat: Quodque præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides etiã impressis adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 6. Februar. 1643. An.XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 6. Februarii 1643. Pontificatus nostri anno XX.

DCCXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Mandatur, in Ecclesiis Fratrum Discalceatorum Sancti Francisci Provinciæ Sancti Gabrielis circa Sepulturam Defunctorum servanda esse Clementinam secundam, & Decreta Congregationum Rituum, Concilii, ac Episcoporum, & Regularium.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa faciendi Decreti.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus de Sanctis Procurator, & filius Provinciæ Sancti Gabrielis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatæ Hispaniarum, quod Priores, Vicarii, Provisores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Beneficiati Civitatum, Oppidorum, Locorũ, & Villarum de Llerena fueute de Cantos, Xerez, Valentiæ, de Alcantara, Brocas Serena, & Merida consistentium intra fines Præceptoriarum, seu Commendarum, aliàs Magistragiorum, de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha Militiarum, ratione Conventuum dictæ Provinciæ Ordinis hujusmodi fundatorum in Ecclesiis, Heremitoriis nuncupatis, quæ prius erant jurisdictionis ipsarum militiarum, seu Præceptoriarum, vel Commendarum hujusmodi, Fratres Discalceatos eorumdem Conventuum in suis Ecclesiis Cadavera Defunctorum, sibi sepulturam inibi eligentium, sepelire minime posse, quodque ipsi Priores, Vicarii, aliique præfati, cum ad Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum occasione funerum accedunt, sese eosdem Fratres Discalceatos præcedere, officiaque mortuorum super ipsorum Cadaveribus obire debere prætendunt, nedum contra formam Juris, & Literarum Apostolicarum in simili forma Brevis, variarumque declarationum, & Decretorum a Congregationibus Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, ac negociis Episcoporum, & Regularium, Sacrisque Ritibus præpositorum respective emanatorum, sed etiam contra casum legis de Jure sepeliendi, ac Sacros Canones, cum per Clementinam secundam de Sepulturis, detur facultas Fratribus dicti Ordinis Sancti Francisci Cadavera Defunctorum Sepulturam sibi in eorum Ecclesiis eligentium sepeliendi. Quoniam vero sicut eadem expositio subjungebat Priores, Vicarii, Provisores, Curati, & Beneficiati hujusmodi pro suis mero arbitrio, & voluntate, declarationes, & Decreta hujusmodi nullatenus observant, sed cum non levi secularium scandalo, & offendiculo ipsos Fratres Discalceatos, qui ob eorum paupertatem, & arctioris Regulæ observantiam litium, & quæstionum materias, & occasiones diffugiunt in præmissis gravant, necnon etiam quando visitatum eunt suas Eccle-

Ecclesias, prætendunt, se posse etiam visitare Ecclesias ipsorum Fratrum Discalceatorum, necnon Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sub prætextu, quod ipsæ fundatæ sint in Ecclesiis Hæremitoriis hujusmodi Locorum, Villarum, Oppidorum, & Civitatum præfatorum, quæ prius, ut præfertur, jurisdictionis ipsorum de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha militarium Ordinum hujusmodi erant, non sine notabili gravamine, & præjudicio dicti Ordinis, & contra formam Privilegiorum illi a tot summis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessorum, ac demum quando præmissa peragere ab ipsis Fratribus Discalceatis non permittuntur, eosdem Fratres Discalceatos diversimode molestant etiam per verbi Dei prædicationum, administrationis Sacramenti pœnitentiæ, & eleemosynarum privationem: Nobis propterea idem Gundisalvus dictæ Provinciæ nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum, de quo in Rubr. §. 2. Nos igitur, qui Religiosorum Ordinum quorumcumque felicem directionem sinceris desideramus affectibus, eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ indemnitati, ac commodis quantum cum Domino possumus prospicere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, licet Conventus eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ Sancti Gabrielis fundati forent in Ecclesiis Hæremitoriis nuncupatis, quæ prius erant jurisdictionis ipsorum de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha militarium Ordinum hujusmodi, ut præfertur, præfata Clementina secunda, ac eorumdem Cardinalium declarationes, & Decreta præmissorum occasione in dictis Conventibus, & tota Provincia hujusmodi observentur, observarique debeant, ipsique Priores, Vicarii, Provisores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, Beneficiati Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum hujusmodi, Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sub prætextu, quod Ecclesiæ hujusmodi in dictis Heremitoriis fundatæ sint, ut præfertur, visitare, nec easdem Ecclesias ingredi, & inibi aliquem jurisdictionis actum exercere ullatenus umquam possint, nec debeant, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, statuimus, & ordinamus, eisdemque Prioribus, Vicariis, Provisoribus, Curatis, & Beneficiatis hujusmodi perpetuum desuper silentium imponimus.

§. 3. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, impediri, vel inquietari ullatenus permittant; ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis plenissime in omnibus, & per omnia suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulæ.

§. 4. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerit requisitus solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos easdem præsentes concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, vel eorum aliquem contra præsentium earumdem tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiā ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Nuncius Apostolicus executor deputatus.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ, ipsarumque Militiarum, & Ecclesiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indi- Contrariorum derogatio.

individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium &c.

Datum die 7. Februar. 1643. An. XX. — Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXL.

Ex Regest. in Secret. Brev. — Subrogat Archiepiscopum Cameracen., ac Audomaren., & Ipren. Episcopos, & quemlibet ipsorum in locum Ordinariorum in Anglia ad effectum tantummodo auctoritate ordinaria legitime instituendi processus super causa, & genere Mortis eorum, qui pro Fide Catholica in Anglia patiuntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Subrogatio, de qua in Rubr. — §. 1. Piis dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Angliæ Ordinis S. Benedicti votis annuere, illumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitorum Generalium ab hac S. Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, Ven. Fratres Archiepiscopum Cameracen., ac Audomaren., & Ipren. Episcopos, & quemlibet ipsorum apostolica auctoritate, tenore præsentium subrogamus in locum Ordinariorum in Anglia, ad effectum tantummodo auctoritate ordinaria legitime instituendi processus super causa, & genere mortis eorum, qui pro fide catholica in Anglia patiuntur, itaut hujusmodi processus, aliaque acta ab illis, seu quolibet ipsorum legitime confecta ad dictas passiones, & mortes verificandas fiant auctoritate ordinaria, nec aliter, nec alio modo, irritum, & inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derog. tio. — §. 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 23. Februar. 1643. An. XX — Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLI

Declaratio circa facultatem dispensandi cum Regularibus super voto de non procuranda, nec acceptanda dignitate extra Religionem.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. — Honorum, dignitatumque vana ambitio adeo quorumdam Regularium mentes interdum excæcat, ut ab eo, quod abnegantes semetipsos sponte voverunt, postmodum inanis gloriæ cupiditate ducti resilire conentur, cum tamen dicat Propheta: *Vovete, & reddite vota vestra Deo.*

Nonnullorum Regularium ambitus exponitur — §. 1. Quamvis igitur, ut accepimus, tam Fratres Discalceati S. Augustini, & B. M. de Monte Carmelo, etiam discalceati Ordinum, quam Clerici Regulares ministrantes infirmis respective nuncupati, & nonnulli aliorum Ordinum, seu Congregationum Regulares, etiam Societatis Jesu, & alii Regulares, etiam individuam expressionem requirentes, aut in ipsa professione una cum tribus essentialibus votis, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ, aut ante, vel post professionem prædictam, sive solemne, sive, ut dicunt, simplex votum, in manibus tamen Superioris regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, seu Prælationem, vel Prælaturam extra Religionem, nisi coacti, vel adstricti fuerint præcepto ejus, qui sibi jure præcipere potest, & aliqui addant, etiam illa verba, videlicet, sub pœna peccati, juxta formam suarum Constitutionum a Sede Apostolica confirmatarum, nihilominus aliqui ex ipsis Regolaribus, etiam translati ad Ordines Regularium, etiam Mendicantium, qui prædictum, aut simile votum non emittunt, retro aspicientes, emissique a se voti hujusmodi immemores, Prælationes, seu Prælaturas, vel dignitates ambiunt, imo etiam Episcopatus, majorumque dignitatum solium conscendere moliuntur, prætendentes, quod suis Superioribus regularibus, præsertimque Generalibus liceat eis præcipere, ut dignitatem, Prælationem, seu Prælaturam, vel Episcopatum, majoremve dignitatem extra Religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare, & cum ipsis desuper dispensare, licet per præcepta, & dispensationes hujusmodi ipsi ab obedientia præcipienti, seu dispensanti debita eximantur, ac etiamsi vota prædicta, tamquam emissa in manibus

bus superioris regularis dicantur solemnia, vel saltem efficaciam voti solemnis habeant, regulariumque Ordinum, & Congregationum; ac Societatis hujusmodi Constitutiones sint confirmatæ auctoritate apostolica, & cum decreto irritante, a quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatæ existunt.

Quem retundere vult Pontif. hac sua Const.

§.2. Quapropter Nos ambitum hunc retundere, & prætensionem hujusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super præmissorum interpretatione a nonnullis excitatam apostolicæ declarationis auctoritate penitus tollere volentes, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine; hac perpetua nostra Constitutione declaramus super præd. voto, etiam per translatos ad Ordinem, seu Congregationem regularem capacem, ante translationem emisso de non procuranda, nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis Ordinibus, seu Congregationibus Regularibus, aut Societate prædicta respective aliqua dignitate, seu Prælatione, vel Prælatura, sive aliquo Episcopatu, aut majori dignitate neminem Superiorem Regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, seu Congregationem generalem, nec etiam Nuncium Apostolicum, aut prædictorum Ordinum, seu Congregationum Protectorem, etiam S.R.E. Cardinalem, nec etiam Legatum Sedis Apostolicæ, etiam de Latere; nec quemlibet alium, etiam speciali, & individua mentione dignum, sed tantummodo Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut adversus illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aut aliquod præceptum procurandi, seu acceptandi, vel aliud simile ipsis Regularibus voventibus facere, cujus vigore prædicti Religiosi illas, & illos procurare, vel acceptare possint, aut teneantur, ac aliàs quomodolibet voventes prædictos a prædicto voto liberare. Prout pariter declaramus, quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel adversus illa præcipiendi, aut aliàs quomodolibet voventes habilitandi, etiam in foro conscientiæ dumtaxat, sive per dictas Constitutiones a Sede Apostolica confirmatas, sive per literas etiam in forma Brevis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, aut nostras, vel Successorum nostrorum, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, etiam ad supplicationem, seu contemplationem quorumcumque, etiam Imperatoris, Regum, & Principum, seu Rerumpublicarum, ac prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatis, aut vigore cujuscumque Jubilæi, etiam universalis, vel Cruciatæ Sanctæ, aut Sanctæ Inquisitionis, seu missionum, & aliàs quovis modo, & ex quacumque causa, quantumlibet pia, favorabili, publica, & privilegiata concessæ, & emanatæ, concedendæque, & emanandæ, nuncque, ac pro tempore competentes ad præmissa omnia, & singula nullatenus se extendere intelligantur, sed esse Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris dumtaxat reservata, prout tenore præsentium decernimus, & reservamus.

Rom. Pontifex dumtaxat potest dispensare aut relaxare votum, de quo in Rubr.

Clausulas præservativas apponit.

§.3. Decernentes quoque easdem præsentes literas, etiam ex eo quod prædicti Regulares, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas illæ emanarunt, sufficienter, aut etiam nullatenus adductæ, seu probatæ fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quopiam defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, prætextu, colore, & capite notari, impugnari, rescindi, in jus, vel controversiam revocari numquam posse, sed easdem præsentes literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac quatenus foret opus, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, necnon quorumvis Ordinum, & Congregationum Regularium, dictæque Societatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Liter. Apost. eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Societati, illorumque Superioribus, Fratribus, Clericis, & personis, ac generaliter quibusvis aliis, etiam individuâ mentionem requirentibus, sub quibuscumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non

non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorũ fides.

§.6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 24. Februar. 1643. An. XX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 24. Febr. 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLII.

Quod Fratres Discalceati Ordinis Regularis Observantiæ S. Francisci in Regno Hispaniæ, non possint commorari in ædibus secularium.

De hujusmodi Fratribus Discalceatis quamplura notavi in Const. CCCXXXI. Regis pacifici. *Tom.VI. Par.I. fol.*221.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

PAstoralis officii Nobis divinitus injuncti assidua solicitudo Nos admonet, ut omni cura, & vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ regularium personarum, quæ relicto seculo divini Numinis obsequiis sese dedicarunt, quieti consulitur, & quæ religiosum earum propositum possunt impedire, removeantur, ut nulla re præpeditæ secundum regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus gratũ Altissimo impendere valeant famulatum.

Motiva.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupat. Provinciarum Hispaniarum à nonnullis annis citra, extra claustra suarum domorum regularium continuo commorati fuerint, & commorentur, conviventque, & pernoctent in ædibus secularium, non sine ipsorum secularium, & religiosorum earumdem Provinciarum malo exemplo, & offendiculo, disciplinæque, & observantiæ regularium perturbatione, detrimento, & relaxatione. Idcirco Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, prospectum esse cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine.

Præcipit, prout in Rubric.

§.2. Quod omnes, & singuli Fratres Discalceati dicti Ordinis Provinciarum Hispaniarum hujusmodi, qui extra suas domos regulares commorãtur, conviyunt, & pernoctant in ædibus secularium, ut præfertur, cujuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis existant, etiamsi desuper quæcumque particularia licentias, & privilegia sibi aliàs à Sede Apostolica, vel ab ipsius Ordinis Ministris generalibus concedi obtinuerint, & obtineant, infra octiduum à præsentium nostrarum Literarum notificatione sibi facienda, coram Ministris Provincialibus earumdem Provinciarum sese sistere, & comparere debeant, ut ab eisdem Ministris Provincialibus Conventus, in quibus degant, & habitent, sibi assignentur, sub inobedientiæ, & excommunicationis, necnon privationis antianitatis habitus, ac suffragiorum, & Missarum pro Fratribus Discalceatis Ordinis hujusmodi celebrari solitarum pœnis eo ipso, & absque ulla alia declaratione incurrendis, earumdem tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§.3. Mandantes propterea eisdem Ministris Provincialibus Provinciarum hujusmodi in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub eisdem pœnis, ut easdem præsentes literas nostras debitæ, & omnimodæ exequutioni demandari, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, inviolabiliter, & inconcusse observari curent, & faciant, ac decernentes irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Da-

Datum die 27. Februar. 1643. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 27. Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno vigesimo.

DCCXLIII.

Pro Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ Discalceatorum Provinciarum, Ecclesiarum, & Conventuum Hispaniarum, circa Visitationem, Præcedentiam, & Sepulturam Defunctorum.

De hac materia vide supr. Const. DXXVIII. Ex incumbenti fol. 85. & Constit. DLIX. Nuper fol. 127. & Const. DCCXXX. Aliàs hujus Pont.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus a Matrito filius Provinciæ S. Joseph Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Commissarius Terræ Sanctæ, ac nonnullarum Provinciarum Hispaniarũ eorumdem Fratrum Discalceatorum Procurator, quod nuper a Nobis pro Provincia S. Gabrielis Fratrum Discalceatorum prædictorum, etiam Hispaniarum emanarunt literæ tenoris sequentis, videlicet. Urbanus VIII. ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur Urbani Literæ quibus confuluit Fratribus Observantium in tumulatione cadaverum, ut quoad præcedentiam.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus de Sanctis Procurator, & filius Provinciæ S. Gabrielis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum, quod Priores, Vicarii, Provisores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, ac Beneficiati Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum de Llerena, Fuente de Cantos, Xerez, Valentiæ de Alcantera, Brojas, Serena, & Merida, consistentium intra fines Præceptoriarum, seu Commendarum, aliàs Magistrariorum de Alcantera, & S. Jacobi de Spatha Militiarum, ratione Conventuum dictæ Provinciæ Ordinis hujusmodi fundatorum in Ecclesiis Heremitoriis nuncupatis, quæ prius erant jurisdictionis ipsarum Militiarum, seu Præceptoriarum, vel Commendarum hujusmodi, Fratres Discalceatos eorumdem Conventuum in suis Ecclesiis cadavera defunctorum, sibi sepulturam inibi eligentium, sepeliri minime posse, quodque ipsi Priores, Vicarii, aliique præfati, cum ad Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum occasione funerum accedunt, sese eosdem Fratres Discalceatos præcedere, officiaque Mortuorum super ipsorum cadaveribus obire debere prætendunt, nedum contra formam juris, & literarum apostolicarum in simili forma Brevis, variarumque declarationum, & decretorũ a Congregationibus Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, ac negotiis Episcoporum, & Regularium, sacrisque Ritibus præpositorum respective emanatorum, sed etiam contra casum legis de jure sepeliendi, ac Sacros Canones; cum per Clementinam secundam de sepulturis detur facultas Fratribus dicti Ordinis S. Francisci cadavera defunctorum sibi in eorum Ecclesiis sepulturam eligentium sepeliendi.

Atque etiam quoad visitationem ecclesiarum.

§. 3. Quoniam vero, sicut eadem expositio subjungebat Priores, Vicarii, Provisores, Curati, & Beneficiati hujusmodi pro suis mero arbitrio, & voluntate declarationes, & decreta hujusmodi nullatenus observant, sed cum non levi sæcularium scandalo, & offendiculo ipsos Fratres Discalceatos, qui ob eorum paupertatem, & arctioris regulæ observantiam, litium, & quæstionum materias, & occasiones diffugiunt, in præmissis gravant, necnon quando etiam visitatum eunt suas Ecclesias, prætendunt, se posse etiam visitare Ecclesias ipsorum Fratrum Discalceatorum, necnon Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sub prætextu, quod ipsæ fundatæ sint in Ecclesiis Heremitoriis hujusmodi locorum, Villarum, Oppidorum, & Civitatum prædictorum, quæ prius, ut præfertur, jurisdictionis ipsorum de Alcantara, & S. Jacobi de Sphata Militiarum hujusmodi Ordinum erant, non sine notabili gravamine, & præjudicio dicti Ordinis, contra formam privilegiorum, illi a tot summis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessorum, ac demum quando præmissa peragere ab ipsis Fratribus Discalceatis non permittuntur, eosdẽ Fratres Discalceatos diversimode molestant, etiam per verbi Dei prædicationum, administrationis Sacramenti Pœnitentiæ, & eleemosynarum privationem.

§. 4. Nobis propterea idem Gundisalvus dictæ Provinciæ nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Religiosorum Ordinum quorumcumque felicem directionem sinceris desideramus affectibus, eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ indemnitati, ac commodis, quantum cum Domino possumus, prospicere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Mandatum de servandis Clementina II. & Constitutionibus Apostolicis.

§. 5. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus, licet Conventus eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ S. Gabrielis fundati forent in Ecclesiis Heremitoriis nuncupatis, quæ prius erant jurisdictioni ipsarum de Alcantara, & S. Ja-

cobi de Spatha Militarium Ordinum hujusmodi, ut præfertur, præfata Clementina secunda, ac eorumdem Cardinalium declarationes, & decreta præmissorum occasione in dictis Conventibus, & tota Provincia hujusmodi observentur, observarique debeant, ipsique Priores, Vicarii, & Provisores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Beneficiati, Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum hujusmodi, Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sub prætextu, quod Ecclesiæ hujusmodi in dictis Eremitoriis fundatæ sint, ut præfertur, visitare, nec easdem Ecclesias ingredi, & inibi aliquem jurisdictionis actum exercere ullatenus umquam possint, nec debeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, statuimus, & ordinamus, eisdemque Prioribus, Vicariis, Provisoribus, Curatis, & Beneficiatis hujusmodi perpetuum desuper silentium imponimus.

Decretum irritans.

§.6. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, impediri, vel inquietari ullatenus permittant; ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis plenissimè in omnibus, & per omnia suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executoris deputatio.

§.7. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eædem præsentes concernunt, illis pacificè frui, & gaudere, non permittens eos, vel eorum aliquem contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariorum derogat.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ, ipsarumque Militiarum, & Ecclesiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, ac singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.9. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus in judicio, & extra fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 7. Februar 1643. An. XX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die septima Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

Relatæ Literæ ad omnes Hispaniarum Provincias extenduntur.

§.10. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Paulus præinsertas nostras Literas hujusmodi cum omnibus in eis contentis ad alias omnes, & singulas Provincias eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum hujusmodi, & quasvis alias, quam in eisdem præinsertis literis expressas Militias extendi, ac aliàs in præmissis opportune, ut infra, desideret provideri. Nos eumdem Paulum, aliosque Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Pauli Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Præinsertas nostras literas pro dicta Provincia Sancti Gabrielis, ut præfertur, emanatas, ad omnes alias, & singulas Provincias eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum hujusmodi, ac ad quasvis alias, quam in eisdem præinsertis literis expressas Militias, ipsorumque Fratrum Discalceatorum hujusmodi Ecclesias, & Conventus,

tus, ut præfertur, aut aliàs quomodolibet fundata in eisdem Provinciis, apostolica auctoritate tenore præsentium extendimus & ampliamus. Ac insuper quod omnes, & singulæ Provinciæ prædictæ Hispaniarum Fratrum Discalceatorum hujusmodi comprehendantur, & participent de quibuscumque privilegiis, Literis Apostolicis, & decretis quovis modo cuivis ipsarum Provinciarum particulariter, & speciatim concessis, perinde ac si illa omnibus, & singulis Provinciis prædictis in genere circa hanc materiam concessa fuissent, indulgemus.

Mandatum de parendo.

§.11. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos pariter spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos omnium, & singularum aliarum Provinciarum Hispaniarum hujusmodi præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, inquietari, vel impediri ullatenus permittant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis hujusmodi plenissime in omnibus, & per omnia suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nuncius Apostolicus Literarum executor designatur.

§.12. Quocirca dilecto filio eidem moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas hujusmodi, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum omnium, & singularum Provinciarum hujusmodi desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in premissis efficacis defensionis presidio assistens, faciat auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eædem præsentes concernunt, illis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem contra præsentium earumdem tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§.13. Non obstantibus omnibus. & singulis illis, quæ in dictis præinsertis literis voluimus non obstare, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quarumvis Provinciarum, & Militiarum, & Ecclesiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§.14. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, adhiber adhibeatur, quæ præsentibus ipsis & extractur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 4. Martii 1643. An.XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 4. Martii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declarantur nullæ depositio, amotio, seu absolutio Nicolai Rodulphi a Magisterio Generali Ordinis Prædicatorum, & electiones factæ alterius Magistri Generalis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Literas aliàs hac super re datas: Vide n.?4?.

§.1. Emanarunt a Nobis Literæ in forma Brevis sub Annulo Piscatoris tenoris subsequentis videlicet: Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Nuper a Nobis accepto: *reliqua invenies sub die 6. Dec. 1642. Anno XX. fol. 349.*

Relationemq; sibi factam a Judicibus deputatis.

§.2. Quarum Literarum, & aliarum in eis relatarum vigore, omnes prædicti S. R. E. Cardinales, & Prælati, ut præmittitur in eis deputati, auditis, ac visis omnibus deductis, & allegatis voce, & scripto super juribus, dictas partes tangentibus. & pluries nonnullis ejusdem Ordinis Provincialibus, etiam in pluribus Congregationibus, in quibus omnes prædicti deputati interfuerunt, ordinataque prædicta extrajudiciali monitione, illaque modo, & forma

ma præmissis eisdem Nicolao, & Michaeli personaliter, & aliis interesse habentibus, seu habere prætendentibus quibuscumque per proclama, & per affixionem intimata, lapsoque prædicto termino peremptorio in eadem monitione præfixo, visisque Constitutionibus prædicti Ordinis, rebusque exhibitis, & aliis videndis, consideratisque considerandis post maturam, & exactam totius negocii cognitionem, & discussionem inter eos habitam de, & super præmissis omnibus, ad earumdem Literarum præscriptum plenam Nobis etiam antea informatis a prædicto Hieronymo Cardinali Verospio dicti Ordinis Comprotectore de expositis a quibusdam Provincialibus, occasione protestationis sub die decimaseptima præsentis mensis in actis exhibitæ relationem fecerunt.

Depositionem P. Rodulphi electionemque alterius irritat.

§.3. Qua relatione audita, Nos motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine præsentium tenore, depositionem, amotionem, seu abolitionem prædicti Nicolai a Magistro Generali dicti Ordinis factam in prædicto asserto Capitulo generali fuisse, & esse nullam, & invalidam, nulliusque roboris, vel momenti, ac nulliter, & invalide factam; perindeque electiones factas in Magistrum Generalem ejusdem Ordinis fuisse, & esse nullas, & invalidas, nulliterque, & invalide factas, & quæcumque exinde sequuta itidem fuisse, & esse nulla, & invalida decernimus, & declaramus, eisdemque Michaeli, & Thomæ, ac aliis quibuscumque super omnibus, & singulis præmissis perpetuum silentium imponimus, ipsisque Michaeli, & Thomæ interdicimus, & inhibemus, ne audeant, nec quilibet ipsorum audeat se in gubernio, & administratione Magistro Generali dicti Ordinis, competente, illiusque exercitio quomodolibet ingerere, nec se Magistros Generales prædicti Ordinis nominare, neque ullos actus superioritatis, jurisdictionis, antelationis, prærogativæ, facultatis, & præeminentiæ Magistri Generalis ejusdem Ordinis tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, & aliàs quoquo modo facere, aut exercere sub excommunicationis majoris, privationisque vocis activæ, & passivæ, ac officiorum quorumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis, aliisque arbitrio nostro imponen., & amplian. etiam personalibus.

Et utrique prohibet, q. [illegible] se in Ordinis regimine ingerat.

Clausulas addit.

§.4. Decernentes prædictas nostras literas tam præinsertas, quam in eis relatas, ac præsentes de subreptionis, obreptionis, ac nostræ intentionis defectu ex quacumque ratione, vel causa, & aliàs quomodolibet ex quovis defectu, quarumcumque juris, ac ejusdem Ordinis solemnitatum etiam substantialium a prædictis, & quibuscumque aliis etiam prætextu, quod non fuerint citati, nec auditi, impugnari, in controversiam adduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, & quodvis aliud juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in Judicio, vel extra illud uti unquam posse. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, ac quosvis alios quacumque auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter declarandi, interpretandi, definiendi, & judicandi facultate semper, & ubique declarari, interpretari, definiri, & judicari debere, ac irritum & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus, & generalibus editis, necnon Ordinis prædicti Statutis, Constitutionibus, earumque declarationibus a quocumque, & quandocumque factis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, & quatenus foret opus Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, ac etiam pluries innovatis, usibusque, & consuetudinibus, etiam diuturnis, & immemorabilibus, ac etiam, ut præfertur, confirmatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Præservat causam pendentem, & deputatis a se comprotectoris auctoritatem.

§.6. Non intendimus autem per præsentes in aliquo præjudicare causæ, & judicio pendenti coram Judicibus aliàs per Nos deputatis contra prædictum Nicolaum, nec administrationi, & gubernio dicti Ordinis a Nobis commisso eidem Antonio Cardinali Protectori, seu prædicto Hieronymo Cardinali Comprotectori, nec suspensioni ejusdem Nicolai ab exercitio regiminis, & administrationis officii Magistri Generalis aliàs factæ.

Datum die 20. Martii 1643. An.XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Martii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLV.

Pro tollenda controversia inter Fratres Minores Conventuales, & Minores de Observantia S. Francisci circa eleemosynas Cappellæ de Portiuncula nuncupatæ, erogari solitas.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Domini Nostri Jesu Christi, qui charitas est, & Deus pacis, vices, meritis

tis licet imparibus, agentes in terris, inter multiplices apostolicæ servitutis curas, quibus assidue premimur, in eam peculiari studio incumbimus, ut Christifideles, qui in sortem Domini vocati, ejus obsequiis sese voluntaria devotione mancipatunt, sublatis quibuscumque perturbationibus, in spiritus veritate reddant abundanter Altissimo fructus suos, & ne aliis, quorum est evangelizare pacem, illa cum infirmiorum scandalo, exulare cernatur, eaque de causa dissensiones, quæ inter ipsos oriri possent, amovere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva.

§.1. Cum itaque, sicut non sine animi nostri molestia accepimus, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Augelorum Assisiensis Diecesis Ordinis Fratrum Minorum S.Francisci de Observantia nuncupatorum, die 1. Augusti quotanuis, qua occasione Indulgentiæ visitantibus Ecclesiam hujusmodi a secundis Vesperis ejusdem diei concessæ, tam Fratres Minores de Observantia, quam Conventuales nuncupatos dicti Ordinis ad eamdem Ecclesiam convenire moris est, multæ perturbationes, non sine gravi fidelium offendiculo, passim accidere consueverint, ratione eleemosynarum, que a Christi fidelibus Capellæ de Portiuncula vulgo nuncupatæ, in Ecclesia prædicta sitæ erogari contingit, & quæ a fel. record. Nicolao IV. & V. aliisque Romanis Pontificibus Prędecessoribus nostris fuerunt Fratribus Conventualibus Conventus S. Francisci Civitatis Assisiensis prædictis reservatæ.

Pont. transfert jus eleemosynæ ad observãtes.

§.2. Hinc est, quod Nos omnem inter Fratres prædictos eam ob rem dissidiorum, quæ ejusdem Regulæ Professores summopere dedecent, materiam, illo præsertim tempore, quo populus christianus ad Ecclesiam prædictam magno undique fluit numero, quantum cum Domino possumus, e medio tollere vulentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus, volumus, & ordinamus, ut deinceps FratresConventuales prædicti nullum omnino jus in colligendis, & percipiendis eleemosynis hujusmodi amplius habeant, sed tam illæ, quas durante tempore Indulgentiæ prædictæ, prima videlicet, & secunda Augusti diebus quotannis, quam aliæ eleemosynæ, quas reliquo anni tempore Cappellæ prædictæ, seu iu illa fieri, & erogari contigerit, in commodum, & utilitatem Fabricæ Ecclesiæ, ac usus Conventus S. Mariæ Angelorum hujusmodi integre cedant, applicentur, & impendantur. Nos enim ex nunc omne jus, quod Fratribus Conventualibus ad eleemosynas hujusmodi quomodolibet competebat, ab illis penitus abdicamus, illudque totum in Fratres Conventus S. Mariæ Angelorum prædicti pro Fabrica Ecclesiæ, & usibus ipsius Conventus transferimus, & abdicatum, & translatum respective fore, & esse decernimus.

In compensationem Observantes pro una vice tantũ dare debent Conventualibus 2000. sc. mon.

§.3. Viceversa vero in præmissorum compensationem volumus, ut a dictis Fratribus Conventus S. Mariæ Angelorum semel, & pro una vice tantum, ex prædictis, seu aliis eleemosynis duo millia scutorum monetæ romanæ, penes Montem Pietatis Civitatis Assisiensis deponenda, & inde non amovenda, nisi ad effectum illa in tot bonis stabilibus, aut locis Montium Cameræ Apostolicæ non vacabilium, ad commodum, favorem, & utilitatem ejusdem Conventus S. Francisci Civitatis prædictæ investiendis Fratribus Conventualibus hujusmodi solvantur.

Processio inchoanda est in Ecclesia S. Francisci.

§.4. Insuper, ut inter Fratres utriusque Conventus hujusmodi mutua charitas confoveatur, earumdem tenore præsentium præcipimus, ut qnoties, & quando initio Augusti Indulgentia prædicta in d.S.Mariæ Angelorum Ecclesia, ut assolet, collocanda, seu publicanda erit, Fratres dicti Conventus S.Mariæ Angelorum, se ad Ecclesiam Conventus ejusmodi S.Francisci Assisiensis, unde inchoatur Processio, opportuno tempore conferre, & inde processionaliter ad dictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum procedere, Fratresque ejusmodi Conventus S.Francisci illos benigne, & amanter excipere, & eorum humanitate allecti Fratres Conventus S. Mariæ Angelorum hujusmodi eos pari charitatis affectu, in suis Ecclesia, & Conventu excipere respective teneantur.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, obréptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quovis, quantumlibet magno, & substantiali defectu, vel etiam enormis, & enormissimæ læsionis, aut alia quacumque causa, occasione, prætextu, colore, & capite, etiam in corpore juris clauso, annotari, impugnari, rescindi, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illa aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut sic impetrato, vel etiam motu simili concesso, quemquam in judicio, vel extra uti, seu se juvare nullatenus posse, ac easdem præsentes cum omnibus, & singulis in eis contentis semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & a Fratribus prædictis, nunc & pro tempore existentibus, cæterisque ad quos spectat, & in futurum spectabit, perpetuo inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque potestate fungentes, & functuros, in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quo-

quam

quam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorem deputat.

§. 6. Quocirca Venerabili Fratri Epiſcopo Aſſiſienſi per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, ut præſentes, & in eis contenta hujuſmodi, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum prædictorum fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat præmiſſa hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, exacte, & inviolabiliter obſervari; contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Derogat Contrariis.

§.7. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii VIII. de una, & in Conciliis Generalibus de duabus dietis, ac Nicolai IV., & V., aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, & Ordinationibus, etiam conciliaribus, necnon quatenus opus ſit, regula noſtra de non tollendo jure quæſito, ac Ordinis, & Conventuum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apoſtolicis ejuſdem Ordinis, Conventibus, Fratribus, & quibuslibet aliis ſub quibuſcumque tenore, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi ſuper illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, acſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & insererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum die 22. Martii 1643. An XX.

Datum Romæ apud S.Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Martii 1643. Pontificatus noſtri Anno XX.

DCCXLVI.

Annullatio Capituli Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Genuæ celebrati, & convocatio Capituli generaliſſimi ejuſdem Ordinis in Urbe pro Anno 1644.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cum inter Chriſtifideles, præſertim Regulares Dei obſequiis ſub ſuavi religionis jugo mancipatos, diſſidia, & contentiones, niſi cito earum origo, & cauſæ amputentur, ingentia mala giguere ſoleant.

Motivum hujus Constit.

§.1. Idcirco menſibus præteritis ſtatim, atque Nobis innotuit, quod in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Prædicatorum in Monaſterio S. Dominici Civitatis Januæ, pro die 26. Octobris proxime præteriti convocato, & inibi celebrato, fuerat die antecedenti, ſcilicet die 25. ejuſdem menſis Octobris facta amotio, ſeu depoſitio dilecti filii Nicolai Rodulphi Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, dieque ſequenti ibidem unus, & ſucceſſive die 30. prædicti menſis Octobris in Conventu loci de Corniliano ejuſdem Ordinis per tria circiter miliaria ab eadem Civitate Janneuſi diſtante, alter in Magiſtrum Generalem prædicti Ordinis reſpective electi fuerant, ita quod de facto a diverſis prætendebatur in ſciſſuram prædicti Ordinis extare tres Magiſtros Generales.

Avocat controversias ad Sedem Apost.

§.2. Propterea ad majora detrimenta, & ſcandala evitanda juſſimus nedum in Monaſterio B. Mariæ ſupra Minervam de Urbe, & alibi nihil innovari, donec a Nobis controverſiæ deſuper terminatæ eſſent, ſed etiam illas omnes, prętenſaſque nullitates omnium geſtorum, ac cognitionem, & terminationem illarum ad Nos avocamus, exequutionemque amotionis, electionum, & aliorum, ut præmittitur, geſtorum, ſine alicujus præjudicio, ac ſine retardatione proceſſus incępti contra prædictum Nicolaum Rodulphum ſuſpendimus, Congregationique aliquorum dilectorum filiorum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac etiam aliquorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, per Nos deputatorum, cognitionem, & diſcuſſionem, etiam extrajudicialiter faciendas, omnium, & ſingulorum præmiſſorum ad Nos referendas, commiſimus cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & aliàs prout in diverſis noſtris Literis in ſimili forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris expeditis, ſub datum 9., 10., & 20. diebus Novembris, ac die 6. Decembris proxime præteritorum menſium reſpective, uberius continetur.

Declaratio nullitatis Capituli.

§.3. Qui quidem omnes præfati Cardinales, & Prælati ſæpius auditis omnibus informare volentibus, monitiſque perſonaliter hic Romæ eiſdem Nicolao, & uno prædictorum duorum electorum, alteri autem electo eiſdem noſtris Literis perſonaliter

liter Januæ intimatis, cæteris vero intereſſe habentibus, vel prætendentibus, per proclama generale citatis, ſervatiſque juxta formam a Nobis præſcriptam ſervandis, viſiſque omnibus deductis, & allegatis voce, & ſcriptis, illiſque ad plenum diſcuſſis in quamplurimis ſeſſionibus, cum opportunam, & neceſſariam Nobis deſuper relationem feciſſent, Nos hujuſmodi relatione audita juxta ejus ſeriem, Motu proprio, certaque ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine depoſitionem, amotionem, ſeu ablationem prædicti Nicolai a magiſterio generali dicti Ordinis factam in prædicto Capitulo generali fuiſſe, & eſſe nullam, & invalidam, ac nullius roboris, & momenti, nulliterque, & invalide factam, proindeque electiones factas de Magiſtro generali ejuſdem Ordinis, tam in Civitate Januæ, quam in prædicto loco de Coruiliano fuiſſe, & eſſe nullas, & invalidas, nulliterque, & invalide factas, & quæcumque exinde ſequuta itidem fuiſſe nulla, & invalida decrevimus, & declaravimus, eiſdemque duobus, ſic utrobique electis, & aliis quibuſcumque ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis perpetuum ſilentium impoſuimus, ac aliis duobus electis, & eorum cuilibet inhibuimus, & interdiximus ne auderent, nec quilibet ipſorum auderet ſe in gubernio, & adminiſtratione Magiſtro generali dicti Ordinis competente, illiuſque exercitio quomodolibet ingerere, nec ſe Magiſtros generales nominare, nec ullos actus ſuperioritatis, juriſdictionis, antelationis, prærogativæ, facultatis, & præminentiæ Magiſtri generalis ejuſdem Ordinis, tam quoad ſpiritualia, quam quoad temporalia, & aliis quoquo modo facere, aut exercere, ſub excommunicationis majoris, privationiſque vocis activæ, & paſſivæ, ac officiorum quorumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis, aliiſque arbitrio noſtro imponendis, & ampliandis, etiam perſonalibus pœnis, & aliis, prout in aliis literis noſtris in ſimili forma Brevis ſub Datum die 20. menſis Martii proxime præteriti plenius continetur.

Indicitur Capitulum generaliſſimum pro die Pentecoſtes Anno 1644.

§.4. Ne autem ſtante annullatione electionum prædictarum, ac ſuſpenſione ejuſdem Nicolai ab exercitio regiminis, & adminiſtratione officii, Ordo hujuſmodi exercitio regiminis, & adminiſtratione Magiſtri generalis diutius careat, Nos ut prædicto Ordini, unde tam uberes in Catholica Eccleſia fructus, totque viri doctrina, & ſanctitate inſignes prodiere, & quem paterno affectu proſequimur, quantum cum Domino poſſumus, conſulamus, etiam de voto eorumdem S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum prædictorum, nedum Capitulum generaliſſimum ejuſdem Ordinis in Urbe, ac Monaſterio B. Mariæ ſupra Minervam celebrandum convocare, ſed etiam cauſam prætenſorum Nicolai prædicti exceſſuum inceptam a Judicibus, quibus illam commiſeramus, avocare, illamque in ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, avocatam eidem Capitulo generaliſſimo, ut præmittitur in Urbe celebrando, committere decrevimus. Quocirca motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie dilectis filiis Prioribus, Provincialibus Provinciarum dicti Ordinis, omnibuſque aliis, qui juxta formam Conſtitutionum ejuſdem Ordinis a Sede Apoſtolica confirmatarum ad Capitulum generaliſſimum convocandi ſuut, per Univerſum Orbem diffuſis, Capitulum generaliſſimum in Urbe, & Monaſterio S. Mariæ ſupra Minervam prædictis in Feſto Pentecoſtes futuri anni 1644. Itaut auctoritas Capitularium incipiat in Vigilia ejuſdem Feſtivitatis, omnino celebrandum ad quæmcumque effectum Ordini prædicto magis proficuum, opportunum, & neceſſarium, etiam individua, & ſpeciali nota dignum indicimus, & annunciamus, eoſdemque Provinciales, omneſque alios, & ſingulos, qui juxta earumdem Conſtitutionum formam in prædicto Capitulo intervenire debent, convocamus, ac ut perſonaliter accedant, diſtricte præcipiendo monemus, ita quod iidem Priores, Provinciales, & alii prædicti locum Capituli Dominica infra Octavam Aſcenſionis, vel Sabbatho præcedenti intrare teneantur. Injungentes propterea eiſdem Prioribus, Provincialibus, Definitoribus, & quibuſcumque aliis prædictis in virtute ſanctæ obedientiæ, ut præfixo tempore huc ſe conferant cum iis, qui ad Capitulum Generaliſſimum ex vi earumdem Conſtitutionum accedere debent, itaut tres vocales ex unaquaque Provinciarum hujuſmodi compareant, & vocem habeant. Præcipientes, ut nullus alius ad prædictum Capitulum ſine noſtra licentia accedat præter prædictos, & alios, qui ad præſcriptum prædictarum Conſtitutionum occaſione celebrationis prædicti Capituli Generaliſſimi accedere poſſunt, ac debent.

Remittitur controverſia Capitulo Generaliſſimo terminanda.

§.5. Interim vero volumus, ut dicti Priores, Provinciales in omnibus Conventibus publicas ſupplicationes ad Deum pro felici ejuſdem Capituli directione, & incolumitate Fratrum ad illud confluentium fieri curent, moneantque omnes ſuos ſubditos, ut ipſis Prioribus Provincialibus, & Sociis juxta prædictas Conſtitutiones electis, aliiſque prædictis ea omnia, quæ judicaverint, tam pro bono Ordinis hujuſmodi in communi, quam pro ſuis Provinciis, & Conventibus, in dicto Capitulo proponenda in ſcriptis exhibeant; dicti vero Priores Provinciales, & reliqui omnes, ad quos ſpectat, exactam relationem ſtatus Provinciarum, & earum Conventuum juxta earumdem Conſtitutionum diſpoſitionem afferant. Præterea, ut quantocitius pro ejuſdem Ordinis bono diſſidia, & controverſiæ Fratrum præcidantur, & Ordo ipſe optatæ tranquillitati, atque unitati reſtituatur, cauſam prætenſorum dicti Nicolai Magiſtri generalis exceſſuum, ut præfertur,

fertur, inceptam a judicibus, quibus illam commisimus, in statu, & terminis, in quibus ad præsens reperitur, tenore præsentium avocamus, firma in omnibus, & quoad omnia manente suspensione ejusdem Nicolai ab exercitio regiminis, & administratione officii Magistri Generalis facta, donec causa hujusmodi per Capitulum Generalissimum, ut infra, debito fine terminata fuerit, necnon etiam administratione, & gubernio dicti Ordinis a Nobis commisso dilecto filio nostro Antonio Cardinali Barberino illius Protectori, seu dilecto filio nostro Hieronymo Cardinali Verospio respective nuncupatis Comprotectori, quibus suspensione, & commissione per præsentes non intendimus in aliquo præjudicare, prout in antedictis nostris Literis in simili forma Brevis, sub datum die 20. prædicti mensis Martii expeditis plenius continetur, illamque sic avocatam eidem Capitulo Generalissimo per præsentes convocato, & ut præmittitur celebrando, cum omnibus, & singulis suis connexis, annexis, dependentibus, & emergentibus, ac toto negotio principali cognoscendam, ac juxta formam earumdem Constitutionum Ordinis prædicti, etiam non perfecto processu jam incœpto, ac etiam non servata aliqua tela judiciaria, sed summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, ad formam tamen Constitutionum prædictarum, sola facti veritate inspecta terminandam, omni, & quacumque appellatione, recursu, nullitate etiam ex defectu jurisdictionis, in integrum restitutione, aliisque juris, ac prædictarum Constitutionum Ordinis remediis penitus, & omnino remotis committimus cum omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis, itaut idem Capitulum Generalissimum ad relaxationem suspensionis prædictæ, & ad liberationem prædicti Nicolai Magistri Generalis, vel ad correctionem, & emendationem, aut etiam ad amotionem, seu depositionem ejusdem ab officio Magisterii Generalis, ipso tamen prius ad normam dictarum Constitutionum audito, ac monito, & subinde ad electionem alterius Magistri Ordinis, etiam absque alia Congregatione Capituli, vel citatione, monitione, vel intimatione aliorum quorumcumque interesse habentium, seu quomodolibet habere prætendentium possit, & debeat procedere, prout relaxationi, & liberationi, vel correctioni, & emendationi, aut amotioni, seu depositioni, & electioni respective locus erit ad earumdem Constitutionum præscriptum.

Clausulas necessarias pro præsentium Literarum firmitate addit.

§.6. Cum declaratione quod illi ex convocatis, qui non comparuerint, sive aliàs non accedent, habebuntur pro contumacibus, & nihilominus sine illis tempore prædicto celebrabitur Capitulum, & in eo expedientur omnia, & singula præmissa, & alia, quæ erunt necessaria, & opportuna. Decernentes prædictas literas etiam ex eo quod dictus Nicolaus Magister Generalis, ac duo electi prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, vel auditi fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis quamtumlibet substantiali defectu notari, redargui, & impugnari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti posse; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.7. Non obstantibus prædictis nostris literis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus editis, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus prædicti Ordinis, & Provinciarum hujusmodi statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, Nicolao Magistro Generali, & duobus electis prædictis, ceterisque Fratribus, & personis hujusmodi sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, vel aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra

tra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum die 8. Aprilis 1643. An XX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Apr. 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLVII.

Facultas Congregationi Cassinensi conceceditur imponendi Census super bonis usque ad summam scutorum ducentorum quinquaginta millium.

De hujusmodi materia lege Const. 536. *Exponi fol.* 102., *& Const.* 571. *Alias, fol.* 140.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refert Literas quibus facultatem concesserat alienandi bona pro summa aureorum 250000.

Aliàs a Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, prædictæ Congregationis, illiusque regiminis nomine, quod ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta, atque incommoda per eamdem Congregationem accepta ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis ejusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bona ex parte ejusdem Congregationis prædia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quæ pro summa quadraginta triū circiter millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum Sedis Apostolicæ, Monasteria dictæ Congregat. ob defectum suorum redditum ad præsens sunt adeo oppressa, ut illorum nonnulla jam ruinis eversa, & se sublevare impotentia reddita, sint, aliis vero eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per Nos provideatur, prout aliàs per Romanos Pontifices Prædecessores nostros Monasteriis hujusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, & præsertim per Pium V., qui similes, & forsan minus urgentes ob causas per quasdam suas sub die 19. Martii 1570. duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum milliū scutorum auri, quorum centum, & triginta tria millia dictæ Congregationi Cassinensi pro sua rata obtigerunt; & postmodum quia summa hujusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili forma Brevis respective expeditas literas eidem Congregat. Cassinensi bona stabilia pro alia summa quinquaginta millia scutorum aureorum vendendi facultatem respective concessit, eoque modo damnis, & periculis Monasterii dictæ Congregationis tunc temporis imminentibus opportune occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientia compertum est: Nobis propterea dictus Procurator, quo supra, nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & aliàs, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum dicti Pii V. Prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & aliis majoribus necessitatibus ad præsens gravata reperiuntur, ut, cum approbatione tamen dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, S. R. E. Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentia, Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictæ Congregationis bona stabilia, quæ pro liberanda ab ære alieno Congregatione prædicta, restaurationibusque necessariis, & utilitatibus in eis bonis faciendis magis opportuna fuerint judicata, usque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis, & formis in prædictis Pii V. Prædecessoris nostri Literis contentis, & juxta illarum tenores, & continentias vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicæ impositos, cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori Instrumento appositis redimere: ita tamen, ut præsentes aliis ejusdem Congregationis Monasteriis minime suffragentur, quam iis dumtaxat, quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integre concurrerunt, & concurrunt, libere, & licite possint, & valeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus fel. record. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædi-

prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius V. Prædecessor noster in prædictis suis literis voluit non obstare, ac aliis contrariis quibuscumque.

Quæ quidem Literæ datæ fuerunt anno 1637.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1637. Pontificatus nostri Anno decimo quarto.

Alias quoque recenset Literas, quibus datur facultas census imponendi super bonis Congreg. ad eorum intercusurii redimendum.

§. 2. Cum autem, sicut idem Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, a quamplurimis, præsertim verò a census super bonis ejusdem Congreg. juxta præinsertarum literarum tenorem imponendos emere volentibus dubitetur, an pro imponendis censibus hujusmodi dicti Francisci Cardinalis Protectoris hujusmodi approbatio, & reginiinis prædicti licentia sint necessariæ; Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunæ declarationis nostræ ministerio providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati peramplius consultum esse cupientes, illasque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorū singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Quod in vim præinsertarum nostrarum Literarum Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis intelligatur, intelligique debeat absque alia licentia, & approbatione concessa facultas super eorum, & dictæ Congregationis Monasteriorum bonis stabilibus novos annuos, & redimibiles census juxta formam constitutionis prædicti Pii Prædecessoris imponendi, ad effectum census annuos super illius Congregationis bonis stabilibus aliàs de Sedis Apostolicæ licentia impositos, cum pecuniis novorum censuum hujusmodi ad minorem tamen rationem pro quolibet centenario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis, super certo fundo, & non aliàs accipiendis, servata in reliquis earumdem literarum forma redimendi, apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus, & declaramus. Non obstantibus fel. recor. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prędictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius Prædecessor voluit in prædictis suis, & Nos in nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut novorum censuum hujusmodi impositio, & veterum extinctio unico contextu fiant, vel saltem pecuniæ ex nova impositione hujusmodi provenientes penes Montem Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam deponantur, hinc non amovendæ, nisi ad effectum extinctionis prædictæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Augusti 1638. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

Quæ datæ fuerant an. 1638.

Causas recenset novæ concessionis.

§. 3. Cum autem, sicut dilectus filius Gregorius a Parma Abbas, & modernus Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, non reperiantur in promptu, qui bona dictæ Congregationis emant, nisi cum illius detrimento, Nobis propterea idem exponens dictæ Congregationis, illiusque Regiminis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Congregationis, & illius Monasteriorum præfatorum indemnitati peramplius consulere, eaque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatis Monasteriorum dictæ Congregationis Abbatibus, quod ipsi in vim præinsertarum nostrarum Literarum hujusmodi, quas ad effectum infrascriptum valere, & pariter sufficere declaramus, de consensu ejusdem Francisci Cardinalis Protectoris, unum, seu plures annuos, & redimibiles census usque ad præfatam ducentorum quinquaginta millium scutorum summam hujusmodi in eorum sorte principali ascendentes, loco bonorum stabilium, quæ juxta easdem præinsertas literas vendi posse, ut præfertur, concessum fuit, super Monasteriorum eorumdem Abbatum, dictæque Congregationis bonis stabilibus ubilibet existentibus imponere, illumque, vel illos sic impositos uni, seu pluribus personis meliorem conditionem offerentibus, servata ejusdem Pii Prædecessoris Constitutionis, & præinsertarum nostrarum Literarum forma, vendere, & alienare, ac pecunias inde provenientes in usus, & necessitates supra expressas, ac aliàs insuper, ut Montistis Cameralibus satisfiat, convertere, & erogare, ac pro emptoris, seu emptorum censuum hujusmodi, necnon fidejussoris, seu fidejussorum per eosdem Abbates forsan præstandorum securitate, relevatione, & indemnitate, ultra bona, super quibus census hujusmodi impositi fuerint, alia omnia, & singula dictorum Monasteriorum, & Congregationis hujusmodi bona mobilia, & immo-

Concessio, de qua in Rubr.

immobilia, etiam in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligare, & hypothecare, ac super his unum, seu plura instrumenta cum rennnciationibus, vinculis, clausulis, & decretis in similibus apponi solitis, celebrare, seu celebrari, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere, & exequi libere, & licite possint, & valeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, necnon emptorem, seu emptores censuum hujusmodi ad probandum, seu verificandum in quos usus pretium ipsorum censuum concursum fuerit, minime teneri, nec obligatos existere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§.6. Non obstantibus præfatis Pauli, & Pii Prædecessoris hujusmodi, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod pecuniæ ex impositione, & venditione censuum hujusmodi provenientes unico contextu in usus, & necessitates in eisdem præinsertis, & præsentibus Literis expressas convertantur, vel saltem penes Montem Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendæ, nisi ad effectum illas, ut petitur, convertendi, quodque census præfati infra tempus ab eodem Francisco Cardinale Protectore præfigendum sub excommunicationis pœna per eos, ad quos spectabit, eo ipso incurrenda, extingui, & redimi omnino debeant.

Datum die 15. Aprilis 1643. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Aprilis 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Licentia Ecclesiasticis Regni Valentiæ concurrendi cnm laicis per duos menses in contributione pro duobus Militum millibus.

Ven. Fratri Archiepiscopo Valentin.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Archiepisc. Valentin Clero licentiam concessit contribuendi in casu, de quo in Rubr.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum trium statuum, seu stabilimentorum, Ecclesiastici, Militaris, & Realis universi Regni Valentiæ Nobis expositum fuit, quod Regnum prædictum pro sui in præsentibus bellorum in ejus confinibus vigentium motibus defensione charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico duo Militum Millia suis sumptibus conscribere, & spatio duorum mensium manutenere obtulit. Et quia ad præmissa hujusmodi facultates laicorum non suppetebant, urgensque necessitas non ferebat dilationem temporis, quo ad Nos recursus haberetur, tu prævio Cleri ejusdem Regni consensu licentiam personis ecclesiasticis dicti Regni contribuendi pro rata in conscriptione, & manutentione prædictorum duorum millium Militum pro duobus mensibus dumtaxat, cum hoc, ut infra annum inde proximum licentiæ hujusmodi confirmatio a Nobis, & Apostolica Sede obtineri deberet, & aliàs sub certis modo, & forma in tuo decreto die 3. Octobris 1642. desuper emanato expressis concessisti.

Status Valentiæ petit hanc licentiam ab Apostolica Sede confirmari.

§.2. Quapropter exponentes prædicti licentiam, & decretum hujusmodi apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri, ac insuper summam quindecim millium scutorum monetæ collectam ex contributione, quæ pro muniendis adversus fluminis inundationem Civitatis Valentin. mœnibus quot annis continuate solvitur, & ad quam personæ ecclesiasticæ, & exemptæ dictæ Civitatis vigore licentiæ per fel. rec. Clementem PP. VIII. Prædecessorem nostrum eis concessæ, ea lege, ne pecuniæ ex tali impositione collectæ in alios usus convertantur, concurrunt, pro expensis manutentionis eorumdem duorum millium Militum, hac vice dumtaxat applicare posse summopere cupientes, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis apostolicæ nostræ auctoritatis partes interponere, de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§.3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto particularis Congregationis nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum a Nobis desuper deputatæ Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito tibi de narratis, & stante consensu Cleri prædicti, quodque Laicorum facultates ad præmissa non suppetunt, ut præfertur, licentiam personis ecclesiasticis concurrendi cum laicis in contributione pro conscriptione, & manutentione prædictorum duorum millium Militum per te concessam, ut præfertur, ac tuum desuper emanatum decretum duobus mensibus dumtaxat, quibus exactis licentia prædicta, ac præsens gratia cesset, & expiret eo ipso, auctoritate nostra apostolica confirmes, approbes, & convalides, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicias, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti

Facultatemque ad id eidem Valentino Archiepiscopo tribuit.

facti defectus, si qui desuper intervenerint, suppleas, necnon facultatem applicandi prædictam quindecim millium scutorum summam pro expensis manutentionis eorumdem duorum millium Militum, pro hac vice dumtaxat, ita tamen, ut si necessitas ingruerit, mœnia prædicta nullum propterea damnum patiantur, & cum hoc, ut summa hujusmodi, quoad ratam ab ecclesiasticis solutam cedat in diminutionem ratæ contributionis per personas ecclesiasticas vigore dictæ licentiæ, & præsentium Literarum pro duobus mensibus, ut præfertur, solvenda, cadem auctoritate nostra concedas,

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiā derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 2. Maii 1643. An.XX.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die secunda Maii millesimo sexcentesimo quadragesimotertio, Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLIX.

Constitutio super recitatione, & decantatione Hymnorum Breviarii Rom. Suæ Sanctitatis auctoritate recognitorum in quibuslibet Ecclesiis.

Circa Breviarii Romani institutionem, ac formam illud recitandi habes Pii V. Const. LXXXVII. Quod a Nobis *Tom. IV. Par. III. fol.* 22., *ubi etiam Breviariorum antiquorum usus interdicitur. Item Breviarium Romanum denuo revisum, ac emendatum fuit a Clem. VIII, prout in Const. CCLXXVI.* Cum in Ecclesia *Tom. V. Par. II. fol.* 422.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CUM aliàs Hymni Breviarii Romani, paucis exceptis, qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam rhythmo constant, jussu nostro, vel emendatioribus adhibitis codicibus, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges revocati, nonnulli etiam de integro conditi, dictoque Breviario auctoritate nostra recognito inserti fuerint, & ut accepimus, Breviarium prædictum cum Hymnis hujusmodi a majori parte Christifidelium, qui ad illius recitationem sunt adstricti, privatim ubivis terrarum recitetur.

Causæ hujus Constit.

§.1. Hinc est, quod Nos, qui Hymnos prædictos cum notis musicis hac in Alma Urbe nostra elegantius typis, & exacta industria excudi jussimus, ne eorum publica recitatio a privativa discrepet, sed ea in re uniformitas ubique, prout decet, servetur, pro pastorali nostra sollicitudine providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in omnibus, & singulis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, cæterisque tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & Hospitalis S. Jo. Hierosolymitani, aliarumque Militiarum utriusque sexus regularibus, ac Archiconfraternitatum, & Confraternitatum quarumlibet, etiam quantumlibet exemptis, ac speciali nota, & individua expressione dignis Ecclesiis, Basilicis, Cappellis, Oratoriis, earumque, & eorum Choris in divinorum officiorum celebratione, prædicti Hymni jussu nostro emendati, ac de integro conditi, & typis editi, ut præfertur, non autem amplius antiqui, tam in Urbe prædicta, quam in reliquis Orbis Christiani partibus recitentur, ac decantentur, recitarique, & decantari debeant, tenore præsentium præcipimus, & mandamus. Volentes, ut præceptum nostrum hujusmodi in dicta Urbe, & ejus districtu, intra duos, in aliis vero locis citra montes infra octo, ultra montes autem infra duodecim menses respectivc omnino exequutioni demandetur.

Hymnos Sanctitatis auctoritate recognitos deinceps ubique recitari mandat.

Exequutores deputat.

§.2. Quocirca dilectis filiis nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus generali, ac locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, ut quoad Urbem, & ejus districtum hujusmodi Vicarius prædictus, quo vero ad reliqua loca Ordinarii in suæ jurisdictioni subjectis quidem sua ordinaria, in exemptis autem apostolica auctoritate, tamquam nostri, & Sedis Apostolicæ Delegati easdem præsentes cum omnibus, & singulis contentis in illis solem-

solemniter publicantes, faciant ad unguem illa inviolabiliter observari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis desuper habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque etiam nostris, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis locorum, ac Ecclesiarum, Basilicarum, Monasteriorum, Domorum Regularium, Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium, etiam Societatis Jesu, ac Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliarumque Militiarum, ac Archiconfraternitatum, & Confraternitatum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, & confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis prædictis, & aliis quibuslibet locis, & personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium nostrarum literarum exemplaribus, etiam in prædictorum Hymnorum libris, ac Breviario impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ alicujus in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 27. Aprilis 1643. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 27. Aprilis 1643. Pont. nostri Anno XX.

DCCL.

Indultum celebrandi Missam, & recitandi Officium de Beato Martire Josaphato Archiepiscopo Polocensi, Monacho Ordinis S. Basilii.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti, ad ea, per quæ servorum Christi, qui pro ejus Ecclesia sanguinem suum fuderunt, veneratio in Terris promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis, pastoralis muneris nostræ partes propensis studiis impendimus, prout pia Christifidelium, præsertim Catholicorum Regum, & Principum vota exposcunt, Nosque conspicimus in Domino salubriter expedire. Exordium.

Supplicatio.

§. 1. Sane nomine dilectorum filiorum Monachorum Ordinis S. Basilii Nobis nuper expositum fuit, quod commissa dudum a Nobis Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum ad instantiam clar. mem. Sigismundi, dum viveret Poloniæ, & Sveciæ Regis Illustris, & Charissimi in Christo filii nostri Uladislai, etiam Poloniæ, & Sveciæ Regis Illustris, necnon ad supplicationem Venerabilium Fratrum Metropolitanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac dilectorum filiorum Nobilium Virorum Palatinorum Principum, ac universi Cleri, & Populi Catholici Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, ac totius Russiæ, necnon Ordinis prædicti, causa Servi Dei Josaphati Archiepiscopi Polocensis ejusdem Ordinis S. Basilii pro Christi nomine, & Fide Catholica, & pro sancta potissimum Unione cum Ecclesia Romana Vitepsci in Russia Alba die 12. Novembris 1623. a Schismaticis trucidati; illaque deinde per plures annos per eamdem Congregationem, servatis servandis, discussa, & examinata, auditis etiam desuper Theologis, Consultoribus, & Sanctæ Fidei Promotore, post obtentam prius a Nobis sub die 27. Januarii 1629. derogationem Decreti nostri de non procedendo in causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum, & prævia sub die 2. Martii 1641. nostra licentia ad ulteriora in hujusmodi causa in Congregationibus ordinariis procedendi; referente dilecto filio nostro Joan. Baptista tit. S. Eusebii ejusdem S. R. E. Presbytero Cardin. Pamphilio nuncupato proposita, eadem Congregatio dicta die 2. Martii 1641. censuit constare de validitate processuum: die vero 13. Septembris 1642. constare de Martyrio, & causa Martyrii: die demum 22. Novembris ejusdem anni 1642. constare etiam de miraculis; ideoque eidem Congregationi videri, si Nobis placeret,

ceret, posse dictum Servum Dei Josaphatum Beatorum Martyrum Catalogo adscribi, & ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deveniri.

Concedit prout in Rubrica. §.2. Quare pro parte non solum prædictorum, verum etiam Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei præpositorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem Canonizationem dicti Servi Dei Josaphati deveniatur, idem Servus Dei Josaphatus Beatus nuncupari, atque Officium, & Missa de eo, ut infra, celebrari possit. Nos itaque piis Uladislai Regis, Cardinalium, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Palatinorum Principum, Cleri, Monachorum, & Populi prædictorum votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: De eorumdem Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut ipse Dei Servus Josaphatus in posterum Beatus nuncupari, atque ab omnibus Monachis dicti Ordinis S. Basilii ubique Terrarum existentibus, necnon in omnibus Ecclesiis Diœcesis, & Provinciæ Polocensis, ac totius Metropolis Russiæ, a quibuscumque Sacerdotibus, tam sæcularibus, quam regularibus die Natalis ipsius, duodecima videlicet Novembris, Officium & Missa de communi unius Martyris Pontificis recitari respective, ac celebrari juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, necnon Græci, seu Rutheni, ab Apostolica Sede approbati valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 16. Maii 1643. An.XX. Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Maii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCLI.

Quod festum S.Norberti celebretur die 11. mensis julii, ac Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Ordinis Præmonstratensis eodem die confessis, ac communione refectis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Aliàs fel. record. Paulus Papa Prædecessor noster volens universum Ordinem Præmonstratensem, illiusque Religiosos, & Ecclesias spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare, omnibus, & singulis Christifidelibus, qui vere pœnitentes, & confessi die festo S. Norberti sacrum Missæ sacrificium fecissent, vel sacram communionem sumpsissent, plenariam, ac postmodum certis evenientibus casibusd. festo in alium diem, & indulgentia in Dominicam illum immediate sequentem respective translatis.

Concedit prout in Rub. §.1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui dicta die aliquam ex Ecclesiis prædictis singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & misericorditer in Domino concessit, prout in diversis dicti Pauli Prædecessoris in simili forma Brevis, desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Translatio Indulgentiæ plenariæ. §.2. Subinde vero per Procuratorem Generalem dicti Ordinis tunc existentem Nobis exposito, quod dicta festivitas in die prædicta debito cum honore ob varia impedimenta celebrari non poterat: Nos piis dicti Procuratoris votis annuentes, quo convenientius, & decentius dictum S. Norberti festum celebrari posset, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio festum S. Norberti hujusmodi, quod in diem 6. Junii incidit, in diem 11. mensis Julii apostolica auctoritate perpetuo transtulimus, prout in nostris similiter in forma Brevis desuper expeditis literis, quarum etiam tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

§.3. Cum autem, sicut dilectus filius modernus ejusdem Ordinis Præmonstratensis Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam per dictum Paulum Prædecessorem dicti Ordinis Ecclesiis, ut præfertur, concessam, una cum dicto festo transtulerimus, Nobis idcirco idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benegnitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Indulgentiam per Paulum Prædecessorem nostrum prædictum, præmissa peragentibus die festo S. Norberti tunc in 6. mensis Junii, ac deinde facta per eumdem Paulum occurrentibus eisdem casibus translatione prædicta, in Dominicam illud immediate sequentem inci-

incidente, perpetuo concessam, in diem 11. mensis Julii una cum dicto festo, sic, ut præfertur, per Nos postmodum translato, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo transferimus: itaut omnes, & singuli Christifideles vere pœnitentes, & confessi, ac, ut supra, sacra communione refecti, qui aliquã ex Ecclesiis Ordinis prædicti die 11. mensis Julii hujusmodi visitabunt, & ibi, ut præfertur, orabunt, eamdem Indulgentiam cosequantur, quam in diebus prædictis respective consequuti fuissent, concedimus, & indulgemus, in cotrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §.4. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 10. Maii 1643. An. XX. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 10. Maii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCLII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Jubilæum pro Christifidelibus in Hiberniæ Regno morantibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Jubilæum opera hic præscripta facientibus conceditur. Zelum orthodoxæ fidei, quo accensi Hiberni Catholici tamquam bellatores Domini exercituum Regnum Hiberniæ ob eximium ejusdem fidei cultum patriam Sanctorum olim appellatum, ab hæreticorum oppressionibus, & injuriis, quibus dudum affligitur, armis vindicare, & operarios iniquitatis, qui massam catholicæ puritatis eodem in Regno hæreticæ contagionis fermento infecerunt, & jugiter inficere nituntur, extirpare satagunt, spiritualium gratiarum quarum dispensatores in terris a Domino constituti sumus largitione confovere volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, meritis minime suffragantibus contulit, universis, & singulis Christifidelibus in prædicto Hiberniæ Regno contra Hæreticos, & alios catholicæ fidei hostes nunc, & pro tempore militantibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilei, visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore præsentium pro una vice tantum pro quolibet concedimus, & elargimur.

Facultas quoque Confessarium sibi deputandi, qui eos absolvat a casibus reservatis. §.2. Cupientes autem, omnes Christifideles Militantes, ut præfertur, participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis, & singulis Christifidelibus prædictis licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum quemcumque Presbyterum confessarium tam secularem, quam cujusvis ordinis regularem etiam ex aliàs approbatis a locorum Ordinariis eligere possint, qui eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Literis die Cœnæ Domini legis solitis contentis, & aliàs per quascumque nostras, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & ea vice tantum eos absolvere, & liberare valeat, & insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. vota commutat &c.

§.3. Quapropter ten. præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum in Hibernia existen., eorumque Vicariis, & officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum inibi exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim, absque ulla mora retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant. Præsentium fieri publicationem præcipitur.

§.4. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituen. etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi prius satisfecerint, aut cum partibus concordaverint ullo modo suffragari posse, aut debere. Casus excepti.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti, reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Jubilæi, indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis Indul- Contrariorum derogatio.

dulgentiis, ad instar, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum ten. præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in illis traditam pro servata habentes hac vice specialiter nominatim, & expresse ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §. 6. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 15. Maii 1643. An. XX. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 15. Maii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCLIII.

Ex Regest. in secret. Brev. Absolvit Collegium Cursorum a quocumque interesse inito per eos, & confirmat decretum ab eo factum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cursores quodcumque interesse sive publicum, sive privatum remittunt. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Dominicus Mangilius, & Joannes Baptista Riccius suo, & aliorum Collegialium Collegii Cursorum nostrorum nominibus, quod ipsi aliàs, seu nuper memores decretorum, ordinationum, & statutorum dicti eorum Collegii, & signanter quarumdam in simili forma Brevis Literarum fel. rec. Pauli Papæ V. Prædecessoris nostri de anno 1614. emanatarum, ad animarum suarum salutem, ac ut de cætero quietius, securiusque in conscientia viverent, quoddam decretum ediderunt, quo sibi invicem, & vicissim quomodolibet interesse ipsorum dumtaxat sive publicum, sive privatum ipsos, & eorum quemlibet tantum tangens, etiam massas, & massarum distributiones, & solutiones active, vel passive, ac aliàs quomodolibet ipsos tantummodo concernentes remiserunt, & condonarunt, & aliàs prout in eodem decreto plenius dicitur contineri.

Idque apostolica auctoritate firmari petunt. §. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes nomine, quo supra, decretum hujusmodi, quo firmius subsistat apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri, aliàsque in præmissis, ut infra, opportune provideri.

§. 3. Nos eosdem exponentes, aliosque Collegiales prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendũ, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, & insuper eorumdem exponentium, & aliorum Collegialium hujusmodi singulares personas a quibusvis censuris, & pœnis ecclesiasticis quomodolibet per eos hactenus præmissorum occasione incursis, & respective consentientium dumtaxat auctoritate, & tenore prædictis absolvimus, & totaliter liberamus, dictasque pœnas illis gratiose remittimus, & condonamus. *Confirmat Pontifex.*

§. 4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces, existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illę concernunt, ac concernent in futurum inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Sicque a quocumque Judice jubet judicari.*

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Collegii, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Derogat obstantibus.*

§. 6. Volumus autem, quod imposterum prædictæ dicti Pauli Prædecessoris literæ sub censuris, & pœnis contentis in illis inviolabiliter observentur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX. *Datum die 8. Junii 1643. An. XX.*

Appro-

DCCLIV.

Sententia exequutorialis A.C. in controversia super jure præcedendi in Processionibus inter Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Provinciæ Hispalensis, & Discalceatorum nuncupatorum S. Francisci, extenditur ad alias Provincias ejusdem Ordinis Sancti Francisci.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Refert suas literas.

§.1. Aliàs a Nobis pro Provincia Hispalensi Fratr.Ord.Min.S.Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet. Urbanus Papa Octavus, ad futuram rei memoriam. Cum, sicut dilectus filius Joannes Merinero Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci deObservantia nuncupatorum Minister Generalis Nobis nuper exponi fecit,aliàs postquam Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis super controversiis inter dilectos filios ejusdem Ordinis Fratres Discalceatos nuncupatos Provinciæ Hispalensis ex una, necnon Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini ejusdem Provinciæ partibus ex altera tunc super jure præcedendi in processionibus, & aliis actibus publicis vertentibus,decretum,seu declaratū fuit, præcedentiam in concursu cum aliis Regularibus in processionibus, & aliis actibus publicis prædictis semper competere primodictis Fratribus Discalceatis, sive soli per se, & sub propria Cruce, & cum Familia de Observantia incedant, & sint Discalceati Reformati,aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint vere Reformati dicti Ordinis S. Francisci, necnon gaudere, & frui debere omnibus aliis prærogativis in Bulla fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri,quæ incipit: Ex injuncto Nobis, &c. expressis, & subinde Nos decretum hujusmodi cum omnibus, & singulis in eo contentis apostolica auctoritate confirmavimus, aliaque fecimus, quæ in nostris in simili forma Brevis desuper de Anno 1630. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quibus præcedentiam Minoritis Discalceatis Provinciæ Hispalensis asseruerat.

Latamque ab A.C. sententiā confirmaverat.

§.2. Postmodum in exequutionem earumdem nostrarum literarum, ac pro illarum observatione obtentis per eosdem Discalceatos, ac expeditis a dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Auditore Generali monitorialibus literis, illarumque vigore citatis dictis Fratribus S.Augustini,& infra terminum sibi ad comparendum, juraque sua deducendum, minime comparentibus ab eodem Auditore Generali lata definitiva sententia,per quam juxta prædictarum nostrarum literarum continentiam, & tenorem dictis Fratribus Discalceatis hujusmodi præcedentiam præ-dictam adjudicavit, cupiatque propterea idem Joannes Minister Generalis sententiā ejusdem AuditorisGeneralis, quo firmius subsistat apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri.

§.3. Nos,qui Religiosorum Ordinum quorumcomque felicem directionem,pacemque, ac quietem sinceris desideramus affectibus, eumdem exponentem, ipsosque Discalceatos Fratres specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure,vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Joannis Ministri Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, sententiam dicti Auditoris Generalis in exequutionem prædictarum literarum nostrarum, ut præfertur latam, apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus,si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint supplemus.

§.4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac prædictis Fratribus Discalceatis ubicumque existentibus, in omnibus,& per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios ubique, & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cum clausulis.

Exequutorum deputatione.

§.5. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, præsertim Hispalensi, ac aliis Episcopis in Provinciis, & locis, in quibus Discalceatorum hujusmodi regulares domus erectæ sunt, sive imposterum erigentur, constitutis, ac dilectis filiis eorum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus ,quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Discalceatorum hujusmodi requisiti fuerint solemniter publicantes, eisdemque Fratribus Discalceatis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra prædicta omnia, & singula ab hiis, ad quos spectat, & protempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, cos-

eosdem Discalceatos Fratres præmissorum commodo, & effectu pacifice frui ubique, & gaudere, non permittentes illos per aliorum quorumvis ordinum, & institutorum Regulares quomodolibet molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliàs in præmissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantium derogationes.

§.6. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Ordinum, & Congregationum, ac domorum, & locorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliæ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 13. Martii 1641. Pontificatus nostri Anno XVIII.

Hoc idem extendit ad alios Conventus.

§.8. Cum autem, sicut per dilectum filium Antonium de Castillo filium, & Procuratorem in Romana Curia Provinciæ S. Joannis Baptistæ Fratrum Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum etiam Hispaniarum accepimus, iidem Fratres Discalceati S. Francisci secundodictæ Provinciæ hujusmodi, in oppido, seu Villa de Vineros Derthusensis Diœcesis in Regno Valentiæ unum Conventum sui Ordinis fundaverint, in ipso autem oppido, seu Villa hujusmodi etiam unus Conventus Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini fundatus reperiatur. Idcirco Nos pro nostri pastoralis Officii debito litibus, & scandalis, quæ occasione præcedentiæ in processionibus, & aliis actibus publicis inter utriusque Ordinis hujusmodi Fratres præfatos oriri possent, obviam ire, aliasque, ut infra opportune providere volentes; De Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatæ consilio, motu proprio, ac ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine præinsertas nostras literas, ac omnia, & singula in eis contenta ad secundodictam S. Joannis Baptistæ eorumdem Fratrum Discalceatorum S. Francisci Provinciam, ac quoad præfatum dicti Oppidi, seu Villæ de Vineros, & quosvis alios Conventus ejusdem secundodictæ Provinciæ S. Jo. Baptistæ Fratrum Discalceatorum primodicti Ordinis hujusmodi tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Mandatum de parendo.

§.9. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, aliisque arbitrii nostri pœnis, ut eosdem Fratres Discalceatos secundodictæ Provinciæ hujusmodi omnium, & singulorum præmissorum commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis secundodictæ Provinciæ hujusmodi in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt in futurum, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios ubique, & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§.10. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in eadem secundodicta Provincia constitutis, seu dilectis filiis eorum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum secundodictæ Provinciæ hujusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra omnia, & singula debitę exequutioni demandari, & ab omnibus inviolabiliter observari, non permittentes eosdem Fratres Discalceatos S. Francisci secundodictæ Provinciæ hujusmodi per ejusdem S. Augustini, aut aliorum quorumvis Ordinum, & Institutorum Regulares quomodolibet molestari.

Contravenientium pœnæ.

§.11. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliàs præmissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes per easdem excommunicationis, & quasvis alias censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque

que super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem præinsertis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 10. Junii 1643. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 10. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCLV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Mandat Inquisitori Majori Portugalliæ, ne ipse, & alii Inquisitores molestias inferant Rectori, Lectori, Collegialibus, aliisque Ministris Universitatis studii generalis, & Regii Civitatis Elboren.

Dilecto filio adversus hæreticam pravitatem in Regno Portugalliæ Inquisitori Majori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Facti series.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Rector, Doctores, Magistri, & aliæ personæ Universitatis studii generalis Civitatis Elboren. in Regno Portugalliæ, quod ipsi a jurisdictione cujuscumque Judicis dicti Regni exempti, & immediate Sedi Apostolicæ subjecti sunt, præterquam tamen in casibus fidei, pro quibus contra eos ab adversus hæreticam pravitatem in eodem Regno Inquisitoribus procedi potest, & insuper, quod ex privilegio apostolico Universitas præfata deputare potest unum judicem, seu superintendentem cujusdam nundinæ, seu mercatus, qui singulis hebdomadis fieri consuevit pro servitio dictæ Universitatis Lusitano Almotacel, Italo autem idiomatibus edile nuncupatum, qui facultatem, & auctoritatem habet mandata, seu jussiones dandi pro distributione rerum, quæ in dicta nundina, seu mercatu venduntur, & ab ejus ordinationibus, ad alium, quam ad quemdam particularem privilegiorum dictæ Universitatis Conservatorem appellari nequit.

Licet autem privilegia hujusmodi sint, ut asseritur, in viridi observantia, & spatio octuaginta annorum non fuerit auditum, seu visum quidquam in contrarium, nihilominus de mense Decembris anni proxime præteriti 1642. evenit, ut cum quidam famulus unius Consultoris Sancti Inquisitionis Officii adversus eamdem hæreticam pravitatem, in eadem Civitate, unum Pomorum Canistrum pro servitio sui heri emere vellet, dilectus filius Doctor Rocchus Cortez Collegialis Theologus Collegii Regii Theologorum dictæ Civitatis, qui præfatum Judicis, seu superintendentis hujusmodi munus exercebat, sese dicto famulo opposuerit, volueritque, ut ante quemcumque alium de supradictis pomis Collegio Purificationis B. M. V. cujus erat collegialis, provideretur: Qua de causa eodem famulo apud suum herum, illo vero conquerentibus cum eisdem Inquisitoribus dictæ Civitatis, præfati Inquisitores dictum Rocchum in eorum Tribunali citari fecerunt, qui respondit, si se pro rebus ad fidem spectantibus vocatus ab eis erat, prompte inibi compariturum, si vero illum volebant pro rebus suum officium tangentibus, non posse privilegiis dictæ Universitatis præjudicare, quorum vigore nullum alium Judicem præter illius Conservatorem agnoscebat, & in effectu habita per eumdem Conservatorem de præmissis notitia, idem Conservator literas hortatorias seu precatorias, & avocatorias causæ hujusmodi ad dictos Inquisitores dedit, qui non minus responso dicti Rocchi, quam Literis dicti Conservatoris irritati, multos birruarios, & familiares dicti Inquisitionis hujusmodi officii mandarunt, qui dictum Rocchum carcerarent, prout illum realiter, & cum effectu in via publica apprehenderunt, & publice habitu collegiali indutum ad eorum Inquisitionis hujusmodi officium conduxerunt, in cujus carcere illum more reorum de Fide Catholica concluserunt; Quo in Carcere cum eumdem Rocchum spatio unius mensis detinuissent, tandem convocatis quodam inter alios die per eosdem Inquisitores in aula dicti Inquisitionis hujusmodi officii multis personis religiosis, quoddam theatrum consulto, & expresse ad id perstructum eumdem Rocchum conscendere fecerunt nudato capite absque pallio, & sine habitu, aut insigni collegiali cum candela in manu accensa, illumque in expensis condemnarunt, & exilio ad annum e dicta Civitate Elboren. mulctarunt, ob contumaciam in non comparendo ad citationem hujusmodi.

Subinde vero dimissis præfatis Regularibus officiales dicti Inquisitionis hujusmodi officii, qui remanserant, ad quamdam secundam sententiam contra eumdem Rocchum devenerunt, qua illum præfato Judicis, seu superintendentis hujusmodi officio privarunt, & ad illum perpetuo inhabilitarunt, illum ad solutionem viginti ducatorum monetæ illarum partium condemnando, quia famulo dicti Consultoris S. Inquisitionis hujusmodi officii poma, quæ intendebat emere, nullatenus reliquerat. Terminato autem hoc actu, & lata sententia, dilectus filius Franciscus Pitherio Presbyter Societatis Jesu Doctor, & Magister primæ Cathedræ Sacræ Theologiæ dictæ Universitatis cum mandato Procurationis, Rectoris, & Officialium ejusdem Univer-

sitatis prævia, & habita licentia accedendi ad dictos Inquisitores debita cum reverentia dixit, se occasione præjudicii, quod ex actu, et sententia præfatis inferri, & sequi poterat dictæ Universitati suisque privilegiis, nomine ejusdem Universitatis ad Nos expresso nomine provocare: qui Inquisitores hujusmodi audita appellatione prædicta eumdem Franciscum extra aulam dicti Inquisitionis officii hujusmodi per unum horæ quadrantem consistere fecerunt, illumque deinde apprehensum occasione appellationis ab eo ad Nos interpositæ cum birruariis, & sine socio ad Conventum Sancti Dominici Fratrum Ordinis Prædicatorum miserunt, & ibi quadam in Cella illi pro carcere assignata concluserunt, cum expressa prohibitione, ne inde, nisi diebus Festis Missam audiendi causa exire, neve quemquam, præter ipsius Conventus Priorem, & unum alium Fratrem alloqui posset, illumque, tam in victu, quam in quacumque alia re male tractari fecerunt; prætendentes eumdem Franciscum gravissimum quoddam delictum commisisse ob interpositam ad Nos dictam appellationem, qui, ut ipsi Inquisitores asserunt, a Nobis omnē jurisdictionem abdicavimus, illamque ad dictos Inquisitores transtulimus, quorum Tribunal nullum alium superiorem præter Deum recognoscit, & postmodum eumdem Franciscum in Collegio dictæ Societatis ejusdem Civitatis restituerunt, & reposuerunt, in quo carceratus detinetur, nec, nisi cum tribus personis sibi assignatis, nec etiam cum proprio Rectore alloqui potest, eumque pluries ad Tribunal dicti Inquisitionis hujusmodi officii accerserunt, iteque fecerunt ad subeundum examen, non sine maxima contumelia perinde ac si reus causæ fidei foret.

Ad hæc præfati Inquisitores hujusmodi, ut populum terrerent, qui offensus ex captura, & gestis contra eumdem Rocchum ipsis Inquisitoribus obloquebatur, in dictæ Civitatis Ecclesiis promulgari fecerunt quoddam edictum, quo sermones, qui de hac materia fiebant, casus Sacri Inquisitionis hujusmodi officii, & quemlibet teneri voluerunt sub pœna excommunicationis sibi ipsis reservatæ denunciare, hac de re loquentes, & quibusvis Notariis, & officialibus publicis prohibuerunt, ne desuper ulla acta, & instrumenta conficerent, seu confici facerent.

Licet autem præmissis non obstantibus pro parte dicti Francisci præsentata fuerit appellatio a præmissis dilecto filio moderno jurium, & spoliorum Cameræ nostræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Vice-Collectori, quam ille acceptavit, nihilominus cum præfati Inquisitores hujusmodi procederent in causa hujusmodi, tentarentque carceri mancipare dilectum filium modernum dictæ Universitatis Rectorem, aliosque actus præjudiciales facere pro parte, & nomine eorumdem Francisci, & Rocchi, necnon dictæ Universitatis hujusmodi Rectoris, & aliorum interesse habentium recursus ad Nos habitus, novaque coram Nobis appellatio, quam admisimus, interposita respective fecerunt.

§. 2. Quare nobis iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune, ut infra, providere, de benignitate apostolica dignaremur. [Preces Rectoris Universitatis.]

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut eisdem hæreticæ pravitatis Inquisitoribus dictæ Civitatis Elboren. auctoritate nostra præcipias, ne amplius in causa hujusmodi procedant, ac ut eumdem Franciscum e Carcere liberent, necnon omnia, & singula acta per eos in præmissis facta, illorumque processum ad Nos transmittant, nec quidquam contra quamcumque personam eorumdem præmissorum occasione innoverit, præmissisque omnibus, & singulis, sub indignationis, aliisque arbitrii nostri pœnis prompte pareant, & obediant. [Mandatum, de quo in Rubr.]

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius officii Inquisitionis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis ipsis Inquisitoribus, & quibusvis illorum personis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. [Obstantibus derogat.]

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX. [Datum die 16. Junii 1643. An. XX.]

Com-

DCCLXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Vicecollectori Portugalliæ, ut defendat, et liberet Rectorem, & alios universitatis studii GeneralisElboren. Civitatis a molestiis eis allatis ab Inquisitoribus Sacræ Inquisitionis officii.

Dilecto filio jurium, & spoliorum Cameræ Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis debitorum Vicecollectori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Facti series. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt &c. *Reliqua conveniunt de verbo ad verbum cum præcedenti.*

Preces Universitatis. §.2. Quare Nobis idem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in premissis opportune, ut infra, providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio Vice Collectori, ut Inquisitoribus mandet traditionem actorum. §.3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes cōmittimus, & mandamus, ut eisdem Inquisitoribus Elboren. auctoritate nostra inhibeas, illosque cogas, & compellas, sub censuris, & pœnis Nobis, & Sedi præfatæ reservatis, ut omnia, & singula acta in hujusmodi negotio per eos facta tradant, & consignent, & interim nemine quoquo modo molestent, ac de facto præfatum Franciscum carcere prædicto liberari facias, & quavis persona in notarium, ministrum, & executorem utaris, illamque a quovis prejudicio, quod a Tribunali Inquisitionis hujusmodi illi inferri posset afficures;

Opportuna ad id eī tributis facultatibus. §.4. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum etiam ecclesiasticum apponendi, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsarum Universitatis, Societatis, & Officii Inquisitionis hujusmodi, quatenus opus sit, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, etiam eo privilegio, ut asseritur, concesso, quod a sententiis Inquisitorum hæreticæ pravitatis ad aliud, quam ad Inquisitoris Majoris eorumdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum hujusmodi Tribunal appellari nequeat sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tes. hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 17. Junii 1643. An. XX. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 17. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCLVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declarat, Congregationi Bursfeldensi Ordinis S. Benedicti, & omnibus militantibus sub eadem Regula utendum esseBreviario Benedictino a Paulo V. reformato.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Alias statutum ut Monachi Ord. S. Benedicti Breviario Benedictino uterentur. §.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Abbas Monasterii Sclgenstadieusis Præsidens Congregationis Bursfeldensis Ordinis Sancti Benedicti, quod aliàs per majorem partem Monachorum ejusdem Congregationis in pluribus illius capitulis generalibus decretum fuit, acceptandum esse, & acceptatum fuit Breviarium Monasticum Benedictinum a fe: me: Paulo Papa V. Prædecessore nostro ad formam Ritus Romani reformatum, ut consonantia inter eos, etiam in divinis officiis introduceretur. Quare Nobis idem Abbas humiliter supplicari fecit, ut in præmissis, ac aliàs, ut infra opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Hoc idem præcipit Urbanus. Clausulas addit. §.2. Nos igitur eumdem Abbatem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat

taxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, Congregationem Bursfeldensem dicti Ordinis Sancti Benedicti, ut, & omnes alios militantes sub Regula Sancti Benedicti posse, & debere uti Breviario Benedictino ab eodem Paulo Prædecessore reformato, non obstante, quod in præteritum usi fuerint alio Breviario, apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, decretumque Capitulorum dictæ Congregationis Bursfeldensis de acceptando dicto Breviario Benedictino reformato, necnon de conformando se in ceremoniis Cæremoniali Romano laudamus, & approbamus, occasione autem dictæ acceptationis ad antiquam consuetudinem recitandi quotidie Officium Beatæ Mariæ, & Defunctorum juxta formam regulæ dicti Ordinis, Monachos dictæ Congregationis nihilominus teneri etiam declaramus;

§. 3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Et obstantia tollit.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Congregationis, & Monasterii hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 17. Junii 1643. An. XX.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

DCCLVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio A. C. procedendi contra Rempublicam Venetam, Magnum Ducem Hetruriæ, ac Mutinæ, & olim Parmæ Duces nonnullarum Terrarum S. Sedis Apostolicæ invasores.

Dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert invasiones, deprædationesque nonnullarum terrarum ad Sedem Apost. pertinentium.

§. 1. CUM nuper ad aures nostras, non sine maxima animi nostri molestia pervenerint hostiles invasiones, & occupationes factæ a Militibus, tam pedestribus, quam equestribus Reipublicæ Venetæ, ac Parmæ, & Placentiæ olim necnon Mutinæ, & Regii Ducum Terrarum nostrarum Bondeni, Ostellatæ, & Argentæ, ac aliorum status nostri ecclesiastici Locorum respective, & novissime certiores facti fuerimus de hostili invasione a magni Ducis Hetruriæ sibi subjectæ exercitu facta territorii nostræ Civitatis Plebis cum deprædationibus, latrociniis, cedibus, aliisque gravissimis damnis nostrorum, & S. R. E. subditorum, juriumque, & dignitatis Sanctæ Sedis Apostolicæ detrimento.

Committit A. C. causas huiusmodi, aut movendas cognoscendi.

§. 2. Hinc est, quod Nos irreverentiam, & ausus, ac delicta adeo detestanda, nedum quia Nobis, sed etiam palam omnibus manifestissima, ac notoriissima sunt, nequaquam sufferre, & impunita relinquere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut causam, & causas prædictorum delictorum, & excessuum, ac quam, & quas nomine Cameræ Apostolicæ, & Sedis prædictæ, & fisci nostri occasione præmissorum, vel aliorum delictorum in præjudicium, & damnum ejusdem Sedis, illiusque status, & subditorum per præfatos, & eorum quemlibet, aliosque infra expressos forsan committendorum coram te moveri contigerit cum omnibus, & singulis illarum dependentibus, emergen., inciden., connexis, & annexis, totoque negotio principali auctoritate nostra cognoscas, & debito fine termines, & quascumque sententias, & pœnas ecclesiasticas, etiam cum comminatione interdicti universalis, particularis, localis, personalis, & mixti in omnibus, & singulis statibus Reipublicæ, & Ducum præfatorum, illiusque publicatione, necnon quamcumque pœnam corporalem etiam capitalissimam, ac devolutionis cujusdam feudi, emphiteuteos, seu jurisdictionum, privationis cujuscumque dignitatis, ac quorumcumque privilegiorum, gratiarum, indultorum, concessionum, titulorum, & præeminentiarum quoquo modo a S. Sede Apostolica, aut ab aliis Ecclesiis inferioribus obtentæ, seu obtentorum, etiam individua expressione indigentium, necnon confiscationis omnium, & singulorum bonorum cujusvis generis, & qualitatis existant tam stabilium, quam mobiliū, & semoventium, necnon jurium, actionum, & prætensionum, ac aliorum quorumcumque, in quas præfatos, & alios in præsentium exequutione nominandos condemnaveris, seu incidisse declaraveris, omni appellatione, reclamatione, recursu nullitatis, etiam ex tribus, aliisq; juris remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis, exequaris, cum facultate desuper processū, seu processus tuo, & dilecti filii tui in criminalibus Locumtenentis arbitrio per acta cujuslibet notarii tibi benevisi confici, & formari faciendi, ac extra curiam commissarium, seu commissarios ad suscipiendas super præmissis, & quolibet eorum informationes cū facultatibus tibi benevisis transmittendi, vel subdelegandi tam contra Rempublicam Venetam, & contra magnum, in Hetruria prædicta, & alios Parmæ,

Et ad pœnas quascumque, & sententias procedendi.

Cum facultatibus opportunis

mæ, & Placentiæ olim, ac Mutinæ, & Regii Duces, quam contra omnes, & singulos eorum Consiliarios, Ministros, & Officiales cujuscumque generis, qualitatis, & conditionis existant, necnon etiam contra quamcumque Universitatem, Communitatem, earumque officiales omnes, & quoscumque, aliamque personam particularem etiam privatam, & contra illorum omnes, & singulos armorum Præfectos Generales seu Milites, quoscumque Magistros campi, Columnellos Capitaneos, Signiferos, cæterosque officiales quomodolibet nuncupat. ac omnes, & singulos milites, illorumque auxiliatores, fautores, consultores, conspiratores, collegatos, & alios, qui quoquo modo dederint, seu dant, aut dabunt auxilium, consilium, & favorem quomodolibet ipsi Reipublicæ Venetæ, & cuilibet ex supradictis Ducibus contra eamdem Sedem, illiusque statum in prædictis invasionibus, & aliis rebus supradictis, ac etiam aliis consimilibus, aut majoribus, seu minoribus, quæ forsan in posterum a singulis ex Republica, & aliis Ducibus supradictis fient, necnon etiam contra omnem, & quemcumque alium Ducem, & Principem cujuscumque Præeminentiæ, & potestatis etiam talis, quæ specifica mentione, & expressione indigeat, ac quamcumque aliam personam ecclesiasticam etiam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, ac Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, aliorumque Ordinum Militarium regularem in quacumque dignitate etiam sublimi constitutam, & ut prefertur, expressa mentione dignam, etiam cum facultate amplissima tam ad fabricationem processus, seu processuum deveniendi, quam in definitione, terminatione, declarationibus, publicationibus, aut sententiis quibuscumque, & illorum exequutionibus inclusive omnia, & singula supradicta per viam manifesti manifestissimi, notorii, & notorissimi, etiam nullo juris ordine servato provenien. tam ex dispositione juris canonici, seu civilis, quam ex quacumque alia Constitutione Apostolica, regula, statuto, consuetudine, stylo, aut alio quovis jure, etiam speciali nota dignis, sed de facto, & absque ulla citatione, ac sola conscientia informata, etiam cum torturę cujusvis generis, qualitatis, & quantitatis, quatenus arbitrio tuo opus sit, & illi locorum esse duxeris inflictione.

A jure cuicumque reddendo eximitur.

§.3. Declarantes expresse, quod de omnibus, & singulis, quę per te, seu per tuum in eisdem criminalibus Locumtenentem, aliosque per te quovis modo deputandos fieri tam in fabricatione processus, seu processuum, quam in procedendo ad torturam, seu torturas, quam etiam in sententias ferendo, illasque exequendo in quibusvis censuris ecclesiasticis, & pœnis temporalibus supradictis, nec tu, nec illi, nec quilibet vestrum teneamini, cogique valeatis aliis, quam soli Deo rationem reddere.

Clausulæ.

§.4. Ac decernentes pręsentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio notari, vel impugnari, nec quamcumque injustitiam allegari posse, sed te, & tuum Locumtenentem hujusmodi soli Deo dumtaxat, ut pręfertur de pręmissis rationem reddere teneri, ac easdem præsentes literas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon Cameræ Apostolicæ præsidentes Clericos, & alios Ministros, & Officiales, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate nunc, & pro tempore fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandatum de exequendo.

§.5. Nos enim uti de supradictis invasionibus, occupationibus, hostilitatibus, depredationibus, & aliis gravissimis damnis jam per eosdem Rempublicam, & Duces hujusmodi in prædictis nostris terris, & aliis locis dicti status ecclesiastici factis, quodque omnia, & singula præmissa, & illorum quodlibet omnibus manifestissima, & notoriissima sunt, pleoe informati, & aliis ex causis animum nostrum moven. eadem omnia, & singula præmissa, ut præfertur fieri, & debitæ exequutioni demandari mandamus.

Reservatio sententiæ jam contra Parmæ Ducem latæ.

§.6. Per præsentes autem non intendimus in aliquo præjudicari sententiæ aliàs per te contra prædictum olim Parmæ, & Placentiæ Ducem latæ, ac juribus fisco, & Cameræ Apostolicæ inde, & aliunde quomodolibet contra ipsum, & quosvis alios acquisitis, quam, & quæ in suo robore, & firmitate, absque eo quod ab illis recessum, seu illis præjudicatum fuisse, esse, & fore prætendi possit remanere volumus.

Contrariorum derogatio.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, ac præsertim fel. rec. Bonifacii Papa VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, ac quarumvis Provinciarum, Civitatum, terrarum, & locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylisque, & usibus tui Tribunalis, ac etiam Romanæ Curiæ quantumlibet antiquis, & antiquissimis, necnon investituris, etiam Ducatus Parmæ, ac Placentiæ, aliorumque Ducatuum, ac Castrorum, & locorum Infeudationibus, Vicariatibus, permutationibus, Instrumentis, & quibusvis aliis concessionibus quocumque nomine nuncupatis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis ipsis Reipublicæ, & Ducibus, & quibusvis aliis personis, sub quibuscumque verborum ten., & formis, ac cum

cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, etiam specialem modum, & formam procedendi contra prædictos, & eorum quemlibet continentibus, processumque, seu processus aliter factum, & factos irritantibus. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum ten. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque,

Aut si præfatis, & eorum cuilibet sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, interdici in judicium extra suas Provincias, & Dioeceses, vel non nisi certis solemnitatibus servatis trahi neutiquam possint, per literas non facientes expressam, ac individuam de Indulto hujusmodi mentionem, & qualibet ejusdem Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam præsentium literarum effectus, & illorum vigore gerendorum exequutio impediri, vel quoquo modo differi valeat, & de qua, cujusque toto tenore facienda sit in eisdem Literis mentio specialis.

Datum die 26. Junii 1643. An XX. — Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCLIX.

Quod Provinciales, Priores, & alii Officiales Ordinis Fratrum Prædicatorum realiter, & cum effectu per totum tempus a Constitutionibus præscriptum durare possint, & valeant.

De hujusmodi Prioribus lege Const. 728. Nuper *fol.* 349. *&* *Const.*664.Domini nostri, *fol.*265. *ut supra*.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. — EX incumbenti Nobis apostolicæ servitutis officio ad ea libenter animum nostrum convertimus, per quæ personarum quarumlibet, præsertim vero religiosam vitam ducentium commodis, & indemnitati opportune consulatur.

§.1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Provincialium, Priorum, & aliorum Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis humiliter porrectis inclinati, quod tempus, quo iidem Provinciales, Priores, & alii Officiales prædicti sine propria culpa eorum prohibentur, & impediuntur, quominus sibi demandata officia, & munera in propriis Provinciis, & Conventibus respective personaliter exercere possint, non computetur in tempore ab ejusdem Ordinis Constitutionibus apostolica auctoritate confirmatis stabilito, sed quod ipsi Provinciales, Priores, & alii Officiales hujusmodi realiter, & cum effectu in eorum muneribus, & officiis per totum tempus ab eisdem Constitutionibus concessum, & præscriptum durare libere, & licite possint, & valeant apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, concedimus, & indulgemus.

Contrariorum derogatio. — §.2. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut eosdem Provinciales, Priores, & alios Officiales hujusmodi præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandatum de observando. — §.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & illius quarumcumque Provinciarum, & Conventuum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis ejusdem Ordinis Superioribus Fratribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis in specie, vel in genere quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 7. Julii 1643. Pontificatus nostri Anno Vigesimo. — Datum die 7. Julii 1643. An.XX.

Præ-

DCCLX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Praeceptum Nunciis Sedis Apostolicae in partibus Germaniae Inferioris, ut eorum quilibet scripturas concernentes directionem dictae Nunciaturae conservare, & consignare debeat suo Successori, accepta ab eo consignationis quietantia authentica.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa Praecepti. §.1. CUM, sicut Ven. Frater Fabius Episcopus Neritonen. noster, & Sedis Apostolicae in partibus Inferioris Germaniae Nuncius Nobis nuper exponi fecit, ipse, ubi munus Nuncii hujusmodi iniit, Nunciaturam illam scripturis directionem ejusdem Nunciaturae, necnon conservationem jurisdictionis ecclesiasticae concernentibus exhaustam repererit, post adhibitam vero exactam diligentiam in variis Regularium Conventibus, & Notariorum officiis multas ex scripturis hujusmodi recuperaverit, & ex eis triginta circiter magna volumina in forma Archivii cum suis Indicibus, & quovis alio apto ordine ad faciliorem pro rei, & casus exigentia earumdem scripturarum usum compilaverit, maxime vero intersit, ut eaedem scripturae conserventur, ne ad alios, quam pro tempore existentium in eisdem Inferioris Germaniae partibus nostrorum, & dictae Sedis Nunciorum manus deveniant.

Praeceptum, de quo in Rubr. §.2. Idcirco Nos in praemissis opportune providere, ac eumdem Fabium Episcopum, & Nuncium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fabio praefato, & aliis futuris pro tempore nostris, & dictae Sedis Apostolicae in eisdem partibus Inferioris Germaniae nunciis sub nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitriis poenis apostolica auctoritate tenore praesentium praecipimus, & mandamus, ut ipsorum quilibet suo in dicta Nunciatura successori scripturas, & volumina hujusmodi conservare, & consignare, & de eorum consignatione per eos facienda a Successoribus suis in eadem Nunciatura, quibus illa consignaverint, quietantiam authenticam reportare omnino debeant.

Clausula. §.3. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.4. Non obstantibus Constitutionibus,

& Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 18. Augusti 1643. An. XXI. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Augusti 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultates Cardinali Dongho ad paciscendum cum Republica Veneta, Principibusque illi confederatis, & Odoardo Farnesio olim Duce Parmensi.

Dilecto filio nostro Joanni Stephano S. R. E. Cardinali Dongho nuncupat.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Pontificis desiderium pacem ineundi. §.1. BEllum contra Nos, & hanc Sanctam Sedem Apostolicam a Republica Veneta, Principibusque illi confederatis, ac Odoardo Farnesio olim Duce Parmae, & Placentiae motum stabili pace pro communi bono componi, quantum Nobis est, summopere cupientes.

Facultates ad idCard. Dogho conceduntur. §.2. Motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, circumspectioni tuae, de cujus fide, prudentia, & in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, ut cum dicta Republica, Principibusque illi confederatis, ac praedicto Odoardo pacem, Nostro, & dictae Sedis nomine, tractare, & concludere, & pacis, quam vigore praesentium concluseris, inviolabilem, perpetuamque observantiam ex nostra, ejusdemque Sedis parte spondere, & pollicere, Nosque, & Sedem praedictam ad servandum illa omni meliori, & validiori modo obligare, ac desuper quascumque scripturas necessarias quomodolibet, & opportunas conficere, & confici facere, libere, & licite possis, & valeas plenissimam, & amplissimam facultatem, potestatem, & auctoritatem tenore praesentium concedimus, & impertimur.

Quidquid ille paciscetur ratum habebitur. §.3. Decernentes ex nunc validum, firmum, & efficax fore quidquid tu praesentium hujusmodi vigore tractaveris, pepigeris, conveneris, & concluseris, Nosque, & eamdem Sedem, ad illius observantiam obligatos fore, non secus, ac si Nos ipsi personaliter pacem praedictam tractavissemus, & conclusissemus.

Clausula. §.4. Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Nosque ipsos, & Successores nostros, ac Sedem praedictam, & quoscumque alios quavis potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate,

tate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§.5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 21. Augusti 1643. An XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Auditori Generali Triremium Pontificiarum procedendi contra Fratres milites Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani inobedientes in dictis Triremibus pro tempore existentes.

Dilecto filio Auditori Generali in nostris, & Sedis Apostolicæ Triremibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in Rubr.

§.1. Ut fratres milites, & alii Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quos in nostris, & Apostolicę Sedis Triremibus esse contigerit, in officio contineantur, pro cura nostra pastorali providere volentes; motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicę potestatis plenitudine; Tibi, ut contra quoscumque fratres milites, & alios dicti Hospitalis in prędictis Triremibus pro tempore existentes inobedientes, & aliis delinquen. etiam criminaliter, usque ad sententiam exclusive procedere, processusque desuper formare, & conficere, libere, & licite possis, & valeas, facultatem tenore pręsentium concedimus, volentes, ut processus, quos contra fratres prędictos vigore pręsentium confeceris, & formaveris, clausos ad Nos quamprimum transmittas, ut quod desuper decernendum duxerimus matura deliberatione adhibita decernamus.

Contrariorum derogatio.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, necnon dicti Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, eidem Hospitali, illiusque Magno Magistro, Conventui, Fratribus, & personis quibuslibet, in contrarium premissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum ten. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 5. Septemb. 1643. An XXI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 5. Septembris 1643. Pont. nostri Anno XXI.

DCCLXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Quod in principio cujuslibet anni eligi debeant duo Adiuncti, seu Conjudices ex Capitulo Ecclesiæ Celsonensis: quo vero ad processus criminales contra Canonicos, per Episcopos Celsonen. serventur leges Concilii Tridentini.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Episcopus, & Capitulū Concordiam ineunt circa formam procedendi contra Capitulares in criminalibus

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Celsonen., quod occasione plurium litium, & controversiarum aliàs inter pro tempore existentes Episcopos Celsonen. ex una, ac eosdem Capitulum, & Canonicos partibus ex altera, ortarum super Jurisdictione criminali, non sine plurimorum scandalo, & divini cultus detrimento, cupientes Ven. Frater Petrus modernus Episcopus Celsonen., ac iidem Capitulum, & Canonici litibus hujusmodi obviam ire, pacemque inter se confovere, super præmissis pro bono pacis, ac recta dictæ Jurisdictionis administratione invicem, & vicissim convenerunt, quod de cætero in principio cujuslibet anni, electio duorum adjunctorum, seu conjudicum capitularium eatenus in dicto Capitulo observata, & deinceps facienda fiat ita, ut circa capturam Canonicorum, Præbendatorum, & Capitularium dictæ Ecclesiæ, & processus criminales faciendos contra ipsos per eumdem Petrum, & Successores Episcopos Celsonen., ac eorum Officiales, & Vicarios Generales servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini, & consuetudinum laudabilium eatenus in dicta Ecclesia, & Capitulo observatarum, & aliàs, prout plenius continetur in instrumento desuper confecto, tenoris sequentis videlicet:

Refertur Concordia.

§. 2. In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Noverint universi, quod Nos Frater D. Petrus a Sancto Jacobo Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Celsonen., & Regius Consiliarius scientes, & attendentes, occasione quamplurium, & diversarum litium, quæstionum, & controversiarum, quæ inter pro tempore existentes Reverendissimos DD. Episcopos Prædecessores nostros, ac Capitulum, & Canonicos nostræ Ecclesiæ Cathedralis Celsonen. super Jurisdictione criminali, prætendentes contra dictos Canonicos, & Capi-

Capitulares, orta fuerunt magna scandala, & quod graviter dolendũ est divina officia publica, & privata pacem, & quietem dictę Ecclesiæ perturbatam esse, ac in dies magis, & magis perturbari in magnum divini cultus detrimentum, & præjudicium, ac tam Laicorum, quam Religiosorum, scandalum plurimorum, & volentes omnium hujusmodi discordiarum occasionem amputare, litiumque, & dissentionum flammas, & amfractus, quæ dubios, & tristes pariunt eventus extinguere; ideo pro bono pacis, & concordiæ, ac aliàs ad petitionem Fratrum nostrorum Decani, & Capituli dictæ Ecclesiæ tenore præsentis publici instrumenti cunctis temporibus valituri, & duraturi consensimus, nostrumque consensum pariter, & assensum præstamus, & damus ad petendum, impetrandum, & obtinendum a Sanctissimo, & Beatissimo Domino nostro Domino Papa, ejusque Sancta Sede Apostolica confirmationem, gratiam, & Decretum electionis in principio cujuslibet anni duorum Adjunctorum, seu Conjudicum Capitularium eatenus in dicto Capitulo observatæ, & deinceps faciendæ, itaut circa capturam Canonicorum, Præbendatorum, & Capitularium dictæ Ecclesiæ, & processus criminales contra ipsos, per Nos, & Successores nostros canonice intrantes nostros, & eorum officiales, & Vicarios Generales faciendos, servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum laudabilium eatenus in dictis Ecclesia, & Capitulo observatarum, & pro prædictis omnibus, & singulis damus, & concedimus cum præsenti publico Instrumento facultatem, & potestatem Syndico, actori, & Procuratori dicti Capituli, videlicet pro Nobis, & nomine nostro parendi coram Sanctissimo, & Beatissimo Domino nostro Domino Papa, & quibusvis aliis persona, seu personis, ad quas pertineat, & spectet, supplicandique proinde, quatenus omnia, & singula supradicta, & dictas laudabiles Constitutiones dictæ Ecclesiæ, & Capituli roborare, ac suo, ipsiusque Sedis Apostolicæ munimine, & Decreto confirmare dignetur, supplereque omnes, & singulos tam Juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem, & omnia alia faciendi, gerendi, & exercendi, quæ ad plenam, & omnimodam præmissorum exequutionem fieri requirantur. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & aliis, quæ exigi possent, & pro præmissis quascumque supplicationes eidem Sanctissimo Domino nostro Papæ, & aliis quibusvis personis, & locis, quibus expediat dandi, offerendi, & præsentandi, & eas provideri, datari, sive subsignari petendi, supplicandi, & obtinendi, literarumque apostolicarum quarumcumque desuper conficiendarum expeditioni consentiendi, & nostros quoscumque expressos consensus, pariter & assensus præstandi, jurandique in animam nostram per Dominum Deum, & ejus Sancta Quatuor Evangelia, quod in præmissis non intervenit, nec in futurum interveniet dolus, fraus, simoniæ labes, nec aliqua alia illicita pactio seu corruptela. In quorum fidem, & testimonium præsens publicum Instrumentum per Iosephum Pintor Regia auctoritate Notarium publicum Celsonæ infrascriptum fieri, & expediri jussimus, & fecimus, quod est datum, & actum in nostro Palatio Episcopali nostræ Civitatis Celsonæ die undecima mensis Septembris anno a Nativitate domini millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo præsentibus ibidem Rev. Jacobo Abella Presbytero, & Rectore Ecclesiæ Parochialis Villæ Angulariæ Pulchri Podii Diœcesis nostræ Celsonen., & Honorato Bonaventura Busquets Chirurgo Cive Celsonæ pro Testibus ad prædicta vocatis, rogatis, & assumptis. In quorum fidem, & Testimonium præmissorum. Ego Josephus Pintor auctoritate Regia Notarius publicus Celsonæ hic me subscribo, & meum appono, quo utor signum. Loco ✝ signi *sequitur legalitas in forma*.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat iidem Capitulum, & Canonici præmissa, quo firmius subsistant, apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent; *Petitur pontificia confirmatio*

§.4. Nos eosdem Capitulum, & Canonicos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præmissa, ac desuper confectum Instrumentum præinsertum apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. *Conceditur.*

§.5. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula.*

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Qui- *Contrariorum derogatio.*

Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 7. Septemb. 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 7. Septembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ut deinceps Consiliarii, ac Promotores Fiscales, necnon Inferiores Inquisitores Hispaniarum, esse debeant constituti in Sacris tempore suarum deputationum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa faciendi Decreti.

§.1. CUM in officiis, & Tribunalibus tam generalibus, quam particularibus S. Inquisitionis adversus omnem hæreticam, & apostaticam a fide Christiana pravitatem in Castellæ, & Legionis, cæterisque Hispaniarum, & ab eis dependentibus Regnis, Principatibus, & Dominiis Charissimo in Christo filio nostro Hispaniarum Regi Catholico mediate, vel immediate subjectis, multa negocia Ecclesias, personasque ecclesiasticas concernentia tractentur, & propterea non deceat tractatibus, & negociis hujusmodi personas laicas intervenire.

Decretum, de quo in Rubric.

§.2. Idcirco Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Inquisitorum generalium in universa republica christiana ab hac Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, motu proprio non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, ut omnes, & singuli Consultores, seu Consiliarii, ac Procurator, seu Promotor Fiscalis, tam Supremi Tribunalis, quam Inquisitores, & Procuratores, seu Promotores Fiscales inferiorum Tribunalium dictæ Inquisitionis sint, & actu esse debeant in Sacris Ordinibus, seu eorum aliquo saltem constituti, tempore, quo ab Inquisitore Generali in dictis Regnis, Principatibus, & Dominiis nunc, & pro tempore a Sede prædicta deputato assumentur, seu deputabuntur, alioquin illorum assumptio, & deputatio nulla sit, & inanis eo ipso, nullumque omnino jus, vel titulum sic assumptis, seu deputatis tribuat, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus.

Clausula.

§.3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Inquisitores, & Tribunalia hujusmodi, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoscumque alios quavis potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Officii Inquisitionis, & Tribunalis prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 23. Septemb. 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Septembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ut deinceps Inquisitores generales non deputent Inquisitores, ac Notarios de secreto nuncupatos, supranumerarios in Regnis Hispaniarum sub nullitatis pœna.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa ferendi Decreti.

§.1. CUM, sicut accepimus illi, qui ab hac Sancta Sede Apostolica generales Inquisitores adversus omnem hæreticam, & apostaticam a fide Christiana pravitatem in Castellæ, & Legionis, cæterisque Hispaniarum, & ab eis dependentibus Regnis, Principatibus, & Dominiis charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico mediate, vel immediate subjectis pro tempore constituti, & deputati fuerunt, ordinationes, & acta Tribunalis Inquisitionis generalis hujusmodi non usquequaque hactenus servaverint, quippe qui absoluta potestate in electionibus ministrorum dicti Tribunalis tam Inquisitorum, quam Notariorum de secreto nuncupatorum usi fuerunt, multosque supranumerarios constituerunt, unde gravia incommoda, & perturbationes oriuntur.

Decretum, de quo in Rubr.

§.2. Hinc est, quod Nos abusus hujusmodi e medio tollere, & perturbationibus prædictis in futurum causam præcidere, utque laudabiles observationes, ac literæ stabilitæ, & dispositiones in Tribunali prædicto

dicto factæ pro bono, & servitio Ecclesiarum illarum partium inviolabiliter deinceps serventur, providere pro cura nostra pastorali volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum in universa Republica Christiana a Sede prædicta specialiter deputatorum consilio, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, Venerabili Fratri Didaco Episcopo Placent. Provinciæ Compostellan. moderno, & pro tempore existenti Generali Inquisitori in Regnis, Principatibus, & Dominiis prædictis a dicta Sede deputato, ut de cætero officia Inquisitorum, & notariorum de secreto nuncupatorum numeraria dumtaxat, & prout deponunt, acta ordinationes, & literæ prædictæ, quibus certus Inquisitorum, notariorumque de secreto hujusmodi, & aliorum Ministrorum dicti Tribunalis præfixus est numerus, conferant, a constituendis autem, seu deputandis supranumerariis, ex quacumque causa, prætextu, & occasione deinceps omnino abstineant, sub pœna nullitatis eo ipso, absque aliqua declaratione omnium, & singularum electionum, deputationum, & collationum contra præsentium nostrarum literarum tenore factarum, apostolica auctoritate, tenore earumdem præsentium districte præcipiendo mandamus, & ordinamus.

Clausula.

§.3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Inquisitores prædictos, illorumque Tribunalia, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quoscumque alios quavis potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon officii Inquisitionis, & Tribunalis prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 23. Septemb. 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima-tertia Septembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXVI.

Quod Provincia S. Gabrielis moderetur cum solis statutis municipalibus, & gaudeat omnibus privilegiis aliarum Provinciarum Fratrum Discalceatorum S. Francisci.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Recenset Brevia alias expedita pro Discalceatis.

ALiàs Nos, motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine, inter cætera alia, quod Provinciæ, & Custodiæ Fratrum Ordinis Minor. S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum pro tempore existentes in Hispaniarum, & Indiarum partibus per sua propria statuta, ordinationes, & leges gubernarentur, absque eo, quod generalibus totius Ordinis Statutis, & consuetudinibus subjacerent, quodque S. Gabrielis, & S. Didaci Provinciæ eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum perpetuo omnibus, & singulis privilegiis, & gratiis spiritualibus, & temporalibus pro felici, prosperoque illarum regimine, & conservatione concessis hactenus, & imposterum concedendis a Sede Apostolica Provinciis S. Josephi, S. Joannis Baptistę, & S. Pauli eorumdem Fratrum Discalceatorum Ordinis hujusmodi, pariter Hispaniarum gauderent, & de illis participarent, decernimus, statuimus, & ordinavimus, & aliàs prout in diversis nostris in simili forma Brevis literis desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus uberius continetur.

§.1. Nunc autem Nos eamdem S. Gabrielis Provinciam, illiusque Fratres Discalceatos hujusmodi pro illorum uniformiori perfectione, & puritate amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, deque particularis Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatæ consilio.

Concedit prout in Rubr.

§.2. Quod Minister Provincialis dictæ Provinciæ S. Gabrielis Fratrum Discalceatorum hujusmodi in proxime celebrando ejusdem Provinciæ Capitulo Provinciali ad Capitularem, seu aliam Domum Regularem dictæ Provinciæ Ordinis hujusmodi sibi benevisam, & per eum eligendam, ante, vel post ipsius Capituli Provincialis celebrationem, eos dictæ Provinciæ Fratres Discalceatos hujusmodi, qui aliàs Ministratus Provincialis munere functi fuerunt, convocet, & convocare debeat, qui sic convocati, & congregati cum definitorio eorum propria statuta, & ordinationes condant pro felici dictæ Provinciæ regimine, majorisque perfectionis, quoad vitam, &

bonos

bonos mores conservatione, quam ipsa Provincia profitetur, statutaque, & ordinationes hujusmodi exacte, & per ea dicta Provincia, & summo cum rigore observentur, & illius Fratres Discalceati hujusmodi gubernentur absque eo, quod generalibus ipsius Ordinis, aut aliis statutis, & consuetudinibus subjaceant, sed iis dumtaxat, quæ ab ipsis congregatis, & definitorio edentur subsint.

§. 3. Ac insuper, quod eadem S. Gabrielis Provincia, illiusque Fratres Discalceati hujusmodi omnibus, & singulis literis apostolicis, privilegiis, & gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus concessis hactenus, & imposterum concedendis a Sede Apostolica primodictis eorumdem Fratrum Discalceatorum aliis Provinciis Hispaniarum, & Indiarum participent, & gaudeant, tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis eo ipso absque alia declaratione incurrendæ, suorum officiorum privationis, aliisque arbitrii pœnis omnibus, & singulis Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Superioribus, & Subditis, cujuscumque status, gradus, & conditionis existant, ut præmissa omnia exacte, & accurate exequantur, & observent, & ab aliis exequi, & observari curent, aut faciant.

Decretum irritans.

§. 5. Ac decernentes præsentes literas, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut in jus, vel controversiam adduci, vel revocari posse; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. ac Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini, & Provinciis, illorumque quibusvis Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 3. Octobris 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 3. Octobris 1643. Pontificatus nostri Anno Vigesimoprimo.

DCCLXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Seminarium Præmonstratensium in Civitate Colonien. protectioni Congregationis de Propaganda Fide subiicitur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio Vicarii Generalis Provinciæ Rhenanæ.

§. 1. Cum, sicut pro parte dilecti filii Vicarii Generalis Provinciæ Rhenanæ Ordinis Præmonstraten. Nobis nuper expositum fuit, ipse Seminarium Canonicorum Regularium dicti Ordinis in Civitate Colonien. erectum sub protectione Congregationis Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei præpositorum suscipi plurimum desideret.

Subjectio, de qua in Rubr.

§. 2. Nos ejusdem Vicarii Generalis votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Vicarii Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de ejusdem Congregationis consilio, attento quod Canonici Regulares Ordinis hujusmodi sub directione Episcoporum curam suscipiunt animarum, & quod Alumni in dicto Seminario instructi poterunt ad missiones in diversis locis Germaniæ hæresi infectis ab eadem Congregatione destinari sine ejus dispendio, cum Ordo prædictus multa habeat Monasteria in locis hæreticorum, Seminarium prædictum protectioni dictæ Congregationis, apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo supponimus, ac eidem Congregationi, ut illud sub sua protectione suscipiat injungimus.

Non

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 10. Octobris 1643. An XXI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 10. Octobris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXVIII.

Prohibitio Auditoribus Sacræ Rotæ Romanæ, ac eorum Locatenentibus, & Studii Adjutoribus, &c. ne vota sua, vel suorum Coadjutorum, & alia, quæ in Rota tractantur, cuiquam patefaciant.

Auditores Rotæ Romanæ, quæ servent in procedendo, & quod præstent juramentum in ingressu officii, præscripta leguntur in Joann.XXII. Constit.XLII. Ratio juris. *Tom.III. Par.II. fol.195. Iisdem Auditoribus Rotæ Romanæ multa indixit Paul.V. in Constitut. CXXXIX.* Universi agri. *Tom.V. Par.IV. fol.23.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii causarum Palatii Apostolici Auditores, quod etiam in eorum primo ingressu in Rota præstent juramentum de conservando secretum super omnibus, & singulis, quæ in Rota, occasione disputationis causarum dicuntur, tamen eorum vota, sive suffragia in causis, & controversiis, quæ in Rotæ Auditorio discutiuntur, & alia, quæ earumdem causarum, eorumque Tribunalis ratione inter se tractant, & disputant, partibus litigantibus, seu aliis patefiunt; indeque grave eidem Tribunali, Auditoribusque, seu Locatenentibus prædictis oritur, & in dies magis oriri potest præjudicium, Nobis propterea dicti Auditores humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportuno providere remedio de benignitate apostolica dignaremur.

Rotæ Auditoribus prohibet, ne vota sua, & alia quæ in Rota tractantur, cuiquam patefaciant.

§.1. Nos igitur, ne metu evulgationis Auditores præfati, seu eorum Locatenentes a proferendis libere votis, seu suffragiis suis retrahantur, seu retrahi possint, justitiæque administratio inde quoquo modo impediatur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, & singulares dictorum Auditorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: De nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio a Nobis specialiter deputaturum consilio quascumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum hac super re editas Constitutiones innovantes, eisdem Rotæ Auditoribus, ac eorum Locatenentibus nunc, & pro tempore in perpetuum existentibus, ne propria cujuslibet ipsorum vota, sive suffragia, in quibusvis causis, & controversiis, quæ in eorum Auditorio pro tempore discutiuntur, ulli omnino personæ utriusque sexus, ac cujuscumque qualitatis, conditionis, status, dignitatis, & præeminentiæ, etiam ecclesiasticæ, & individuâ mentione dignæ, præterquam suis Coadjutoribus, seu Locatenentibus, suorumque studiorum unicis Adjutoribus, ac alteri personæ, cujus opera quemlibet Adjutorem, seu Locumtenentē in studendo uti oportebit, directe, vel indirecte, nutu, scripto, vel verbo, vel aliàs quomodolibet sub quovis quantumvis colorato prætextu patefacere, aut ita loqui, ut ex eorum verbis de proprio, vel suorum Coadjutorum, seu Locatenentium suffragiis, seu votorum tenoribus cognitio umquam haberi possit, nec etiam Coadjutorum suorum vota, sive suffragia cuiquam ullo modo patefacere, neque quinam ex ipsis votum, sive suffragium tulerint, necne significare directe, vel indirecte quoquo modo, nec ea, quæ tam in eorum Auditorio, & Congressu, quam extra, & ubique locorum inter ipsos, sive collegialiter, sive non collegialiter dicta fuerint, sive causas, aut controversias in eorum Auditorio discussas, sive eorum Tribunal, & Auditorium, sive personas litigantium, seu informantium quomodolibet concernentia cuiquam, ut præmittitur, propalare, seu evulgare audeant, vel præsumant sub perjurii, & majoris excommunicationis latæ sententiæ, a quibus a nemine, etiam majori Pœnitentiario, & quocumque alio facultatem absolvendi generalem, etiam vigore Cruciatæ, vel Jubilei, etiam Anni Sancti, etiam in solo foro conscientiæ habente, sed dumtaxat a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo umquam absolvi possint, eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis, apost. auctoritate, hac perpetuo valitura Constitutione nostra directe prohibemus, & interdicimus. Cæterum iisdem Auditoribus, ut dicere, vel significare, valeant difficultates, ob quas resolutio in qualibet rotali discussione dilata, seu quomodolibet impedita, seu rationes, ac motiva, ob quæ illa facta fuerint, seu quæ in causæ discussione adducta fuerunt, partibus contendentibus, sive collitigantibus,

taci-

tacito tamen illius, ſeu illorum Auditorum, ſeu Locatenentium nomine, & cognomine, etiam Correſponſalium nuncupatorum, a quo, ſeu a quibus difficultates præfatæ excitatæ, vel rationes, ac motiva etiam a partibus contendentibus, ſeu collitigantibus deducta, probata, ſeu amplexa fuerunt, permittimus.

Eorum ſtudii a ſuperioribus ſecr. injungit.

§.2. Quia vero valde inconveniens foret, ea, quæ per ipſos Auditores, ſeu Locatenentes ſecreta teneri debent, ab eorum ſtudii Adjutoribus publicari, aut aliquo modo patefieri, idcirco ſingulis Auditorum, & Locatenentium præfatorum ſtudii, ut vocant Auditoribus, necnon alteri perſonæ, cujus opera quilibet eorumdem Auditorum, ac Locatenentium pro tempore in ſtudendo, aliiſque labores perferendo uti, ut ſupra dictum eſt, poterit, ne vota, ſive ſuffragia, tam ſuorum, quam aliorum Auditorum, ac Locatenentium, aut ſi quid ex illis, quæ, ut ſupra dictum eſt, in Auditorio, ſeu congreſſu dictorum Auditorum tractata, & dicta fuerint, aut quæ reſolutionem cauſarum, & negotiorum, ut præfertur, impediverint, vel promoverint, quomodolibet reſciverint, etiam minimum ulli omnino perſonæ directe, vel indirecte, verbo, vel ſcripto, aut illa quoquo modo, ut præmittitur, patefacere, indicare, & ſignificare pariter audeant, vel præſumant, ſub pœnis præfatis eo ipſo incurrendis, modoque, & forma præmiſſis, itaut etiam in foro conſcientiæ ſolum a Nobis, & Romano Pontifice, ut præfertur, abſolvi poſſint, ſimiliter ex tunc, prout poſtquam præſens noſtra Conſtitutio ad eorum notitiam deducta fuerit, perpetuo prohibemus.

Eoſdem jurare jubet, ſe obſervaturos eamdē Conſtit.

§.3. Inſuper, ut omnes, & ſinguli Auditores hujuſmodi, præſentes quidem poſt hujuſce noſtræ Conſtit. promulgationem, poſteri vero antequam poſſeſſionem officii Auditoris hujuſmodi adipiſcantur, in manibus pro tempore exiſtentis S.R.E. Cardinalis Vicecancellarii, necnon dicti Auditores ſtudii, ſcilicet unus Adjutor pro quolibet Auditore, ſeu Locum tenente, & altera dumtaxat perſona, cujus opera dicti Auditores, & Locatenentes in ſtudendo, ut præfertur, utentur in manibus ſuorum reſpective Auditorum, ſeu Locatenentium, ſeſe hanc noſtram Conſtitutionem ad unguem obſervaturos jurent, & jurare teneantur.

Quam affigi præcipit.

§.4. Necnon, ut quotannis in prima Rota menſis Octobris, quando cæteræ Conſtitutiones Apoſtolicæ dictum Tribunal concernentes legi ſolent, etiam hæc noſtra Conſtitutio cum illis legatur, ac ut ejuſdem Conſtitutionis copia in Bibliothecis, ſeu loeis ſtudii ordinarii Auditorum præfatorum, itaut ab omnibus, quos illa concernit legi, nec illius ignorantia ab eis allegari queat, palam, & loco conſpicuo affigi, & continuo affixa remanere debeat, volumus, ſtatuimus, & ordinamus.

Clauſulas præſervativas addit.

§.5. Præſenteſque literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, aut alio quopiam defectu notari, impugnari, vel redargui, in jus, vel controverſiam revocari, vel ad terminos juris reduci poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, & ab omnibus, quos illæ concernunt, perpetuo inviolabiliter obſervari.

Clauſul. ſublata.

§.6. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam præfatos Auditores, & Locatenentes, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoſvis alios quacumque auctoritate fungentes, etiam Pœnitentiarios, nunc, & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ac interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Necnon eaſdem præſentes literas intelligendas eſſe, prout jacent, & decernimus, & ut incurſus cenſurarum, & pœnarū præfatarum aliquo modo non excuſetur, ne eædem literæ per quemquam, niſi per Noſmetipſos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros declarentur, ſeu interpretentur, ſub eiſdem cenſuris, & pœnis eo ipſo incurrendis prohibemus.

Contraria removet.

§.7. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Tribunalis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indul. tis, & Literis Apoſtolicis eidem Tribunali, & Auditoribus, & aliis præfatis, cæteriſque quibuslibet in contrarium præmiſſorū quomodolibet conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum die 19. Novemb. 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 19. Novembris 1643. Pontificatus noſtri Anno Vigeſimoprimo.

Anno a Nativitate Domini Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimotertio, Indictione 11. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Urbani divina providentia Papæ Octavi, anno ejus vigeſimoprimo, die vero 23. Novembris, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Camillum Friſonum, Sanctiſſ. D.N. Papæ Curſorem.

Pro D. Mag. Curſor. Joſeph Maſſæus Curſ.

Con-

DCCLXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Literarum Pauli V., & Gregorii XV. de approbandis iis, qui ad curam animarum Ecclesiarum Parochialium de Jurepatronatus Monachorum Claustralium Ordinis S. Benedicti Provinciæ Tarraconen., et Regni Aragonum eliguntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PRovisionis nostræ debet prævenire subsidio, ut jus suum unicuique conservetur.

Refert Literas Greg. PP. XV. die 1. Februarii 1623. editas

§. 1. Proinde Nos tenore quarumdam Literarum in forma Brevis fel. rec. Gregorii Papæ XV. Prædecessoris nostri in favorem dilectorum filiorum Abbatum, et Monachorum Claustralium Ordinis Sancti Benedicti Provinciæ Tarraconen., et Regni Aragonum emanatarum, et in Secretaria nostra ipsius Gregorii Prædecessoris repertum de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus, pro eo, quod hujusmodi tenore prædicti Abbates, & Monachi se indigere Nobis nuper significari fecerunt, qui quidem tenor talis est, videlicet. Gregorius Papa XV. ad futuram rei memoriam. Alias a fel. rec. Paulo Papa V. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequentis videlicet; Paulus Papa V. ad futuram rei memoriam. Ex injuncto Nobis desuper apostolicæ servitutis officio ad ea, quæ pro Ecclesiarum, præsertim regularium personarum quiete, & tranquillitate statuta, & declarata sunt, fovenda, & conservanda, quantum in Nobis est libenter intendimus, ut omnium querelarum, & litium occasionibus amputatis, liberius Creatori nostro juxta laudabilia eorum statuta famulentur; nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Abbatum, & Monachorum Claustralium Ordinis Sancti Benedicti Provinciæ Tarraconen., & Regni Aragonum Nobis expositum fuit, quod licet aliis per dilectos filios nostros S. R. E. Cardinales super interpretatione decretorum Tridentini Concilii deputatos in eorum Congregatione fuerit declaratum, Parochialium Ecclesiarum, & regularium Beneficiorum, quibus animarum cura incumbit, necnon Vicariarum perpetuarum Monasteriis, & aliis regularibus locis perpetuo unitarum, quæ regularibus personis conferri, sive per seculares Presbyteros, & perpetuo Vicarios regi, & gubernari consueverunt, vacatione pro tempore occurrente minime liceat Locorum Ordinariis edicta proponere, & examen per concursum juxta Concilii Decretum Sess. 24. cap. 18. facere, sed satis tunc esse, ut regulares quidem personæ Ecclesiis prædictis præficiendæ, a dilectis Locorum Ordinariis examinentur, & approbentur, seculares vero in Vicariis, & aliis Beneficiis prædictis instituendi, a Superio-

Quibus Gregorii Literis, et Pauli V. secernentur quoad approbationem Regularium ad curam animarum.

ribus regularibus dicti Ordinis nominentur, examen autem, & approbationem ad dictos tantum Ordinarios, juxta fe. rec. Pii Papæ V. Prædecessoris nostri Constitutionem pertinere, nihilominus nonnulli ex dictorum Locorum Ordinarii Provinciæ, & Regni prædictorum declarationi hujusmodi minime, ut par est, acquiescentes, & decretorum d. Concilii verba ad eorum sensum, & voluntatem trahentes, Abbates, & Monachos prædictos in præmissis inquietare, & desuper molestare, ac eorum juribus privare non verentur; Quare Nos honestis, & justis hujusmodi precibus inclinati, opportunum præmissis remedium adhibere volentes, declarationi prædictæ inhærentes, eamque harum serie approbantes, & confirmantes omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis in Provincia, & Regno prædictis consistentibus præcipimus, & mandamus, Parochialibus, & aliis Ecclesiis, in quibus per præd. Ordinis Monachos animarum cura exercetur, & Vicariis perpetuis Parochialium Ecclesiarum, quibus pro earum cura seculares eligi, & deputari consueverunt, Monasteriis, & aliis locis Ordinis ejusdem perpetuo unitis pro tempore vacantibus edicta proponere, & concursum, juxta dicti Concilii decretum, minime de cætero facere præsumant, sed regulares Ordinis prædicti, ac seculares Clericos ab ejusdem Ordinis Abbatibus, & Monachis juxta dictam Constitutionem Pii V. debito tempore nominandos, si ab ipsis idonei reperti fuerint, absque edictis, & aliorum concursu in Parochialibus Ecclesiis, & Vicariis prædictis, admittant, & instituant, prout Nos admittendos, & instituendos esse decernimus; insuper etiam volumus, & mandamus, quod in Parochialium Ecclesiarum, & Beneficiorum, curam animarum habentium, quæ de ejusdem Ordinis jurepatronatu ecclesiastico exstiterint, & secularibus clericis conferri consueverint, earum vacatione quandocunque occurrente, quamvis per Episcopos prædictos ad concursum, & examen admitti possint alii, ultra eos, qui per ejusdem Ordinis Abbates, & Monachos patronos erunt nominati, nequeant tamen per eosdem Episcopos, si ad eos institutio, & non ad alium pertineat institui, & ordinari, nisi illi tantum, qui inter approbatos, & ab examinatoribus idoneos repertos, ab ejusdem Ordinis Prælatis Patronis, digniores, & magis idonei judicati, & pro institutione recipienda eisdem Episcopis præsentati fuerunt. Quod si institutio non ab ipsis Episcopis, sed ab aliis fuerit facienda, tunc quidem soli Episcopi ex dignis digniorem eligere debeant, sed non ante ab eo, ad quem spectat, institui possint, quam ab eisdem patronis ei fuerint præsentati; Sicque in præmissis per eosdem, & alios quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretan-

di

di facultate, & auctoritate, ubique judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & in Provincialibus Synodalibus Conciliis editis, statutis quoque, & consuetudinibus Ecclesiarum, & Monasteriorum prædictorum, juramento, confirmatione apostolica roboratis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque tenoribus, & formis, in contrarium quomodolibet concessis approbatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris die 6. Februarii 1608. Pontificatus nostri Anno III. Nunc autem volentes præinsertas Literas suum, ut par est, effectum sortiri, supplicationibus Abbatum, & Monachorum prædictorum Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac quibuslibet personis in dignitate ecclesiastica constitutis in dicta Provincia existentibus per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi præinsertas Literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties super hoc pro parte Abbatum, & Monachorum prædictorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra, easdem Literas ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, dictosque Abbates, & Monachos illarum effectu, & commodo pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super hoc habendis servatis processibus, censuras ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in præinsertis Literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Maii 1623. Pontificatus nostri Anno III.

Hoc autem Gregorius XV. A C. exeq. eodum commisit.

Urbanus vero hujusmodi Literis transcriptis fidem adhiberi mandat.

§. 2. Cæterum, ut dictus tenor sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, volumus, ut illud idem robur, eamdemque vim, & eumdem vigorem dictus tenor in judicio, vel alibi ubicumque fuerit ostensus, in omnibus, & per omnia habeat, quem haberent originales prædictæ, ac illi pariter stetur, sicut eisdem literis originalibus staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausula præservativa.

§. 3. Per præsentes autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum die 23. Novem. 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Novembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXX.

Suppressio Ordinis SS. Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quantum ornamenti, & utilitatis provenit Ecclesiæ Catholicæ ex institutis canonice religiosorum hominum Ordinibus, ubi ipsi in sanctitatis, & justitiæ semita coram Deo, & hominibus ambulantes, cæteris bonorum operum exemplo prælucere satagunt ad salutem, tantum ex adverso detrimenti, & scandali timendum est, quod ipsi religiosi a præscripta sibi vivendi norma, & veræ virtutis via aberrantes in desidiæ, aliorumque vitiorum præcipitia fœde dilabuntur, cum in eos, velut in excelso christianæ perfectionis monte collocatos, omnium oculi dirigantur, unde Nos, qui gregi dominico præpositi sumus, ut juxta verbum propheticum noxia evellamus, & destruamus, utiliaque plantemus, & ædificemus, in eam curam peculiariter decet incumbere, ne oves morbidæ cæteras perniciosa contagione inficiant.

Causa suppressionis facienda.

§. 1. Cum itaque Nobis liquido constiterit, & constet, dilectos filios Fratres Ordinis Sanctorum Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus professores, nec monitionibus, nec obsecrationibus, aut correctionibus flecti potuisse, ut remedia salutaria reciperent, alicui studio ad Ecclesiæ Dei utilitatem incumberent, aut futuræ virtutis licet diutius expectatos, specimen ostenderent, sed fere omnes a proposita sibi vitæ præscripto aberrantes, cultus divini, & regularis disciplinæ omni cura, & observantia rejecta in votorum transgressione assuetos, impœnitentes, & incorrigibiles in profundum malorum jam esse delapsos, habita super præmissis, & aliis eorum criminibus, & excessibus per nonnullos dilectos filios nostros S. R. E. Cardinales, ac Romanæ Curiæ Prælatos a Nobis desuper deputatos, matura, diligenti, ac diutina deliberatione, de eorumdem Cardinalium, & Prælatorum consilio.

Suppressio, de qua in Rubr.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine harum serie extinguimus, supprimimus, & abolemus ordinem præfatum Fratrum Sanctorum Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus, una cum omnibus ejus officiis, & dignitatibus, Generalatus, Vicarii

rii Generalis, Procuratoris Generalis, Provincialium, Priorum, & si quæ sunt alia ejusdem Ordinis officia, & ministeria, privamusque Generalem, Vicarium, & Procuratorem Generalem, ac cæteros omnes ejusdem Ordinis professos modo existentes, eorum dignitatibus, administrationibus, officiis, & Beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura, necnon Domibus, Conventibus, & bonis immobilibus, mobilibus, & semoventibus, ubicumque existentibus, ac ipsorum omnium administratione, & possessione, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, necnon omnibus juribus, & actionibus ad eos quomodolibet spectantibus, & pertinentibus.

Abhoc etiam omnia decreta, & Const. ejusdem Ordinis irritat.

§.3. Præterea omnia ejusdem Ordinis statuta, consuetudines, & Decreta, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegia quoque, indulta generalia, vel specialia, quibuscumque concepta sint formulis, necnon irritantibus, aliisque decretis, & vinculis roborata, quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, revocamus.

Eisdemque Fratribus Capitula convocandi facultatem tollit.

§.4. Ac insuper eisdem Fratribus tollimus omnem facultatem, usum, & auctoritatem Generalia, Provincialia, & alia Capitula, Congregationes, seu Dietas quocumque prætextu, vel quæsito colore convocandi, seu celebrandi.

Quos Ordinariorum Visitationi subjicit.

Cum facultatibus eisdem Ordinariis opportunis

§.5. Omnesque Fratres ejusd. Ord., qui ad præsens reperiuntur professi, curæ, regimini, gubernio, atque omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Ordinariorum supponimus, dando eisdem Ordinariis facultatem, Fratres in propriis Diœcesibus existentes, in uno, aut pluribus Conventibus cujuscumque Diœcesis, nunc, & pro tempore collocandi, & removendi, prout eis in Domino magis videbitur expedire, reservata tamen eisdem Fratribus facultate transeundi ad quamcumque aliã Religionem, etiam laxiorem a Sede Apostolica approbatam, petita tamen prius, & obtenta desuper a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & regularium præpositis, debita licentia, eos autem, qui professionem nondum emiserunt, & novitii existunt, detracto eis per locorum Ordinarios religionis habitu ex professorũ consortio, & Domibus expelli, & ad proprias Domos remitti volumus.

Nonnullaque alia prohibet, & decernit circa eosdem Fratres.

§.6. Ac iisdem Fratribus prohibemus, ne imposterum quemquam expulsorum, aut alium quemcumque, etiam vocatum ad habitum, seu professionem ejusdem Ordinis recipiant, vel admittant, aut novos Conventus, Domos, seu loca regularia recipiant, vel acquirant, aliàs eorum receptio, & professio nulla sit, & invalida ad quemcumque effectum, & nec in genere, nec in specie obliget ad religionem, novorumque Conventuum, Domorumque, seu Locorum receptiones, & acquisitiones viribus, & effectu careant; & contrafacientes excommunicationis sententiam, a qua nonnisi a Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo absolvi possint, eo ipso, & absque alia declaratione incurrant.

Circa Beneficia, & bona per eosdem Fratres possessa necessarias facit provisiones.

§.7. Cæterum intendentes divino cultui, Ecclesiisque, Conventibus, Domibus, cæterisque locis, & bonis per hujusmodi suppressionem vacantibus prospicere, & providere omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, necnon Ecclesias, Conventus, Domos, Loca, prædia, & bona immobilia, mobilia, & semoventia, suppellectilem, tam sacram, quam profanam, res, actiones, & jura quæcumque ad Ordinem præfatum quomodolibet spectantia, & pertinentia, eorumque administrationem, & dispensationem debitis eorum supportatis oneribus, quibus nullo modo derogare intenditur, curæ, regimini, gubernio, administrationi, & dispensationi Ordinariorum, in quorum Diœcesi sunt sita reservamus, cum infrascriptis conditionibus, & non aliàs, aliter, nec alio modo, ut de eorum fructibus, & redditibus necessaria ad victum, & vestitum professorum in ordine sic, ut præmittitur, per Nos tenore præsentium suppresso remanentium proportionabiliter prius subministrare teneantur, tunc si quid supererit, portiones insuper professorum pro tempore decedentium, vel ad aliam transeuntium, relictis iis, quę ad victum, & vestitũ superstitum, atque alia onera ipsis imposita subeunda, manutentioni Ecclesiarum, Conventuum, Domorum, Terrarum, Prædiorum, seu aliorum bonorum, eorumque fructuum, & redditum recollectioni, & exactioni fuerint necessaria, in usus pios locorum cujuscumque Diœcesis, ubi Conventus ipsi, & bona, ut supra sunt sita per eosdem locorum Ordinarios applicentur; de Ecclesiis autem Conventibus, domibus, locis, bonis tam mobilibus, quam immobilibus, & semoventibus, suppellectile sacra, vel prophana, juribus, & actionibus supradictis, cum nulli, vel pauci erunt ejusdem Ordinis professi superstites, iidem Ordinarii quisque in propria Diœcesi tantum ad usus pios, ut supra, disponere quidem possint, sed eorum dispositiones, & applicationes suum non sortiantur effectum, donec a Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice habita prius relatione dictis Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis, confirmationem obtinuerint, aliàs eorum dispositiones, applicationes, & provisiones nullæ sint, & invalidæ.

Clausulas apponit.

§.8. Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quod Superiores, & alii Fratres dicti suppressi Ordinis, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam

etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Et ita ab omnibus judicari decernit.

§.9. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, et potestate fungentes in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§.10. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, ac quatenus opus sit, regula nostra de non tollendo jure quæsito, necnon dicti suppressi Ordinis, illiusque Conventuum, ac Ecclesiarum illi quomodolibet unitarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Fratribus, et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, et decretis in genere, vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§.11. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 2. Decemb. 1643. An.XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Decemb. 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Indulgentia Plenaria in Forma Jubilei ad Divinam opem implorandam in Alma Urbe concessa.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilectis filiis Clero, & Populo Romano, ac aliis Christifidelibus salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

Suscitatis jam pridem in Universo fere orbe Christiano gravibus bellorum procellis, tranquillitatem publicis, privatisque precibus a Deo postulare non destitimus, sed voti compotes hactenus fieri non potuimus, immo gliscente in dies armorum tempestate verendum est, ne graviora Divinæ justitiæ assiduis Populorum peccatis irritatæ flagella præsentes calamitates subsequantur. Diffidere tamen non debemus de immensa Domini clementia, cujus miserationes super omnia opera ejus, vititat enim in virga ferrea iniquitates hominum, sed misericordiæ suæ non obliviscitur. Ideo corde contrito, & humiliato opem ejus iterum imploremus, eumque cum fiducia deprecemur, ut statuere dignetur procellam, in auram, unde optatæ pacis serenitas Christifidelibus effulgeat. Hoc autem ut fructuosius, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium matris, & magistræ more ejusdem Ecclesiæ Thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus proferre, & erogare decrevimus.

Indulgentia Plenaria opera hic præscripta peragentibus conceditur.

§.1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis, & singulis Christifide-

stifidelibus in Alma Urbe degentibus, qui tribus solemnibus Processionibus diebus infra proximam, vel immediate sequentem hebdomadam a dilecto filio nostro in eadem Urbe Vicario, in spiritualibus generali, vel ejus Vicesgerente designandis, uni videlicet ad Ecclesiam Sancti Joannis Lateranensis, & alteri ad Principis Apostolorum, ac tertiæ ad S. Mariæ Majoris Basilicas per universum Clerum Romanum agendis, sive earū alteri interfuerint, vel qui in altera ex dictis hebdomadis Ecclesias, & Basilicas prædictas, seu earum alteram semel saltem devote visitaverint ibique pias ad Deum preces pro pace, universali Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S.M.E. exaltatione, præsentibusque ejus necessitatibus effuderint, ac confessi, & Sacra Communione infra easdem duas hebdomadas refecti fuerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Facultas eligendi sibi Confessarium, qui a casibus reservatis &c. absolvat.

§.2. Iis præterea, qui quarta, & sexta Feriis, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis præfatis Jejunaverint, licentiam concedimus, & facultatem damus, ut possint sibi ad hunc effectum eligere quemcumque Presbyterum confessarium, tam secularē, quam cujusvis Ordinis regularem ex approbatis a præd. Vicario generali, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliis per quascumque nostras, aut Rom. Pont. Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum, non tamen a crimine hæresis absolvere, & liberare valeat. Et insuper vota quæcumque, religionis, & castitatis exceptis, in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Regulares, aliique impediti quo pacto hujusmodi indulgentiam consequi valeant.

§.3. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut confessarius, quem, ut supra, elegerint prædicta omnia, & singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare possit pariter concedimus, & indulgemus.

Quæ facultas Confessariorū non extenditur ad dispensationem irregularitatis.

§.4. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ.

Neque ad absolutionem excommunicatorum.

§.5. Neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel aliquo Prælato, seu judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus, ut supra præfixum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariorum derogatio.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus, ita Rom. Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, ac quorumcumque Ordinum, Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus, atque institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam, pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim, & expresse, ad effectum præsentem derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 12. Decemb. 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Decembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Sequitur ejusdem Indulgentiæ innovatio pro duabus proximis Hebdomadis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilectis filiis Clero, & Populo Romano, ac aliis Christifidelibus salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Literas superius emanatas sub dicta. Dec. anni proxime præteriti.

§.1. Nuper, ut Christifideles hujus Almæ Urbis nostræ ad implorandam communibus precibus opem Divinam in præsentibus Reipublicæ Christianæ calamitatibus magis incitarentur, Nos per nostras in simili forma Brevis die 12. Decembris proxime præteriti expeditas Literas, universis, et singulis Christifidelibus in d. Urbe degentibus, qui tribus solemnibus Processionibus diebus infra tunc proximam, vel immediate sequentem hebdomadam a dilecto filio nostro in eadem Urbe

he Vicario in spiritualibus generali, seu ejus Vicesgerente designandis, uni videlicet ad Ecclesiam Sancti Joannis Lateranen., et alteri ad Principis Apostolorum, ac tertiæ ad Sanctæ Mariæ Majoris Basilicas per universum Clerum Romanum agendis, sive earum alteri interfuissent, vel qui in altera ex dictis hebdomadis Ecclesias, & Basilicas prædictas, seu earum alteram semel saltem devote visitavissent, Ibique pias ad Deum preces pro pace universali, Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, et Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, præsentibusque ejus necessitatibus effudissent, ac confessi, et Sacra Communione infra easdem duas hebdomadas refecti fuissent plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concessimus. Iis præterea qui quarta, & sexta feriis, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis præfatis jejunavissent licentiam concessimus, & facultatem dedimus, ut possent sibi ad hunc effectum eligere quemcumque Presbyterum confessarium, tam secularem, quam cujusvis Ordinis regularem ex approbatis a prædicto Vicario generali, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, censuris a jure, vel ab homine, quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & ea vice tantum (non tamen a crimine hæresis,) absolvere, & liberare valeret; Et insuper vota quæcumque religionis, & castitatis exceptis in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis, Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequivissent, ut confessarius, quem ut supra elegissent prædicta omnia, & singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare posset, pariter concessimus, & indulsimus. Noluimus autem per prædictas nostras Literas super aliqua irregularitate, publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ. Neque etiam easdem Literas iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel aliquo Prælato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuissent, nisi infra tempus, ut supra præfixum satisfecissent, aut cum Partibus concordavissent ullo modo suffragari posse, aut debere, & aliàs prout in præfatis nostris Literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis uberius continetur.

§. 2. Nunc vero durantibus eisdem calamitatibus preces in eadem Urbe iterari cupientes universis Christifidelibus præfatis, qui infra proximam, vel immediate sequentem hebdomadam Ecclesiam, & Basilicas præfatas, seu earum alteram semel saltem visitaverint, ibique, ut præmittitur oraverint, ac confessi, & Sacra Communione, ut præfertur, refecti fuerint, denuo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ac iis, qui quarta, & sexta feriis, ac Sabbatho alterius ex duabus hebdomadis præfatis jejunaverint licentiam, & facultatem supradictam, servata aliàs in omnibus, & per omnia Literarum nostrarum prædictarum forma, & juxta illarum tenorem, & continentiam, ac cum omnibus, & singulis limitationibus, exceptionibus, declarationibusque contentis in illis, & non aliàs, aliter, nec alio modo concedimus, & impertimur. *Nunc eamdem indulgentiam innovat, & extendit ad alias duas hebdomadas.*

§. 3. Non obstantibus omnibus illis, quæ in eisdem Literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. *Contrariis derogat.*

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Februarii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI. *Datum die 13. Februarii 1644. An. XXI.*

DCCLXXII.

Mandat Nuncio Apostolico Coloniæ, ut ad Civitatem Monasterien. se conferat, pacisque tractatibus adsit. *Ex Regest. in Secret. Brev.*

Venerabili fratri Episcopo Neritonen. nostro, & Apostolicæ Sedis ad Tractum Rheni, & inferioris Germaniæ partes Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

CUM, sicut accepimus, Civitas Monasterien. in Vestphalia, quo conveniatur pro tractanda inter charissimos filios nostros Ferdinandum Regem Romanorum in Imperatorem electum, ac utrumque Regem, aliosque Principes Christianos pace, destinata sit, & ideo dilectus filius noster Martinus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Ginettus nuncupatus, quem aliàs ad eosdem Ferdinandum Regem in Imperatorem electum, ac utrumque Regem, necnon ad alios Reges, & dilectos filios nobiles viros, Respublicas, aliosque Principes majoris Potentiæ, eorumque Regna,

Regna, Provincias, Dominia, & Loca eis adjacentia, cæteraque, ad quæ eumdem Martinum Cardinalem declinare contigisset, nostrum, & Apostolicæ Sedis de latere Legatum constituimus, ut tractatibus pacis hujusmodi, nostro nomine, & seu uti mediator interveniret ad prædictam Civitatem Monasterien., ut tractatibus dictæ pacis, ut præfertur, interveniat, propediem profecturus sit; Nos, ut interim, donec ipse Martinus Cardinalis illuc appulerit, non desit, qui tractatibus hujusmodi nostro nomine interveniat, pro ingenti, quo tenemur stabiliendæ pacis prædictæ desiderio, providere volentes, ac de Fraternitatis tuæ fide, prudentia, & in gravibus rebus agendis dexteritate plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eidem Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut ad prædictam Civitatem Monasterien. te conferas, ac tractatibus pacis prædictæ nostro nomine, & seu uti mediator intervenias, teque interponas donec, & quousque dictus Martinus Cardinalis Legatus, ad eamdem Civitatem appulerit. Nos enim tibi ad præmissa necessariam, & quomodolibet opportunam facultatem earumdem tenore præsentium concedimus, & impertimur. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Datum die 23. Decemb. 1643. An. XXI. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXIII.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis, & Paramenta ex Sacristiis Domorum Regularium Provinciæ Granatensis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN iis, quæ ad tuenda, conservandaque bona, & jura Religiosorum Ordinum quorumcumque pertinere noscuntur, auctoritatem nostram libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio. §.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupati Provinciæ Granatensis Nobis nuper exponi fecerunt, in Conventibus eorumdem Fratrum dictæ Provinciæ Sacristiæ, & Bibliothecæ extent, quarum ornamenta, & libri partim ex eleemsynis personarum secularium empta, partim a diversis benefactoribus, & piis particularibus personis donata fuerunt, ut illis mediantibus iidem Fratres Recollecti commode literis operam dare, & divino cultui decenter vacare possint; per dilectos autem filios Ministros Generales, Provinciales, & alios Superiores Ordinis, & Provinciæ hujusmodi e dictis Sacristiis, & Bibliothecis nonnulli libri, & ornamenta hujusmodi sub eo, quod illa non necessaria, aut duplicata sint, aut sub quibusvis aliis coloribus, & prætextibus extrahantur, aut permutanda, vel aliis Conventibus Fratrum Observantium, vel Monialium ejusdem Ordinis danda, seu vendenda, eximdeque personis secularibus, quæ dictis Conventibus, seu illorum Sacristiis, & Bibliothecis libros, & ornamenta hujusmodi dederunt, non leve scandalum, ipsis vero Fratribus Recollectis, & eorum Conventibus notabile præjudicium inferatur.

§.2. Idcirco Nos librorum, & ornamentorum Sacristiarium, & Bibliothecarum Conventuum dictæ Provinciæ conservationi, & manutentioni, quantum Nobis ex alto conceditur, prospectum esse cupientes, eosdemque Fratres exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorũ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatæ voto.

§.3. Quod de cætero nullus, sive Generalis, sive Provincialis Minister, nullus Visitator, nec alius quivis Superior dicti Ordinis, & Provinciæ hujusmodi e Sacristiis, & Bibliothecis Conventuum eorumdem Fratrum Recollectorum dictæ Provinciæ, ulla paramenta, & ornamenta ecclesiastica, vasa, vascula, patenas, calices, & quamcumque aliam sacram, & prophanam supellectilem, necnon quævis libros, quinterna, monimenta, & folia, sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus donata, empta, seu aliàs quomodolibet assignata, quam de cætero donanda, emenda, & assignanda respective amovere, asportare, tollere, distrahere, cuiquam commodare, seu amoveri, asportari, tolli, distrahi, aut commodari facere, vel consulere, aut ut illa amoveantur, asportentur, tollantur, distrahantur, aut commodentur permittere, ullatenus umquam possit, audeat, seu præsumat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ ipso facto, absque alia declaratione per contravenientes incurrendæ, a qua nonnisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, necnon privationis vocis activæ, & passivæ pœnis, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Prohibet prout in Rub.

§.4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis eorum Officialibus, sive Vicariis in spiritualibus generalibus, necnon Prioribus, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac Executores deputat.

Bene-

Beneficiatis quibuscumque locorum, in quibus Conventus hujusmodi consistunt, & consistent, & in quibus in præmissis contraveniri contigerit, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Recollectorum hujusmodi dictæ Provinciæ, aut alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quæcumque per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, perpetuo firmiter, & inviolabiliter observari, illasque debitæ executioni demandari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis dicti Ordinis, & Provinciæ Superioribus, Fratribus, & personis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 6. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in Valvis Sacristiarum, & Bibliothecarum Conventuum dictæ Provinciæ Ordinis hujusmodi respective, aut in aliquo alio illarum perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 23. Decemb. 1643. An. XXI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Dec. 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXIV.

Nonnulla statuuntur circa Concessionem agrorum ad Ecclesias spectantium in Regno Corsicæ in Emphyteusim perpetuam, & reductionem decimarum novalium.

Ex Reg. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva Constitutionis, &c. (Motiva Constitutionis hujusmodi.)

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Gubernatorum Reipublicæ Januen. Nobis expositum fuit, in Regno Corsicæ, quod Respublica prædicta possidet, spectare ad Ecclesias, Beneficia, & varia Loca Pia, multa terrena hactenus inculta in diversis petiis, ut plurimum divisa, ac paludosa, vepribusque, & senticetis aspera, ex quibus nulla Ecclesiis, Beneficiis, & Locis Piis hujusmodi ab immemorabili tempore proveniat utilitas, quæ si personis laicis illarum partium in Emphyteusim perpetuam concederentur, successu temporis ad culturam cum Ecclesiarum, Beneficiorum, & Locorum Piorum præfatorum evidenti utilitate redigerentur; Ac insuper eodem in Regno multa Terrena ad personas seculares pertinentia existere, quæ ad culturam redigi publicæ utilitatis interesset, si ab Ecclesiis Decimæ novalium non perciperentur, vel saltem ipsæ Decimæ novalium ad modicam summam reducerentur.

Necnon supplicationi præfata Pontifici.

§. 2. Nobis propterea eorumdem Ducis, ac Gubernatorum nomine fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere, acut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Dant facultatem Ordinariis bona ecclesiastica in Emphyteusim concedendi.

§. 3. Nos igitur, qui Ecclesiarum, Beneficiorum, Locorumque Piorum quorumlibet commodis, & utilitati juxta creditum Nobis a Domino apostolicæ servitutis officium jugiter invigilamus, Ducis, Gubernatorumque prædictorum votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto particularis Congregationis nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum ad examinandum negocium hujusmodi a Nobis deputatæ, quoad bona inculta præfata ad Ecclesias, Beneficia, & Loca Pia in dicto Regno, ut præfertur, spectantia, quorum valor in proprietate centum scuta monetæ Romanæ non excedet, dumtaxat respectu cujuslibet Ecclesiæ, Beneficii, vel Loci Pii prædictorum, ut Episcopi, & Ordinarii Locorum præfati Regni in suis respective Diœcesibus, respectu bonorum ad eorum Ecclesias spectantium, possint per semetipsos, quatenus tamen tendat in evi-

den-

dentem Ecclesiarum suarum utilitatem, super quo eorum conscientiam oneramus dare; respectu vero aliarum Ecclesiarum, Beneficiorum, & Locorum Piorum, constito eis, quod in evidentem utilitatem dictarum Ecclesiarum, & Beneficiorum, ac Locorum Piorum concessiones faciendæ cessuræ sint, possint hujusmodi Ecclesiarum, & Beneficiorum, Locorumque Piorum Rectoribus, sive Administratoribus concedere licentiam dandi illa bona prædictum valorem centum scutorum monetæ Romanæ in proprietate non excedentia respectu cujuslibet Ecclesiæ, Beneficii, vel Loci Pii prædictorum in Emphyteusim perpetuam sub annuo Canone conveniendo, etiam ad extraneos transitoriam, ita tamen, ut in publicis, desuper vigore licentiæ hujusmodi, conficiendis instrumentis apponatur pactum de renovando Emphyteusim hujusmodi singulis viginti novem annis cum aliqua recognitione sub pœna caducitatis, ac cum hoc, ut in omnibus casibus alienationum, & respective renovationum, in quibus de jure solvitur laudemium, illud non excedat duplum quinquagesimæ, habita ratione valoris bonorum de præsenti juxta æstimationem a perito per eosdem Episcopos, seu Ordinarios locorum respective deputando, antequam ad hujusmodi concessionem deveniatur, faciendam, & in actis ad perpetuam memoriam redigendam, etiamsi postmodum ob subsequutam meliorationem valor esset longe major, necnon, ut in casu absentiæ a Regno præfato, vel minoritatis Emphyteutæ non incurratur caducitas ob non solutionem canonis, sed tamen licitum sit Ecclesiis, & aliis Locis Piis hujusmodi agere ad solutionem Canonum via exequutiva coram Ordinariis Locorum.

Decimasque minuendi ratio ne trium pro centenario.

§.4. Ac insuper, quod Decimæ novalium, illorum videlicet terrenorum, ad personas seculares, & loca secularia pertinentium, quæ in Regno prædicto deinceps ex incultis ad culturam vigore præsentium literarum redigentur, non nisi ad rationem trium pro centenario, & anno solvantur, sine tamen aliquo præjudicio solutionis ante quarum decimarum ratione bonorum hactenus ad culturam redactorum, ita quod illorū cultura nullatenus deferatur, & decimę pro illis debitæ omnino, & integre solvantur, ut prius, vel quatenus deferatur, vel diminuatur cultura, aut in aliqua minori quantitate solvatur, præsens gratia non suffragetur deferentibus, sive minuentibus culturam, seu integram decimam, ut prius non solventibus, apostolica auctoritate, tenore præsentiū concedimus, & indulgemus.

Et non aliàs ab omnibus judicari vult.

§.5. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§.6. Non obstantibus fæ. re. Pauli Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, seu ultra triennium non locandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ecclesiarum, aliorumque Locorum Piorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 19. Januarii 1644. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 19. Januarii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXV.

Ex Reg. f. 10 Secret. Brev.

Dotatio Ecclesiæ Porphirien. in partibus Infidelium in sex millibus scutis monetæ Romanæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Super universas Orbis Ecclesias eo disponentes qui cunctis imperat, & cui obediunt omnia meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quæ Ecclesiæ prædictæ præsertim Cathedrales, quæ sub Infidelium potestate, ac propterea communibus redditibus privatæ sunt, competenti dote, pro congrua earum Præsulum sustentatione communiri valeant, ut illis præficiendi eo alacrius jugum Domini, & Ecclesiarum hujusmodi curam, & regimen suscipiant, cum se etiam temporalibus ad id auxiliis suffultos senserint libenter intendimus, & Christifidelium facultates suas ad hoc benigne erogantium vota pii Patris affectu promovemus.

Quidem Presbyter Congregat. Cleric. Regul. Theat. sex millia scuta assignavit pro dotanda aliqua ex Ecclesiis in Infidelium partibus existente

§.1. Cum itaque, sicut accepimus quædam piæ personæ nomine dilecti filii Clementis del Pezzo Presbyteri Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupat. pro singulari suo erga res Sacras cultumque divinum affectu e propriis suis bonis, & facultatibus sex millia scuta monetæ Romanæ in tot locis montis non vacabilis Cameræ Apostolicæ salis secundæ erectionis nuncupat. investita, vel investienda dederint, & assignaverint, ut alicui ex Ecclesiis Cathedralibus sub Infidelium potestate existentibus arbitrio nostro designandæ pro Ecclesiæ hujusmodi dote, & congrua illius Præsulis sustentatione per Nos perpetuo applicentur, & approprientur.

Quam summus Pontifex signat Ecclesiam Porphyrien, ejusque Episcopo.

§.2. Nos piam earumdem personarum liberalitatem plurimum in Domino commendantes, ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque

deque apostolicæ potestatis plenitudine sex millia scuta hujusmodi in tot locis Montis prædicti investita, seu investienda, & ut præfertur, donata, & assignata Ecclesiæ Episcopali Porphyrien. in partibus Infidelium ad præsens Pastoralis solatio destitutæ pro illius dote, & pro tempore futuri Episcopi Porphyrien. sustentatione, itaut liceat ipsi Episcopo dictorum locorum Montis prædicti fructus, redditus, & proventus, aliaque emolumenta quæcumque, quomodolibet provenientia percipere, exigere, & levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere, nullius licentia desuper requisita, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo applicamus, & appropriamus, ejusdemque Ecclesiæ Porphyrien. liberam provisionem Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris perpetuo reservamus.

Clausulas apponit.

§.3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ita, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Congregationis prædictæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 16. Februar. 1644. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Febr. 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXVI.

Altare privilegiatum pro omnibus, & singulis Conventibus Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ Sancti Francisci in Regno Hiberniæ existentibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Concedit prout in Rubrica.

§.1. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias Provinciæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ nuncupatæ, in Hibernia existentibus, in quibus nullum aliud Altare privilegiatum reperitur concessum, & in earum qualibet sit Altare Majus hoc speciali dono illustrandum, dummodo in quolibet earum Missa celebretur, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis secularis, sive cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & singulis diebus infra illius Octavam, ac secunda feria cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, itaut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, præsentibus ad triginta annos tantum valituris.

Transumptis credi mandat.

§.2. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 17. Februar. 1644. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17. Februarii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Confir-

DCCLXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmantur statuta nonnulla edita pro regulari observantia Fratrum Ordinis Carmelitarum Provinciæ Narbonensis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Nonnulla Decreta circa Regularem Observantiam Fratrum Carmelitarum abeisdē Fratribus pro Provincia Narbonensi edita,

Et a Card. Ginnetto ejusdem Ordinis Protectore approbata,

§.1. CUM, sicut aliàs Nobis per tunc in humanis agentem Albertum Massarium Priorem Generalem Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo expositum fuit, nonnullæ Ordinationes aliàs pro Provincia Narbonensi Fratrum dicti Ordinis editæ, & a dilecto filio nostro Martio S. Angeli in Foro Piscium Diacono Cardinale Ginnetto nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore, propriis eorum subscriptionibus approbatæ fuerint tenoris subsequentis, videlicet.

Referuntur hujusmodi statuta.

§.2. Martius Ginnettus Miseratione Divina S. Angeli in Foro Piscium S.R.E. Diaconus Cardinalis, Sanctissimi Domini Nostri Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque districtus Judex Ordinarius, ac totius Ordinis Carmelitani Protector R. P. Cœlestino a S. Ignatio Commissario Generali Provinciæ Narbonæ, cæterisque strictioris observantiæ RR. Patribus salutem in Domino. Nos totius Ordinis Carmelitarum protectioni intendentes existimavimus de ratione dictæ protectionis nostræ Nobis meliori dicti Ordinis statui stabiliendo incumbendum esse, & regulari illius tuendæ, & promovendæ observantiæ studendum. Quare cum Nobis propositum fuerit vos majoris perfectionis fervore strictiorem vivendi rationem desiderasse, & ad illam opere exequendam quædam specialiora statuta, veluti media ad illam necessaria a Reverendissimo Vicario Generali Vestro, Nobis desiderantibus, concessa fuisse, ut quæ ea sint majoris apud Nos ponderis, valoris, & exequutionis, nostram humiliter expostulaveritis approbationem, ac confirmationem. Nos piis, & devotis precibus vestris annuentes concessionem nostram prosequentibus hic ordinatim contextis, & examinatum damus. Et primo approbamus, & confirmamus facultatem, & respective præceptum a præfato Vicario Generali vobis prædictis Patribus factam, videlicet profitendi, & observandi Constitutiones, seu statuta moderna a Reverendissimo Theodoro Stractio Generali facta, & a Domino nostro Urbano PP. VIII. approbata, & confirmata. Secundo approbamus, & confirmamus concessionem a prædicto Generali factam ipsismet vobis strictioris Observantiæ professoribus trium Conventuum pro præsenti, Cabilonis, scilicet, Semurii, & Divionis, in quibus dictas Constitutiones, seu statuta libere profiteri valeatis. Tertio approbamus, & confirmamus ipsam dicti Generalis declarationem, qua declaratur, vos, qui dictas Constitutiones, seu statuta professi fueritis a quorumlibet aliarum Constitutionum Ordinis obligatione absolutos esse. Ita tamen, ut ab earumdem Reformatorum Constitutionum, seu statutorum observantia, nec discedere, nec ad aliam Congregationem, nisi de speciali suæ Sanctitatis licentia transire possitis, prout in literis Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. in forma Brevis 18. Januarii Anni 1636. datis statuitur. Quarto te præfatum Patrem Cœlestinum Commissarium Generalem a dicto Generali pro restauranda, tuenda, & promovenda reformatione in præfatis tribus Conventibus introducta, aut introducenda institutum, & creatum usque ad triennium auctoritate nostra confirmamus, & approbamus etiam facultatem tibi concessam assumendi in Socios, seu Consiliarios duos tibi benevisos ejusdem observantiæ professores, qui cum Prioribus dictę observantię in fine triennii alios ejusdem quoque Reformationis pro Commissario, & Consiliariis de novo nominandis possint proponere, & præsentare ipsi Generali, aut illius Successoribus. Quinto sequentem ordinationem confirmamus, qua dictus Generalis statuit, prout in patentibus illius die 16. Junii Anni 1642. datis patet, quod pro bona prædictæ reformationis administratione nullius in prædictos Conventus de novo reformatos, aut alios similiter de sua, aut sui Commissarii licentia reformandos, ad prædictarum Constitutionum, seu statutorum professionem possint admitti, nisi præfati Commissarii Generalis auctoritate, vel aliorum Commissariorum pro tempore existentium, ac Consiliariorum consensu. Item, quod nullus Provintialis, nec alius præter dictum Commissarium valeat aliquem religiosum modernæ observantiæ professus a prædictis Conventibus stricte reformatis in alios transferre, aut in præfatos Conventus reformatos quemquam mittere. Sexto confirmamus quod Novitiatus prædictæ Provinciæ erigatur in uno prædictorum Conventuum reformatorum pro arbitrio dicti Commissarii Generalis, ut ibi, & non alibi Novitii prædictæ Provinciæ in Religionis observantia melius educentur, & ut arctius fratres dictorum Conventuum reformatorum præfato Commissario subiiciantur, possint ab ipso pro suscipiendis ordinibus sacris literæ dimissoriæ concedi, iidemque ad studiorum cursus admitti. Septimo approbamus, & confirmamus, quod prædictarum Constitutionum, seu statutorum introductio non poterit admitti, nisi de Conventu in Conventum successive, & de triennio in triennium, prout expediens fuerit, & ut bene videbitur dicto Commissario Generali. Item, quod nullus Religiosus professus ad dictarum Constitutionum professionem possit admitti, nisi facta probatione ad sex menses, in peculiari statuto Novitiatu sub Magistris spiritualibus a Commissario deputatis, a qua tamen probatione, & novitiatu dispensari volumus eos, qui sunt sexagenariæ

nariæ ætatis. Octavo denique, & ultimo approbamus, confirmamus, & pro semper validamus declarationem a dicto Vicario Generali prima die Februarii 1643. qua declarat, quod si aliqua a se, vel suis Successoribus vacante effluxerint, aut effluant, quæ mandatis, præceptis, gratiis, privilegiis, favoribus, immunitatibus, ordinationibus ipsi Commissario, ejusque Successoribus, aut ipsi Reformationi in favorem, & bonum dictæ Reformationis, sive in generali, sive in speciali, & quomodocumque semel factis, seu concessis, directe, vel indirecte adversentur, illa esse subreptitia, nulliusque roboris, non obstantibus quibuscumque in contrarium allegatis, aut allegandis, omniaque contra tenorem harum præsentium facta, aut quovis modo obtenta, aut obtinenda, nisi antea auditis partibus, & coram Nobis, vel Reverendissimo Generali contestata, nulla, & irrita facimus. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Palatio nostro die prima mensis Martii 1643.

M. Cardinalis Ginnettus Vicarius Protector.

Fr. Albertus Massarius Vicarius Generalis Apostolicus Carmelitarum.

Felix de Luco Secretarius.

Petitur illorum confirmatio. §.3. Ordinationes vero præinsertas pro firmiori observantiæ regularis stabilimento, illarumque faciliori exequutione, ac pro compescenda nonnullorum dicti Ordinis Religiosorum dictæ Provinciæ erga Superiores majores rebellione, nimiaque libertate, necnon dicta regularitate in eadem Provincia tuenda, ac promovenda per Nos confirmari expediat.

Confirmat Pontifex. §.4. Idcirco Nos felici, prosperoque ejusdem Provinciæ statui prospectum esse cupientes, supplicationibus humiliter hac in parte Nobis porrectis inclinati, Ordinationes præinsertas, apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulas necessarias apponit. §.5. Decernentes præsentes validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. §.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §.7. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 24. Februar. 1644. An XXI. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 24. Febr. 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXVIII

Ex Regest. in Secret. Brev. Indultum nominandi ad Ecclesias, & Monasteria Britanniæ, & Provincia Provinciæ Regi Christianissimo conceditur.

Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Nonnulli Pont. jus nominandi ad Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias in Ducatu Britanniæ, & Provincia Provinciæ Reg. Christianissimo concesserunt. §.1. Cum nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri aliquibus Francorum Regibus Christianissimis ob eorum præclara in Apostolicam Sedem merita jus nominandi personas idoneas ad Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias, ac Monasteria in Ducatu Britanniæ, & Provincia Provinciæ, quorum ipsi Reges Domini in temporalibus existebant pro tempore vacantia ad cujuslibet dictorum Regum vitam reservaverint, concesserint, & indulserint, prout in diversis eorumdem Prædecessorum, ac nominatim fel. rec. Leonis X., Julii III., Pii IV., Sixti V., Clementis VIII., Pauli etiam V. expeditis Literis plenius continetur.

Quod Pontifex Regi pro tempore existenti confirmat. §.2. Nos, qui Majestatem tuam ob eximiam ejus indolem, ex qua spem concepimus indubiam, fore, ut succedentibus tibi benedicente Domino annis præsertim sub egregia charissimæ in Christo filiæ nostræ Annæ Francorum Reginæ Christianissimæ Viduæ Genetricis tuæ directione, & regimine, non minore, quam cl. mem. Reges eorumdem Francorum Christianissimi Progenitores tui pietate, religionis zelo, ac in Nos, & Apostolicam Sedem observantia, aliisque Christianissimo Rege dignis virtutibus præfulgeas, specialibus favoribus, & gratiis libenter prosequimur, singularum Literarum præfatarum tenores, ac datas perinde, ac si ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, ac singulorum Prædecessorum nostrorum præfatorum vestigiis inhærentes, motu proprio, ac ex certa scientia nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine, Majestati tuæ quoad vixeris jus nominandi Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus nostris personas probatas boni nominis, ac secundum Sacrorum Canonum dispositionem idoneas ad quascumque Cathedrales, &

Metro-

Metropolitanas Ecclesias, ac Mnnasteria quorumcumque Ordinum, de quibus consistorialiter disponi consuevit in Ducatu Britanniæ, & Provincia Provinciæ præfatis consistentia, quoties illa quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, non tamen per obitum, apud Sedem eamdem vacare contigerit per Nos, & Successores præfatos ad nominationem hujusmodi Ecclesiis, & Monasteriis præfatis preficiendas, tenore præsentium, prout in Literis prefatorum nostrorum Predecessorum reservamus, concedimus, & assignamus.

Clausulas ad id necessarias apponit.

§. 3. Decernentes jus nominandi hujusmodi ad Ecclesias, & Monasteria prefata, tibi quoad vixeris competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo, & ex quacumque causa derogari, & si ei derogari contingat, minime suffragari posse; Et nihilominus quascumque Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi, provisiones, commendas, & aliàs de eis dispositiones, etiam cum juris nominandi hujusmodi derogatione contra earumdem presentium tenorem, etiam per Nos, & Successores prefatos, & Sedem eamdem absq; tuis nominationibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, quoquo modo pro tempore faciendas, ac desuper conficiendas Literas, ac inde sequuta quecumque nulla, & invalida, nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, teque ad docendum de Literis prefatis, seu illas ostenden., & in eis contenta quecumque justifican. minime teneri, sed eisdem presentibus tantum uti posse, illisque tam in judicio, quam extra illud stari debere; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Rumanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quibusvis generalibus, vel specialibus Ecclesiarum, & Monasteriorum præfatorum reservationibus, seu affectionibus Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem eamdem quomodolibet factis, seu pro tempore facien., necnon Cancellariæ Apostolicæ regulis, editis, & edendis, ac quibusvis aliis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, illorumque Ordinum, necnon Ducatus, & Provinciæ præfatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & Literis Apostolicis etiam quasvis clausulas, & reservationes in se continentibus per eosdem Prædecessores, ac Nos, & Sedem eamdem Ecclesiis, & Monasteriis, illorumque Capitulis, Conventibus, & Ordinibus, ac Ducatui, & Provinciæ præfatis, eorumque Communitatibus, Universitatibus, & personis, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum, harum serie specialiter, et expresse, motu, scientia, et potestatis plenitudine derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Declarat, quod hujusmodi nominatio intra sex menses a die vacationis fieri debent.

§. 5. Volumus autem, quod infra sex menses a die vacationis Ecclesiarum, et Monasteriorum hujusmodi computan. personas idoneas Nobis, et pro tempore existenti Romano Pontifici pro collatione, provisione, seu commenda obtinenda nominare omnino tenearis, et ad Monasteria hujusmodi in titulum concedi solita, clerici seculares, vel alterius, quam Monasterii ad quod eos per te nominari contigerit Ordinis regulares nominandi, habitumque per Fratres, seu Monachus illius Monasterii gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem Fratres, seu Monachos emitti consuetam expresse emittere teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis de Ecclesiis, seu Monasteriis, ut præfertur, vacan. per Nos, seu pro tempore existentem Romanum Pontificem libere disponi possit,

Datum die 7. Martii 1644. An.XXI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die septima Martii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimoprimo.

DCCLXXIX.

Deputantur Gubernatores Perusin., Urbevetan., & Legati Ferrariensis ad recipienda Loca Status Ecclesiastici occupapata occasione nuperi Belli.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Urbinaten, Civitatis Perusin., ac Provinciæ nostrarum Umbriæ Gubernatori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Fratri salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva.

§. 1. Cum dilectus filius nobilis Vir Ferdinandus Magnus Dux Etruriæ

riæ sibi subjectæ Civitatem Plebis, ac Terram Castilionis ad Lacum Trasimenum, & quæcumque alia Loca Status nostri Ecclesiastici, ab ejus exercitu, & Militibus occasione nuperi contra Statum Ecclesiasticum prædictum belli occupata, Nobis, & huic S. Sedi Apostolicæ, juxta capitula inter Nos mediante dilecto filio nostro Joanne Stephano S. R. E. Diacono Cardinale Dongho nuncupato Plenipotentiario nostro, ac charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Franciscum Regem Christianissimum, mediante dilecto etiam filio nostro Alexandro tituli S.Sabinæ Presbytero Cardinali Bichio nuncupato suo Plenipotentiario, necnon dilectos pariter filios nobiles Viros Ducem, & Rempublicam Venetiarum, ac Ferdinandum Magnum Ducem prædictum, & Franciscum Mutinæ Ducem, mediantibus quoque suis Plenipotentiariis stabilita, et die trigesima prima Martii præsentis Anni 1644. per dictum Joannem Stephanum Cardinalem Ferrariæ per dictos vero Ludovici Regis, ac Reipublicæ, Ferdinandique Magni Ducis, & Francisci Ducis Mutinæ prædictorum Plenipotentiarios Venetiis subscripta restituere debeat.

Deputatio, de qua in Rubric. in personam Gubernatoris Perusini.

§.2. Idcirco Nos de tua fide plurimum in Domino confisi, motu proprio, auctoritate nostra Apostolica, tenore præsentium te constituimus, & deputamus, ut per te, vel unam, seu plures personas, quot opus fuerit a te deputandam, seu deputandas Civitatem Plebis, ac Terram Castilionis, aliaque Loca in Provincia nostra Umbriæ existentia, ut præmittitur occupata, cum omnibus, & singulis Bombardis majoribus Artiglieriæ vulgo nuncupatis, cæterisque armis, quæ in eadem Civitate, ac Terra, aliisque Locis præfatis tempore, quo, ut præfertur, occupata fuerunt, existebant, Nostro, & Sedis prædictę nomine in exequutionem dictorum Capitulorum recipias, ac de receptis, confessiones, & quietantias facias, super quibus tibi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem concedimus, & impertimur.

Contrariorum derogatio.

§.3. In contrarium facien. Non obstantibus quibuscumque.

Datum die 6. Aprilis 1644. An.XXI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Sequitur eadem Deputatio in personam Gubernatoris Urbini.

Dilecto filio Civitatis nostræ Urbinaten. illiust Comitatus, & districtus Gubernatori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva.

§.1. CUM dilectus filius Nobilis vir Ferdioandus Magnus Dux Etruriæ sibi subjectæ quæcumque loca Status nostri ecclesiastici, ab ejus exercitu * deputandam, seu deputandas quæcumque loca in Comitatu, districtu, & Territorio nostris Urbeventan. existentia, ut præmittitur occupata, cum omnibus, & singulis Bombardis majoribus, cæterisque armis, quæ, artiglieriæ vulgo nuncupatis, in iisdem locis, tempore quo, ut præfertur, occupata fuerunt, existebant &c. *reliqua ut in præcedenti.*

* Sic

Datum &c.

Sequitur delegatio Vice-Legati Ferrariensis.

Dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Civitate, & Ducatu nostris Ferrarien. de latere Legati Vice-Legato.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva.

§.1. CUM Dilecti filii Nobiles Viri Dux, & Respublica Venetiarum ac Odoardus Farnesius Dux Parmæ, & Placentię quęcumque loca Status nostri ecclesiastici, & nominatim Bondeni, & Ostellatæ Terras ab eorum exercitibus, & militibus respective occasione nuperi contra Statum ecclesiasticum prædictum belli occupata, Nobis, & huic Sanctæ Sedi Apostolicæ juxta Capitula inter Nos, mediante dilecto filio nostro Joanne Stephano S.R.E. Diacono Cardinale Dongho nuncupato Plenipotentiario nostro, ac Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum mediante dilecto etiam filio nostro Alexandro tituli S.Sabinę Presbytero Cardinale Bichio nuncupato tunc plenipotentiario pro eodem Odoardo Duce, necnon etiam Ducem, & Rempublicam Venetiarum prædictos, ac dilectos pariter filios Nobiles viros Ferdinandum Magnum Ducem Etrurię sibi subjectæ, & Franciscum Mutinæ Ducem, mediantibus quoque suis Plenipotentiariis stabilita, & die trigesimaprima Martii præsentis Anni 1644. per dictum Joannem Stephanum Cardinalem Ferrariæ, per dictos vero Ludovici Regis, ac Reipublicæ, Ferdinandique Magni Ducis, & Francisci Ducis Mutinæ præfatorum Plenipotentiarios Venetiis subscripta restituere debeant.

Alia deputatio in personā Vicelegati Ferrarien.

§.2. Idcirco Nos de tua fide, plurimum in Domino confisi, motu proprio, auctoritate nostra apostolica, tenore præsentium te constituimus, & deputamus, ut per te, vel unam, seu plures personas quot opus fuerit a te deputandam, seu deputandas, Loca, & Terras prædicta cum omnibus, & singulis Bombardis, majoribus Artiglieriæ vulgo nuncupatis, cæterisque armis, quæ in locis, terrisque prædictis tempore quo, ut præfertur, occupata fuerunt existebant Nostro, & Sedis prædictę nomine in exequutionem dictorum Capitulorum recipias, ac de receptis confessiones, & quietantias facias super quibus tibi quamcumque

cumque necessariam, & opportunam facultatem concedimus, & impertimur in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque. Datum &c.

DCCLXXX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ErectioConfraternitatis in Ecclesia Cappella nuncupata Palatii Cæsarei Viennæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoris æterni, qui pro Gregis salute in Ara Crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in Terris, pia Christifidelium præsertim Regali Dignitate fulgentium, vota divini cultus augmentum, & ipsorum fidelium salutem concernentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosdemque fideles ad pia,& devota opera exercenda Indulgentiis Peccatorum remissionibus invitamus, ut per operum hujusmodi exercitiũ ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Petitio Mariæ Rom. Reginæ in Imperatricẽ electæ.

§.1. Cum itaque sicut pro parte Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Romanorum Reginæ Illustris in Imperatricem electæ Nobis nuper expositum fuit, ipsa pro eo, quem erga Sanctum Franciscum Xaverium gerit devotionis affectu, in Ecclesia Cappella nuncup. Palatii Cæsarei Viennen. Austriæ, unam piam, & devotam Confraternitatem, quæ ex personis Charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi eorumdem Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi, ac dictæ Mariæ Reginæ in Imperatricem electæ, necnon dilectorum filiorum Nobilium Puerorum, ac dilectarum in Christo filiarum Nobilium Puellarum ipsorum natorum, & natarum, necnon dilecti filii Nobilis viri Leopoldi Guilielmi, ex Archiducibus Austriæ Fratris Germani, ac etiam Nepotum ejusdem Ferdinandi Regis in Imperatorem electi; Matronarumque, & Damigellarum titulatarum ejusdem Palatii nunc, & pro tempore existentium consiet sub invocatione ejusdem Sancti Francisci Xaverii, cujus quædam sacræ, ut pie creditur, reliquiæ in eodem Palatio honorifice asservantur, ad Dei gloriam, animarumque suarum salutẽ per Nos erigi summopere desiderent.

Erectio, de qua in Rubric.

§ 2. Nos piis ejusdem Mariæ Reginæ in Imperatricem electæ desideriis hujusmodi benigne annuere, animarumque saluti paterna charitate prospicere cupientes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; in prædicta Ecclesia Cappella nuncupata, unam personarum prædictarum dumtaxat Confraternitatem sub invocatione prædicta, sine alicuius præjudicio,& dummodo Venerabilis Fratris Episcopi Viennen. expressus ad hoc accedat assensus apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

Facultates ad id opportunæ conceduntur.

§.3. Necnon Confratribus, Consororibusque prædictis, ut pro negotiis ipsius Confraternitatis se congregare,& quæcumque statuta, capitula, ordinationes, & decreta pro salubri eorum, & dictæ Confraternitatis regimine, & directione necessaria, & opportuna, licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non contraria, per Ordinarium Viennen. examinanda, & approbanda facere, & edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit prævia simili examinatione, & approbatione mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare, ac insuper omnia, & singula legata, relicta, res, & bona, quomodolibet qualificata, mobilia, & immobilia, per quoscumque Christifideles dictę Confraternitati per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore elargienda, & relinquenda recipere, illaque per eorum Officiales, & Deputatos regere, gubernare, & administrare, ac in ipsius Confraternitatis, & ejus piorum operum usus convertere, libere similiter, & licite valeant, ita tamen, ut de receptis, & administratis per eos eidem Ordinario juxta decreta Concilii Tridentini hujusmodi rationem reddere teneantur, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Indulgentia plenaria eamdẽ Confrat. ingredientibus conceditur.

§.4. Postremo ut eximia ipsorum Ferdinandi Regis in Imperatorem electi,& Mariæ Reginæ in Imperatricem electæ, suorumque Natorum, & Natarum, Leopoldique Guilielmi, & Nepotum prædictorum in Deum pietas, dictaque Confraternitas majora in dies suscipiant incrementa. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis personis supra expressis, quæ dictam Confraternitatem imposterum ingredierint die primo eorum ingressus si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint plenariam, necnon tam pro tempore descriptis in dicta Confraternitate in cujuslibet eorum mortis articulo si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam, ac Ferdinando Regi in Imperatorum electo, & Mariæ Reginæ in Imperatricem electæ, eorumque filiis, & filiabus, dictoque Leopoldo Guilielmo Fratri, & Nepotibus ejusdem Ferdinandi Regis in Imperatorem electi nunc, & pro tempore existentibus etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac eadem Sacra Communione refectis qui semel qualibet hebdomada; Matronis vero,& Damigellis titulatis dicti Palatii in eadem Confraternitate pro tempore descriptis similiter vere pœnitentibus, & confessis, ac eadem Sacra Communione refectis, quæ quinquies in anno, necnon personis supra expressis, cæterisque utriusque sexus Christifidelibus itidem vere pœnitentibus, & confessis, ac eadẽ S.Communione refectis, qui

qui in die festo d. S. Francisci Xaverii, seu eo die infra octavam festi hujusmodi, quo illius Festivitas in Ecclesia, seu Cappella hujusmodi celebrabitur, singulis annis dictam Ecclesiam, seu Cappellam devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Necnon quibusvis utriusque sexus Christifidelibus familiaribus ejusdem Palatii, ut etiamsi tempore quo celebrabitur festivitas hujusmodi infirmitate detenti dictam Cappellam visitare nequiverint, nihilominus, si ut præfertur confessi, & Sacra Communione refecti fuerint, eamdem Indulgentiam Plenariam, etiam in lecto constricti consequantur, indulgemus. Insuper dictis confratribus, & consororibus Confraternitatis hujusmodi quoties aliquod pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet opere hujusmodi centum dies de injunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si dicta Confraternitas alicui Confraternitati aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, præsentes, & quævis aliæ Literæ Apostolicæ, illis nullatenus quoad indulgentias, & remissiones prædictas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint.

Datum die 20. Aprilis 1644. An. XXI. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXXI.

Extensio Constitutionis, *Aliàs a Nobis &c.* ad Provincias S. Josephi, ac Indiarum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, scilicet quod in Processionibus competit eis dignior locus supra Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini.

De hac Materia lege Constitutionem Ex Incumbenti, *Constitutionem* Aliàs, *& Constitutionem* Exponi Nobis, *ut supra.*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit. §. 1. CUM, sicut dilectus filius Paulus a Matrito Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum Professor, & in Romana Curia eorumdem Fratrum Provinciæ S. Josephi Procurator, & filius Nobis nuper exponi fecit, licet aliàs fel. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas de anno 1602 emanatas declaraverit, Fratres Minores S. Francisci strictioris observantiæ, Reformatos nuncupat., qui non novam, sed eamdem Regulam, quam ipse Beatus Franciscus condidit, & similis memoriæ Honorius Papa III. etiam Prædecessor noster confirmavit, quamque pariter Fratres de Familia d. Ordinis nuncupati de Observantia observant, licet ipsi Fratres Reformati regulam hujusmodi purius observent, esse veros, & indubitatos Fratres Ordinis S. Francisci, & in conscientia tutos existere, ac omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus ipsi Observantes gaudent, ubilibet frui, & gaudere posse, ac debere modo, & forma tunc expressis, mandaveritque in virtute sanctæ obedientiæ, ut nullus ex tunc deinceps dictos Fratres Reformatos appellare auderet, seu præsumeret novos Religiosos, aut novæ Regulæ Professores.

Clem. VIII. prohibuit dicere Reformatos esse novos Religiosos. §. 2. Subindeque Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositi super certis controversiis aliàs excitatis inter ipsos Fratres Reformatos, necnon dilectos filios Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini in quadam Provincia Hispaniæ super jure præcedendi in processionibus, & aliis actibus publicis determinaverint præcedentiam hujusmodi in concursu cum aliis Regularibus in processionibus, & aliis actibus publicis semper competere dictis Reformatis Discalceatis, sive soli de per se, & sub propria Cruce, sive sub Cruce, & cum familia de Observantia incedant, & sive Discalceati Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint vere Reformati dicti Ordinis S. Francisci, necnon gaudere, & frui debere omnibus aliis prærogativis in præfatis ejusdem Clementis Prædecessoris literis contentis, & expressis; & subsequenter Nos auditis hinc inde partibus decretum eorumdem Cardinalium desuper emanatum confirmaverimus, deputatis ad illius executionem certis tunc expressis personis, necnon etiam in hac materia secutæ fuerint aliæ sententiæ, seu sententiæ, etiam coram aliquo nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio ad ipsorum Fratrum Reformatorum favorem; nihilotamen minus non desuit, aut dubitentur non esse defuturi aliqui alii aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, vel Institutorum Religiosi, qui perturbent, litibusque fatigent circa præmissa eosdem Reformatos S. Francisci, qui ob eorum paupertatem, litium dispendia, & incommoda sustinere minime valent.

Quod præcedentia competat Reformatis supra Augustinianos. §. 3. Nobis propterea dictus Paulus, Procuratoris, quo supra nomine, ac aliàs, ut quævis perturbationes, & inconvenientia effugiantur, humiliter supplicari fecit, ut præmissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Paulum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & in-

& interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatæ voto, & scientia præfata dicti Clementis Prædecessoris nostri easque literas, necnon ipsum eorumdem Cardinalium decretum, & sententiam, seu sententias hujusmodi circa præmissa respective, ut præfertur, emanata, apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & insuper declaramus, quod omnes, & singuli Fratres Reformati Discalceati primodicti Ordinis S. Francisci omnium, & singularum illius Provinciarum, & Custodiarum nunc, & pro tempore existentium, & futurarum in Regnis Hispaniarum, & partibus Indiarum semper habeantur, & teneantur, haberique, teneri, & reputari debeant pro veris S. Francisci filiis, uti sunt toto cum rigore, & puritate, quam profitentur Regulam observantes, quodque nullo quovis sub prætextu, quæsito colore, causa, vel ingenio aliis quam veri filii, & indubitati Fratres S. Francisci nuncupari, teneri, & haberi ullatenus possint, ac uti tales omnibus, & singulis gratiis, favoribus, & privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus dicto Ordini hactenus concessis, & de cetero per quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem Apostolicam, ac etiam Nos concedendis fruantur, & gaudeant.

Confirmat Decretum super præcedentia. §. 4. Quodque iidem Fratres Reformati Discalceati earumdem Provinciarum, & Custodiarum semper in omnibus actibus publicis, nedum Processionum, sed etiam quarumvis aliarum functionum, eosdem locum, & præcedentiam, quos habent, & quibus gaudent ipsi Fratres Observantes primodicti Ordinis hujusmodi, cum, & sine sua Cruce, & aliàs prout continetur in ipsius Clementis Prædecessoris, & nostris literis, decretoque, & sententia, seu sententiis supradictis habeant, ac desuper a quibusvis cujuslibet alterius Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti Regularibus, præsertim vero Fratribus Eremitis secundo dicti Ordinis ejusdem S. Augustini Villæ, seu Oppidi de Arenas, Abulensis Diœc., aut quarumvis aliarum Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Villarum, & Locorum, in quibus ipsi Reformati Discalceati Conventum, seu locum habeant, aut ubi illum non habeant, dictis Processionibus, & aliis actibus publicis intervenient, molestari quoquo modo nullatenus possint.

Præceptum de observando. §. 5. Mandantes propterea omnibus, & singulis, quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, ac suorum officiorum perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, aliisque arbitrii nostri pœnis, ut eosdem Reformatos Fratres Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi omnium, & singulorum præmissorum commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque Fratribus Reformatis Discalceatis Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernant in futurum, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique, & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Constituit executores. §. 6. Quocirca dilecto filio nostro, & Sedis præfatæ in eisdem Regnis Nuncio, nunc, & pro tempore existenti, necnon Venerabilibus Archiepiscopis, & Episcopis in iisdem Regnis, & Indiarum partibus constitutis, seu dilectis filiis eorum Officialibus, vel Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Provinciarũ, & Custdiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula debitæ, & omnimodæ executioni demandari, & ab omnibus inviolabiliter observari. Non permittentes eosdem Fratres Reformatos Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi per ejusdem secundodicti S. Augustini, aut aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, vel Institutorum Regulares quomodolibet molestari.

Contravenientium pœna. §. 7. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliàs præmissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes per eamdem excommunicationis, & alias pœnas præfatas, ac quasvis alias censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis serva-

 tis

tis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Clausula sublata Greg. XIII.

§.8. Non obstantibus quibusdam etiam fel. record. Gregorii XIII. de anno 1583. Pontificatus sui anno duodecimo emanatis literis declaratoriis præcedentiæ inter Ordines Mendicantium, & Confraternitates servandæ in processionibus, necnon quatenus opus sit, Bonifacii VIII. etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis aliis decretis, & sententiis latis, & emanatis respective circa præmissa contra ipsos Reformatos Discalceatos primodicti Ordinis hujusmodi per quævis Tribunalia, Curias, Judices, aut Ministros dictæ Sedi Apostolicæ subjectos, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrariũ præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.9. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 20. Aprilis 1644. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimoprimo.

DCCLXXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Mandat, ut hymni emendati, sive de integro conditi Breviarii Romani, notisque musicis impressi Typis Plantinianis non vero antiqui decantentur in omnibus orbis Christiani Ecclesiis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM aliàs Hymni Breviarii Romani paucis exceptis, qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam, Rythmo constant, jussu nostro, vel emendatioribus adhibitis codicibus, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges revocari, nonnulli etiam de integro conditi dictoque Breviario auctoritate nostra recognito inserti fuerint, & ut accepimus Breviarium prædictum cum Hymnis hujusmodi a majori parte Christifidelium, qui ad illius recitationem sunt adstricti privatim ubivis terrarum recitetur. Hinc est quod Nos, qui Hymnos prædictos cum notis musicis, sive cantu, ut vocant figurato, typis Plantinianis dilecti filii Balthasaris Moreti Typographi Antuerpien. exacta industria excudi jussimus ne eorum publica recitatio a privata discrepet. *Cætera omittuntur, quia conveniunt de verbo ad verbum cum Constit. relata n. 749. pag. 380.*

Datum &c. die 22. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXXIII.

Clero Regni Poloniæ facultas conceditur concurrendi cum Laicis in contributione Regi facienda.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Venerabilis frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Clerus Regni Poloniæ desiderat cum Laicis in contributione Regi concurrere.

§.1. EXponi Nobis nuper fecisti, quod cum pro defensione Fidei Catholicæ in Regno Poloniæ graves expensæ factæ fuerint, quibus ærarium publicum exhaustum est, Laici ejusdem Regni obtulerant contribuere pro eadem defensione, & a Clero ejusdem Regni petitum fuit, ut in hac contributione concurrant cum Laicis prædictis, quod cum tu, & alii Episcopi ejusdem Regni sponte facere cupiatis, si Nostra, & hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ desuper accesserit licentia, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut licentiam hujusmodi concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Quibus Pontifex licentiam concedit.

§.2. Nos igitur dicti Poloniæ Regni necessitatibus hujusmodi ad effectum prædictum consulere volentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium controversiis jurisdictionalibus præpositorum consilio fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus supra narratis Clerum Regni prædicti, ut pro dictis necessitatibus Regni hujusmodi, & ad dictum effectum cum dictis Laicis in contributione hujusmodi sponte tamen, & pro una tantum vice, & pro honesta portione concurrere libere, & licite possint, tuque etiam possis, & valeas, apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam conceas, & impertiaris, ibique, ut ad exactionem contributionis per Clerum hujusmodi faciendæ per personas eccle-

ecclesiasticas, & non aliàs procedere debeas eadem auctoritate committimus, & mandamus: Contradictores, ac solvere recusantes per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia eadem auctoritate compescendo invocatu etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Derogat obstantibus.

§.3. Non obstantibus Concilii Lateranensis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum Regni hujusmodi, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus etiam in corpore juris clausis, quibusvis generaliter, vel specialiter concessis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quævis alia expressio habenda sit in eis caveatur expresse quod per hujusmodi clausulas generales etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censeatur, aut derogari videatur, nisi certis modo, & forma in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.4. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum die 21. Maii 1644. An.XXI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesimaprima Maii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXXIV.

Confirmatio Decreti Capituli Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo primitivæ Observantiæ, de Monialibus supernumerariis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

CUm, sicut dilectus filius Præpositus generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorū nuncupatorum primitivæ Observantiæ Congregationis Hispaniæ, Nobis nuper exponi fecit, per Constitutiones Monialium dicti Ordinis apostolica auctoritate confirmatas disponatur, ut numerus Monialium uniuscujusque Monasterii Ordinis hujusmodi viginti, & unius dumtaxat existat. Experientia vero compertum sit, in tam exiguo numero hujusmodi, nonnulla ejusdem Ordinis Monasteria aliquibus Monialibus, vel infirmis, aut senio confectis, seu fatuis, & mente captis ad Chorum, aliaque dicti Ordinis ministeria inutilibus gravata reperiri: ex quo Observantia Regularis, cæteræque Moniales maxima plerumque damna, & incommoda patiuntur.

Decretum Capituli Generalis.

§.1. Proindeque in Capitulo generali dictæ Congregationis novissime in Conventu S. Petri dicti Ordinis Oppidi de Pastrana celebrato, inter alia inibi edita, emanaverit decretum infra positum, quod videlicet Moniales fatuæ, vel amentes per triennium confirmatæ non computentur in numero viginti unius, sed aliæ earum loco possint recipi, etiam numero viginti unius completo. Decretum vero hujusmodi, quo firmius subsistat, idem Præpositus generalis apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret.

Confirmatio, prout in Rubr.

§.2. Idcirco Nos eumdem Præpositum generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis Inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio. Decretum prædictum apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter

ter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris; ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §.5. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum die 10. Maii 1644. An XXI. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 10. Maii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimoprimo.

DCCLXXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Indultum Nobilibus Anconitanis exercendi artes Lanariam, & Sericeam, ac Mercaturam certarum Mercium, sine præjudicio Nobilitatis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Constantis fidei, ac sinceræ devotionis affectu, quo dilecti filii Communitas, & homines Civitatis nostræ Anconitanæ Nos, & Romanam reverentur Ecclesiam, inducimur, ut ea illis libenter concedamus, quæ ad eorum utilitatem, & commodum dignoscimus pertinere.

Communitatis Anconitanæ expositio. §.1. Cum itaque sicuti idem Communitas, & homines Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Sericeam, & Lanariam Artes necnon Cerarum, Coriorumque, ac Lanarum, & Vallonearum vulgo nuncupatarum mercaturam, ac Bancheriorum, seu Campsorum Artem opera personarum nobilium ejusdem Civitatis, absque eo quod propterea earumdem personarum nobilitati præjudicetur exerceri posse, & idcirco per Nos ut infra opportune providere summopere desiderent.

Concessio, de qua in Rubric. §.2. Nos eorumdem Communitatis, & hominum votis in præmissis annuere illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati universis, & singulis dictæ Civitatis Civibus nobilibus, ut Sericeam, & Lanariam, ac Bancheriorum, & Campsorum Artes hujusmodi, necnon Grani, Cerarum, Coriorumque, ac Lanarum, & Vallonearum mercaturam, solida tamen merce, & ut vulgo dicitur *all' ingrosso* tantum, non autem minutim, seu particulatim, itant particulares tabernas dictarum mercium, in quibus illæ minutim vendantur, habere, & aperire nequeant, absque eo quod propterea aliquod eorum nobilitati præjudicium inferatur, aut censeri possit, exercere libere, & licite valeant apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Clausula. §.3. Decernentes omnes, & singulos nobiles ejusdem Civitatis Cives, qui Artes, & mercaturam hujusmodi, ut præfertur, exercebunt in eodē nobilitatis gradu esse, & fore, ac remanere, etiam quoad omnia ad quæ nobiles ipsius Civitatis quomodolibet admitti, & recipi consueverunt, seu possunt, aut debent, non secus, ac si Artes, & mercaturam hujusmodi numquam exercuissent, sicque, & non aliter, ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane quid quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dictæ Civitatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Civitati, sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 7. Junii 1644. An XXI. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 7. Junii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimoprimo.

DCCLXXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Brevium Sixti V., Pauli V., & Gregorii XV. super prohibitione quibusvis personis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ, ne detineant quævis Bona ad loca Terræ Sanctæ spectantia, sed illa si penes se sint, locis hujusmodi, seu eorum agentibus restituant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Literæ Apost. ab aliis Pontificibus aliàs emanatæ. §.1. Aliàs a fe. re. Sixto V., & Pauli etiam V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet.

Litera Sixti V. Sixtus PP. V. Ad futuram rei memoriam. Nostri pastoralis officii partes a Nobis postulant, & exposcunt, ut in iis auctoritatem Nobis ab omnipotenti Deo, cujus vicem

cem hic in inferiori terrarum orbe gerimus, concessam, quandocumque ita necessarium est, interponamus, per quę legata iu favorem piorum locorum tam in Civitate Jerosolymitana, quam extra eam in tota Terra Sancta existentium facta juxta piam ipsa legata facientium,& Constituentium intentionem debitos surtiantur effectus, & ab illorum occupatoribus, & detentoribus piis locis hujusmodi, ut decet, relaxeotur; Cum itaque nullateuus dubitari possit, quin per totum Christianum Orbem nulla mobilia, & immobilia bona Religiosorum domibus, & aliis locis piis in Terra Sancta existentibus tam per viam legati pii, quam eleemosynæ, & aliàs diversimode relicta fuerunt, ipsa vero bona, vel eorum aliqua a diversis personis, quarum curæ,&fidei exequutio legatorum, & eleemosynarum hujusmodi commissa existit, occupeotur, & detineantur, in non modicum ipsorum animarum periculum, & detrimentum donorum, & bonorum hujusmodi, quæ tamquam in partibus infidelium existentia magnis præmuntur necessitatibus: Nos qui salutem singulorum, sinceris desideramus affectibus, piorumque locorum quorumlibet indemnitati quoad possumus consulimus, ut tenemur, in præmissis opportune providere voleotes, ac omnium, & singulorum bonorum, & aliarum rerum dictis locis per quoscumque quovis modo relictorum, & pœnes quoscumque existentium, situationes, qualitates, & valores præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio,& ex certa scientia, meraque deliberatione uostris, omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, per universum orbem Christianum cooftitutis, eorumque Vicariis, officialibus nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ committimus, & mandamus, ac districte præcipimus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, aut eorum Vicarios, & officiales in spiritualibus generales, aut aliàs personas ab eis deputandas quotiescumque pro parte nunc, & pro tempore existentis Procuratoris Generalis Ordiois Fratrum Minorum de Observantia, domorum, & locorum hujusmodi ad eleemosynas, & legata similia recuperanda deputati, requisiti fueriot, vel eorum aliquis requisitus fuerit in omnibus, & singulis suarum Civitatum, & Proviociarum Cathedralibus Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis, tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus, dum inibi major populi multitudo ad divina convenerit, omnes,& singulas personas, pecuoias, aurum, argentum, gemmas, ac aliàs res, & bona quæcumque mobilia, vel immobilia supra summam, seu quantitatem, sive valorem ex arbitrio, & conscientia taxandum domibus, & locis piis prædictis, tam per viam legati, quam eleemosynæ, & alias quomodolibet relicta, & ad illa aliàs spectantia, & pertinentia occupantes, & detinentes, seu ab aliis occupari, & detineri scientes, & non revelantes requirant,& mooeant, seu requiri, & moueri faciant, quatenus omnia,& singula bona mobilia, vel immobilia eisdē domibus,& locis piis legata, & ad illa quomodolibet spectantia, ac per easdem personas, & earum quamlibet occupata, & detenta d. Procuratori nuuc, & pro tempore existentl, seu ejus locum tenenti cum effectu restituant, & consignent, ac illorum occupatores, & detentores reveleot, & detegant, alioquin factis tribus canonicis monitionibus hujusmodi, in omnes, & singulos bona hujusmodi occupantes, & usurpantes, seu ab aliis detineri, & usurpari scientes, & non revelantes, excommunicationis seutentiam, a qua non uisi prævia satisfactione absolutioois beoeficium obtinere possint, eo ipso ferant, & pronuncient, seu ferri, & pronunciari faciant. Nou obstaotibus Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quacumque forsan- prætensa longi temporis præscriptione, & cnu tiuuata possessione, cæterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque mundi loca perferri, volumus, quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Ordinarii loci, aut alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ subscriptis, eadem prorsus fides ubique locorum,& gentium adhibeatur quæ adhiberetur, si ipsæ præsentes literæ originaliter exhiberentur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Decem. 1589. Pontificatus nostri Anno V.

Literæ Paul. V

Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Cœlestis Regis, qui pro humani geueris redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad Mortem, vices licet immeriti gerentes in Terris inter graves officii nostri curas, hanc præ cæteris in visceribus gerimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Jerusalem sunt, conserveotur; & ea, qua decet honorificientia recolantur, ac Christifidelium eleemosynę in haoc causam pie erogatæ, in alios usus non distrahantur. Quocirca dilectis filiis Generali, & Provincialibus Ministris, Commissariis, tam de Curia, quam aliis quibuscumque, necnon Custodibus, seu Guardianis, aliisque officialibus, & præsertim dictæ Civitatis, necnon fratribus quibuslibet, nunc, & pro tempore existentibus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, aliisque omnibus, & siugulis ubique locorum degentibus ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, sub privationis vocis activæ, & passivæ, necuon officiorum quæ obtinent, aut obtinebunt, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum consequenda, pœnis ipso facto incurrendis tenore præsentium perpetuo præcipimus, & mandamus, oe perpetuis futuris temporibus eleemosynas, seu aliquam earum partem, sive in pecunia, sive in quibusvis aliis

aliis rebus cujuscumque generis consistant, quæ tam pro conservatione, restauratione, ac subsidio piorum locorum dictæ Civitatis, divinique cultus in illis augmento, quam etiam pro Fratrum dicti Ordinis inibi degentium, ac Peregrinorum, in eorumdem Domibus hospitantium sustentatione, ac necessitatibus, vel aliàs per quoscumque Christifideles erogabuntur, quavis de causâ, ratione, aut occasione, vel sub quocumque prætextu, quæsito colore, vel ingenio, in alios usus etiam quantumvis pios, & urgentes, ac etiam ejusdem Ordinis, convertere, vel quibusvis aliis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiam per breve temporis spatium, commodare, alienare, hypothecare, vel aliàs quomodolibet distrahere audeant quoquo modo, vel præsumant, sed eas pro dictis piis locis, & eorumdem Ministrorum usu fideliter conservent, & eorumdem locorum agentibus nunc, & pro tempore existentibus, suis loco, & tempore integre consignent, & tradant, seu consignari curent, & faciant, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 22. Januarii 1618. Pont. nostri Anno X.

Quas literas confirmavit Gregorius XV.

§.2. Et subinde pro parte tunc existentis Terræ Sanctæ Commissarii rec. me. Gregorio Papa XV. etiam Prædecessori nostro exposito, quod in diversis Christiani orbis partibus nonnullæ personæ varia bona ad d. loca Sancta spectantia non sine gravi animarum suarum periculo, ac eorumdem locorum maximo detrimento indebite detinerent, idem Gregorius Prædecessor literas præinsertas, & in eis contenta quæcumque perpetuo approbavit, & confirmavit, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjecit.

Cavitque nequis bona ad Terram sanctam spectantia apud se retineret.

§.3. Et nihilominus utriusque sexus personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna a qua non nisi ab eo, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possent, districte præcepit, & mandavit, ne de cætero cujusvis generis bona ad loca hujusmodi spectantia quovis prætextu, causa, vel occasione apud se retinere auderent, seu præsumerent, sed illa iisdem locis, seu illorum agentibus realiter, & cum effectu restituerent, & aliàs prout in ejusdem Gregorii Prædecessoris hujusmodi literis desuper sub Annulo Piscatoris die 18. Octobris 1622. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Hujusmodi literarum nova confirmatio petitur.

§.4. Cum autem, sicut pro parte Venerabilis Fratris Ægidii Patriarchæ Hierosolymitani, ac dilecti filii Andreæ de Arco Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum professoris ejusdem Terræ Sanctæ Commissarii, Nobis nuper expositum fuit, ea firmiora sint, quibus iteratæ confirmationis apostolicæ robur adiicimus, & propterea dicti Ægidius Patriarcha, & Andreas Commissarius prædictas Prædecessorum nostrorum hujusmodi literas, per Nos confirmari, & aliàs in præmissis opportune provideri desiderent.

Pontifex confirmat.

§.5. Nos eorumdem Sanctorum locorum indemnitati quantum cum Domino possumus consulere volentes, supplicationibus Ægidii Patriarchæ, & Andreæ Commissarii prædictorum Nobis desuper super hoc humiliter porrectis inclinati, prædictas Sixti V. ac Pauli etiam V. & Gregorii XV. literas cum omnibus contentis in illis apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ inviolabilis apostolicæ firmitatis vim, & robur adiicimus.

Et mandat, prout in Rubr.

§.6. Et nihilominus omnibus, & singulis utriusque sexus personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, a qua non nisi a Nobis ipsis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint districte præcipimus, & mandamus, ne de cætero cujusvis generis bona, ad loca hujusmodi spectantia quovis prætextu, causa, vel occasione apud se retinere audeant, seu præsumant, sed illa eisdem locis, seu illorum agentibus realiter, & cum effectu restituant.

Exequutores deputat.

§.7. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis ubivis locorum existentibus, ac dilecto filio causarum curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Ægidii Patriarchæ, aut prædicti Andreæ moderni, & pro tempore existentis Terræ Sanctæ hujusmodi Commissarii fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari: Contradictores quoslibet, & Rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§.8. Non obstantibus fe. re. Bonifacii Papa VIII. Prædecessoris nostri de una, & in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate

tate præsentium ad iudicium non trahatur; necnon ab omnibus illis, quæ dicti Prædecessores in præinsertis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§.9. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Ordinarii loci, aut alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ subscriptis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium adhibeatur, quæ adhiberetur, si ipsæ præsentes literæ originaliter exhiberentur.

Datum die 18. Junii 1644. An.XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 18. Junii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declarat. munus Protectoris Collegii Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci in Conventu Sanctorum XII. Apostolorum de Urbe, & Collegii Montis Alti in Civitate Bononien. a Sixto V. erectorum spectare ad Cardinalem Pallottum uti antiquiorem Cardinalem ex Provincia Marchiæ, non autem ad Cardinalem Montaltum ejusdem Pontificis Consanguineum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Sixtus PP. V. duo Scholarium Collegia in domo Fr. Minor. Sancti Francisci Conventualium erexit.

§.1. Alias fe. re. Sixtus PP. V. Prædecessor noster in Domo Regulari Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupat. unum eorumdem Fratrum Minorum, necnon aliud Montis Alti nuncupatum Collegia scholarium Nationis Picenæ in Civitate nostra Bononien. erexit, Collegiorumque hujusmodi Protectorem S. R. E. Cardinalem ex Parentela, & familia Peretta ipsius Sixti Prædecessoris, vel in ejus defectum, ex Provinciæ Marchiæ Anconitanæ oriundum antiquiorem Cardinalem deputavit.

Et Cardinalem ex Familia Peretta Protectorem deputavit.

Existente vero ad præsens Protectore Cardinali Palotto.

§.2. Cum autem defuncto bonæ memoriæ Centino, ejusdem S. R. E. dum viveret Cardinale de Asculo nuncupato, tamquã Cardinale seniori Piceno Collegiorum prædictorum ultimo Protectore, neque existente ullo Cardinale ex familia seu parentela ejusdem Sixti Prædecessoris, Dilectus filius noster Joannes Baptista tituli Sancti Silvestri Presbyter Cardinalis Pallottus nuncupatus uti Cardinalis antiquior oriundus ex dicta Provincia, munus Protectoris dictorum Collegiorum susceperit, illoque in pacifica possessione exercendi munus Protectoris hujusmodi, Collegiaque prædicta tamquam Protector gubernandi existente, Nos dilectum, etiam filium nostrum Franciscum tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyterum Card. Montaltum nuncupat. ex familia, & parentela ipsius Sixti Prædecessoris prædicti oriundum ad sublimem Cardinalatus dignitatem promoverimus, eaque propter dubitatum fuerit utrum munus Protectoris Collegiorum hujusmodi ad prædictum Joannem Baptistam Cardinalem ante dictam Cardinalis Francisci promotionem ad munus Protectoris hujusmodi admissum illudque pacifice exercentem, an vero ad eumdem Franciscum Cardinalem uti oriundum ex familia seu parentela prædicta spectaret.

Dubitatur: utrum munus Protectoris hujusmodi ad dictum Cardinalem Protectorẽ, seu potius ad Card. Montaltum spectet.

Congregatio particularis, id hoc deputata ad Card. Pallottum spectare censet.

§.3. Nos jus suum unicuique tribui negotiumque hujusmodi, prout juris esset, definiri volentes, particularem nonnullorum Rom. Curiæ Prælatorum Congregationem, ad partes, earumque jura super præmissis audiendum, Nobisque referendum deputavimus, qui Prælati auditis Procuratoribus, & Advocatis eorumdem Joannis Baptistç, & Francisci Cardinalium, negotioque mature discusso, cum votis suis desuper exhibitis Nobis retulerint munus Protectoris Collegiorum prædictorum spectasse, & spectare ad prædictum Joannem Baptistam Cardinalem.

Quod idem Pontifex declarat.

§.4. Idcirco Nos, ut id quod Prælati prædicti hac in re censuerunt iuris esse, ut præfertur, suum sortiatur effectum, & debitæ exequutioni demandetur, pro cura Nostra Pastorali providere volentes motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, munus Protectoris dictorum spectasse, & spectare ad dictum Joannem Baptistam Cardinalem apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus. Necnon eumdem Joannem Baptistam Cardinalem munus prædictum, uti dictorum Collegiorum Protectorem plenarie exercere libere, & licite potuisse, & in futurum posse, & valere.

Et ita ab omnibus judicari statuit.

§.5. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu, & auctoritate similibus decernimus.

Obstantibus derogat.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias, in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Datum die 1. Julii 1644. An.XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 1. Julii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Cleri-

DCCLXXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Clerici conjugati Insulæ Melevitanæ quoad functiones Militares Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani subiiciuntur cum prohibitione ne eis concedantur exemptiones.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Clericos conjugatos Insulæ Melevitanæ quoad functiones militares M. Magistro Hospitalis Sancti Jo. Hierosolym. subjicit.

§.1. NE Insulæ Melevitanæ firmissimi adversus immanissimos Turcas Italiæ propugnaculi adeo necessaria tuitio ullo modo negligatur Clericique conjugati ejusdem Insulæ, privilegii clericalis prætextu solitas functiones Militares pro defensione, & custodia Insulæ hujusmodi obire detractent quantum cum Domino possumus providere volentes, supplicationibus dilecti filii Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Nobis desuper humiliter porrectis inclinati, eidem Magno Magistro, nunc, & pro tempore existenti, uti personæ ecclesiasticæ omnes, & singulos Clericos conjugatos dictæ Insulæ ut equum tenere si sufficientes ad id facultates habeant, & solitas functiones militares, custodiasque facere pro defensione, & custodia ejusdem Insulæ adversus Turcas, & piratas, debeant quoad ista, itaut ad tenendum equum, & faciendum dictas functiones, custodiasque respective possint opportunis juris, & facti remediis cogi a prædicto Magno Magistro, vel persona ecclesiastica per eum deputanda.

Quoad reliqua vero omnia Melevitano Episcopo.

§.2. In cæteris vero iidem Clerici conjugati Venerabili Fratri Episcopo Melevitano, nunc, & pro tempore existenti remaneant subjecti, juxta sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, sacrorumque Conciliorum præsertim Tridentini decretorum dispositionem, apostolica auctoritate, tenore præsentium subiicimus.

Clausulas apponit.

§.3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbū insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemptiones prohibet concedi.

§.5. Volumus autem, & in virtute sanctæ obedientiæ injungimus prædicto Magno Magistro nunc, & pro tempore existenti, ut invigilare teneatur, ne Priores, Bajulivi, Præceptores, seu Commendatarii, Capitanei, aliique Officiciales, & Ministri dicti Hospitalis quomodolibet qualificati, quoquo modo, vel ex quacumque causa concedant aliis ad præmissa obligatis, exemptiones, francos nuncupat. a prædictis oneribus, ac functionibus Militaribus, & Custodiis ultra consuetum, præsertim ultra illas, seu illos quæ, & qui solent etiam jurium statutorum, seu stabilimentorum, ac ordinationum capitularium ejusdem Hospitalis apostolica auctoritate confirmatorum, concedi, illis qui actu inserviunt communi ærario, infirmatæ, ac in quibuscumque aliis functionibus, & servitiis Hospitalis prædicti: Prioribus vero, Bajulius, Præceptoribus, seu Commendatariis, Capitaneis, cæterisque prædictis, & aliis quibuscumque, sub amissionis antianitatis, ac majoris excommunicationis pœnis ipso facto incurrendis, nequoquo modo, vel ex quacumque causa audeant præfatas exemptiones, seu francos concedere prohibemus.

Datum die 28 Julii 1644 An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 28. Julii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas quibusvis Rectoribus, ac Defensoribus, & Superioribus quarumcumqueEcclesiarum consignandi Capitaneis & aliis Officialibus Triremium Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Remiges voluntarie obligatos *Bonas voluntates* nuncupatos, qui ut servitium remigandi declinent, ad Ecclesias confugiunt.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva concedendæ facultatis.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Glandenes de Lueges Frater Miles Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ejusque apud Nos, & Apostolicam Sedem Orator, quod inter Remiges Triremium dicti Hospitalis, qui voluntarie, cum certo stipendio remorum servitio se addixerunt, & *Bonæ voluntatis*, vulgo vocantur abusus, ab aliquo citra tempore introductus est, ut quando dictæ Triremes sunt in procinctu ad iter faciendum, nonnulli ex prædictis Remigibus ne ad remigandum in illo

illo itinere, quod sibi tunc minus placeat cogantur, ad Ecclesias confugiunt, e quibus sese extrahi non posse, sed immunitate Ecclesiastica gaudere debere prætendunt, pront evenit anno 1641. quo vigintisex ex Remigibus hujusmodi ad Ecclesias confugerunt, necnon etiam anno proxime præterito, quo dictæ Triremes, ut Nobis, & Apostolicæ Sedi inservirent ad Portum nostrum Civitate Vetulæ venerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat navigationes dictarum Triremium, inde turbari, itineraque destinata prorsus impediri possint, cum bonæ voluntates hujusmodi Remigum, robur præcipuum constituant maxime in expeditionibus contra Infideles, in quibus, cum opus est, ipsi etiam armis decertant, neque periculum est, ut servi Turcæ aliquid in favorem Infidelium machinentur, eoque casu recursus ad Episcopos pro licentia extrahendi confugientes ad Ecclesias haberi non possit, qui, & dubitant, an licentiam hujusmodi concedere valeant, sæpeque distant ab Ecclesiis, ad quas Remiges præd. confugerunt, itaut interim elabatur occasio navigationis magno cum dicti Hospitalis detrimento; neque iidẽ Remiges extra triremes vinceri possint, quippe, qui sese Remigiis servitiis nequaquam addicerent, nisi vinculis exempti libertate fruerentur quando triremes prædictæ sunt in Portu, Nobis propterea dictus Jacobus Orator nomine dicti Hospitalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas, de qua in Rubr.

§.2. Nos igitur indemnitati ejusdem Hospitalis, hac in re, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quibusvis Rectoribus, ac Defensoribus, & Superioribus quarumcumque Ecclesiarum, sive secularium, sive regularium, in quas Remiges prædicti, ut servitium remigandi in dictis Triremibus, ad quod se sponte obligarunt, subterfugiant sese pro tempore receperint licentiam consignandi illos Capitaneis, & aliis Officialibus Triremium, quarum servitio erunt adstricti, ita tamen, ut ipsi Remiges ratione dicti confugii ad Ecclesias a Capitaneis, & Officialibus hujusmodi, vel quocumque alio quavis auctoritate fungente sub censuris, & pœnis, etiam in Constitutione fel. recor. Gregorii Papæ XIV. Prædecessoris nostri de immunitate Ecclesiarum, quæ incipit. Cum aliàs sub dat. nono Kalendas Junii 1591. Pontificatus sui anno primo contentis eo ipso absque alia declaratione incurrendis, nullatenus puniri valeant, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur prædicta ejusdem Gregorii Prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus editis, necnon quarumvis Ecclesiarum, ac dicti Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 28. Julii 1644. An. XXI.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Julii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimoprimo.

Finis Pontificatus Urbani VIII.

INDEX

NOMINUM, ET RERUM PRÆCIPUARUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

Numerus Paginam indicat, A primam columnam, B secundam designant.

A

ADrianus Gallus Notarius A. C. 314. *b.*
S. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus Cenobitas colligit, regulamqne tradit, qui postea Carmelitæ sunt appellati. 186. *b.*
Albertus Episcopus Ratisbonensis. 340. *a.*
Albertus Massarius Prior Generalis Carmelitarum. 411. *a.*
Alexander Episcopus Neocastrensis spoliorum Collector in Regno Portugalliæ. 231. *a.*
Molestias nonnullas a Regni Ministris passus Matritum se confert. 233. *b.*
Alexander Card. Bichius. 414. *a.*
Alexius Chrisostomus Notarius A.C. 314. *b.*
Anconitani mercaturam exercere possunt sine præjudio Nobilitatis. 428. *a.*
S. Angeli in Vado Oppidum in Civitatem erigitur. 49. *a.* Ecclesiastici si quæ bona in emphyteusim concessere, finita emphyteutæ linea, proximioribus defuncti tenentur concedere. 169. *b.*
Angelicus Rampulla Congreg. S. Joannis de Deo Procurator Generalis. 148. *b.*
Angelus Picus U. S. Referendarius. 37. *b.*
Anna Columna Thadæi Barberini Uxor. 116. *b.*
Ant. Card. Barberinus duodecim Alumnatus in Collegio Urbano pro Georgianis, Persis, Chaldæis, Syris, Melchitis, & Cophtis suo ære fundat. 94. *a.* Alios quoque tredecim Alumnatus erigit Æthiopis, ac Bracmanis. 199. *a.*
Ant. Card. Sanctaerucius Ordinis Minimorum Protector. 279. *a.*
Ant. Raynaldus Notarius A. C. 314. *b.*
Aquilejensis Patriarchatus pars, quæ Roman. Imperatori subest, per Thessalonicensem Archiepiscopum visitatur. 16. *b.*
Fr, Ascanius ab Assisio Procurator Generalis Ord. Min. Reformatorum. 190. *b.*
Auditoris Cameræ Apost. Notarii. 314. *a.* Statuta ab eis servanda. *ibid.*
Avenionensia Coll. S. Nicolai de Anexiaco, & de Ruvere regimini Congr. de Prop. Fide subjecta. 191. *a.* & 244. *b.*
Augustinus Gonzalez Davila Capitulorum Castellæ, & Legionis in Rom. Curia Procurator. 234. *b.*
Augustinus Thnclus Notarius A. C. 314. *b.*
S. Augustini Heremitarum Ordo. 80. *a.* Sanctorum Augustini, & Nicolai de Tolentino Imagines cum habitu Discalceatorum minime pingendæ. 129. *a.*
—— Discalceati Crucem publicis in Processionibus possunt erigere. 80. *a.* Libros ex Bibliothecis extrahere sub excommunicationis pœna vetitum. 363. *b.* Pro Congr. Galliæ edita statuta. 99. *b.*

B

SAnctorum Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus Ordo. 402. *b.* Ejus suppressio, *ibid.*
Bartholus Venturones pro sustentatione nonnullarum Orphanorum quatuor millia, & quingenta scuta legat. 361. *a.*
S. Basilii Congregatio Italo-Hispana a Gregorio XIII. erecta. 202. *b.* Ei addicta Monasterii del Tardon, & de Gualliguillos. *Ib.* In qnibus tamen quartam partem Choristæ componant, aliæ tres partes ex Laicis consentur. 203. *a.*
S. Birgittæ Congregatio. *Vide* S. Salvatoris Congregatio.
Blasius a Cherso Ordinis S. Francisci Conventualium Procurator Generalis. 39. *a.*
Bona Deo dicata prophanos in usus converti nequent. 146. *b.*
Bononia. 151. *a.* Regimini Civitatis facultas data duo imponendi vectigalia super serico. *ibid.*
Bononiæ Collegium Montis Alti a Sixto PP. V. erectum. 305. *a.* numerus Alumnorum ad triginta redactis. 305. *b.* Cæteri redditus Triremibus Pontificiis addicti. 306. *a.*
Breviarium Romanum a Pio PP. V. recognitum. 380. *a.* A Clemente VIII. emendatum *ibid.* Hymni ab Urbano VIII. reformati. 380. *b.*
Bursfeldensis Congregatio Ordinis S. Benedicti. 389. *b.* Monachi hujus Congregationis uti debent Breviario Benedictino, quod Paulus PP. V. approbavit. *ibid.*

C

CÆsar Fachenettus Archiepiscopus Damiatæ Sedis Ap. Nuncius in Hispania. 280. *a.* Nonnulla Decreta fert in præjudicium ecclesiasticæ jurisdictionis. *ibid.*
Cæsari Episcopo Civitatis Castelli committitur cognitio Causæ vertentis inter Cardinalem Franciottum Archiepiscopum Lucaoum, & Rempublicam super violata immunitate ecclesiastica. 213. *b.* & *seq.* Et eamdem Rempublicam ecclesiastico subiiciendi interdicto. 241. *b.*
Canonici suum officium per substitutos præstare nequeunt. 348. *a.*
Cappuccinorum Ordo. 150. *a.* Libros ex Bibliothecis Ordinis abstrahere sub excommunicationis pœna vetitum. *ibid.* Provinciales autem possunt libros inutiles uno utilibus per Syndicum commutare. *ibid.*
Carmelitarum Ordo. *pag.* 1. *a.* Quibus in Conventibus laici ad Novitiatum peragendum admitti queant. *ibid.* Qui studiorum cursum

sum in aliqua Universitate exegerit, gradum Magisterii in ea suscipere possunt. 3. b. Sive etiam in Collegio Salamantino Sanctæ Theresiæ. ibid. Collegii Naubertini Parisiensis Constitutiones. 87. a. Heremus in Gallia pro successo ab Henrico de Gournais Comite de Marcheville fundata. 186. b. Statuta Provinciæ Narbonensis confirmata. 411. a.

— Discalceatis sub pœna excommunicationis vetitum, quominus eleemosynas a Christifidelibus tributas pro conservanda possessione Montis Carmeli in alios usus impendant, 34. b. Ex Bibliothecis Librorum extractio vetita. 323. b. Quis Monial. numerus in singulis Monasteriis esse debeat. 419. b.

Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux. 333. b.

Callinensium bona in Italia multo alieno ære gravata. 102. b. Data Abbatibus facultas ea in emphytheusim concedendi, vel etiam annuncios censibus gravandi ad summam 250000. aureorum. 103. a. 377. a. 378. b. Ad id autem nulla requiritur Cardinalis Protectoris licentia. 157. a. In Ecclesiis Parochialibus cura animarum per Monachos ad nutum Superiorum regularium amovibiles exerceri potest. 156. b. Monachi ad Processionē dumtaxat Sanctissimi Sacramenti accedere tenentur. 161. a.

Castri Durantis Oppidum in Civitatem erigitur. 49. a.

S. Claræ Moniales in Hispania quibus a Decimis sint exemptæ. 228. b. Quæ summa pro unius cujusque substentatione sit computanda. 229. a.

Clemens PP. VIII. Castra in statu ecclesiastico sine Pontificis licentia vendi prohibet. 78. a. Cavet, ne Regulares ad professionē admittantur in Domibus a se non approbatis. 97. a

Clemens del Pezzo sex millia scutorum erogat in dotem alicujus per Ecclesiæ in partibus infidelium 409. a.

Clerici Regulares Ministrantes Infirmis. 98. b. Capitulum Generale de sexennio in sexennium celebrandum. 99. a.

Clerici Regulares Scholarum Piarum. 12. a. In Decretis pro Regularium reformatione editis non comprehenduntur. ibid.

Clerici Regulares Minores. 97. a. Eis concessa facultas Novitios ad habitandum, & professionem admittendi. 97. b. Excipiuntur a Decretis a Clemente PP. VIII. hac super relatis. 98. a. Si quæ personalia privilegia contra Congregationis suæ statuta obtinuerint, nulla sunt, & irrita. 201. b.

Collegium Urbanum de Propaganda fide. 93. b. Duodecim Alumnatus in eo erigit Card. Antonius Barberinus pro Georgianis, Persis, Nestorianis, seu potius Caldeis, Jacobitis, seu Syris, Melchitis, & Ophtis. 94. a. Quæ eorum qualitates, qualia onera esse debeant, præscribit Urbanus VIII. 94. b. Qui eis cæterorum Alumnorum Collegii ejusdem privilegia concedit. 95. a. Idem Cardinalis alios tredecim erigit Alumnatus pro Æthiopis, ac Bracmanis. 199. a. Qui Collegii legibus subiciuntur. ibid. Collegium ipsum regimini Congregationis de Prop. Fide committitur. 284. a.

Confraternitatibus non licet Processiones extra ambitum suæ Ecclesiæ facere sine licentia Parochi, dummodo non habeant speciale Indultum Sedis Apostolicæ. 10. b.

Congregatio Rituum methodum præscribit Regularibus, & Confraternitatibus Processiones faciendi. 10. b.

Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis. 270. b. ejus scripta, opinionesque damnantur, ibid. & seq.

Cosmus Medices M. Hetruriæ Dux subsidium sibi ab ecclesiasticis Pisanis præstari obtinet. 171. b.

Cruciatæ officia vendi non possunt. 42. a.

Cypriaous Pallavicinus Archiepiscopus Genuensis. 110. b. Synodum cogit, legesque fert pro bonis ecclesiasticis salvis, tectisque servandis. ibid.

D

Diomedes Mussus. 284. b.

S. Dominicus Neapolitanæ Civitatis Protector eligitur. 249. a.

Dominicus Burattus Notarius A. C. 314. b.

Dorothea Bonfiola ære suo Monasterium pro Puellis Orphanis suo ære construi curat. 361. a.

E

Eborensis Universitas. 387. a. Contra illius membra procedere Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem vetitum, nisi dumtaxat in Causis fidem catholicam includentibus. ibid. & pag. seq.

Episcopi si ultra sex menses suis a Diœcesibus absint quartam partem fructuum amittunt. 13. a. Post alios sex menses aliàm quartam partem. ibid. Si vero adhuc fuerint contumaces a Rom. Pontifice ipsis privari possunt Ecclesiis. ibid. Possunt contra Canonicorum Coadjutores procedere etiam sine adjunctis, nisi tamen illis omnia Canonicorum privilegia concessa fuerint. 248. b. Illorum causæ Sedis Ap. judicio sunt reservatæ. 307. b. Novas Festos dies de præcepto indicere non debent. 342. a.

F

Fabritius Cardinalis Verallus. 156. a.

Ferdinandus III. Rom. Rex 20. a. In Imperatorem eligitur. 121. b. 159. b. Quæ electio ab Urbano VIII. confirmatur. 162. a. Ei primariæ preces concessæ. 162. a.

Ferdinandus M. Hetruriæ Dux subsidium sibi a Clero Pisano præstari obtinet. 172. b. Civitatem Plebis, ac Terram Castilionis Sedi Apost. restituit. 414. a.

Ferdinandus Archiepiscopus, & Elector Coloniensis. 34. a. Ei data facultas subsidium a Leodiensi Clero accipiendi. ibid. Et ecclesiasticos ad solutionem nonnullorum vectigalium compellendi. 283. a.

Franciscus Card. Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius. 39. a.

Franciscus Ingolus Congreg. de Propaganda Fide Secretarius. 69. a.

Franciscus Card. Rupifulcadius. 99. b.

Franciſcus Maria Ghiſlerius S. Rotæ Auditor 148. a.
S. Franciſcus Xaverius. 165. b. Indulgentia Plenaria eccleſias Societatis Jeſu viſitantibus ejus die feſto, etiamſi transferatur. ibid.
Franciſcus Caſtagnacci J. U. D. deputatur in Promotorem Fiſcalem cauſæ vertentis inter Lucanam Rempublicā, & Card. Franciottum Archiepiſcopum. 220. a.
Franciſcus Franceſchinus Curiæ Capitolinæ Protonotarius. 282. a.
Franciſcus Jacobus Belgius Notarius A.C. 314. b.
Franciſcus Guilielmus Epiſcopus Oſnabrugenſis Coadjutor Epiſcopi Ratisbonenſis pactiones nonnullas init cum Capitulo Ratisbonenſi, quas irritat Urbanus PP. VIII. 342. a.
Franciſcus Dux Mutinenſis eccleſiaſticos, eccleſiarumque bona inſolitis vectigalibus gravat. 349. a.

G

GAſpari Archiepiſcopo Athenarum committitur cognitio Cauſæ Archiepiſcopi Trevirenſis. 212. b.
Gaſpar Columna Notarius A. C. 314. b.
Gaſpar de Guzman Comes de Olivares. 222. a.
Gaſpar Epiſcopus Montis peſſulanus S. A. apud Bavariæ Ducem Nuncius. 333. b. Ei committitur ut dimiſſioni Cardinalitiæ dignitatis a Mauritio a Sabaudia faciendæ adſit. 333. b.
Gaſpar Sanchez Ordinis Minorum Procurator Generalis. 299. b.
Genuenſis Provincialis Synodus habita anno 1574. 110. b. Leges fert pro bonorum eccleſiaſticorum conſervatione. ibid.
Georgius Conæus Scotus. 211. b.
Gneſnenſis Archiepiſcopus, Regni Poloniæ Epiſcopos cogere poteſt, ut Comitiis generalibus interſint. 12. b.
Gregorius de Piſauro Abbas Generalis Congregationis Camaldulenſis. 38. a.
Gregorius a Parma Cappucinorum Procurator Generalis. 378. b.
Gregorius Papa XIV. Immunitati eccleſiaſticæ in Diæceſi Saguntina conſulit. 181. a.
Gundiſalvus Epiſcopus Calaguritanus a cenſuris abſolvi petit ob recurſum a Promotore Fiſcali ſuæ Curiæ ad Laicum Tribunal habitum. 109. a.
Gymnaſium Romanum. 106. a. Cathedra Artis Medicinæ aliquot ab annis interrupta reſtituitur. ibid.

H

HEbræis Carceratis ſi pauperes ſint alimenta a creditoribus præſtari voluerunt Pius V. & Paulus V. 41. b. Ab ipſorum vero Communitate præſtanda eſſe decrevit Urbanus VIII. 42. a.
Helveticum Collegium Mediolani erectum. 110. a. Canonici ejus regimini præpoſiti, quamvis non reſideant, fructus ſuorum Canonicatuum percipiunt. 110. a.
Henricus de Gournay Comes de Marcheville Heremum pro Carmelitis in Gallia fundat. 186. b.
Hyberniæ Regnum hæreſi infectum. 383. a. Hyberniis catholicis Jubilæum conceſſum. ibid.
S. Hieronymi Ordo Congregationis Feſulanæ. 174. b. Ambientes, quærentesque Prælaturas, vel officia Ordinis ab iis arcendi. 175. a. Immo ad illa obtinenda incapaces declarantur. ibid.
Hieronymus Archiepiſcopus Patracenſis Urbani VIII. Nuncius apud Helvetios, ac Rhetos. 265. b.
Hieronymus Battagliani C. A. ſpoliorum in Portugalliæ Regno ſubcollector. 307. b.
Hoſpitale B. M. de Miſericordia Saonæ erectum. 357. a. Viſitationi Epiſcopi Saonenſis ſubjicitur. ibid.
Hungariæ Regni eccleſiaſticis Breviarii Romani uſus præſcriptus. 39. a.

I

SAncti Jacobi de Spata, de Alcantara, & de Calatrava Militiarum Commendas, & Beneficia qui obtinent, fructuum hujuſmodi Beneficiorum partem Ærario publico tenentur ſolvere, licet ea cum diſpenſatione apoſtolica obtinuerint. 170. b.
Jacobus Salviatus Dux Caſtrum del Rio in ſtatu eccleſiaſtico emit. 78. a.
Indi Præcepto Paſchali ſatisfacere poſſunt a Dominica Septuageſimæ uſque ad Octavam Corporis Chriſti. 183. a. In ſervitutem eos redigere non licet, aut bonis ſpoliare. 183. b.
Innocentius Papa III. Ordinem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum approbat. 52. a.
Joanna Baptiſta de Bourbon Ordinis Fontis Ebraldi Abbatiſſa Generalis. 338. b.
Joannes Andreas ab Auria Oppidum Burgi Vallis Tari occupat. 76. b.
Joannis Baptiſta Card. Pallottus Eccleſiam, Hoſpitiumque Romæ pro Picena Natione erigi curat. 84. b.
Joannes Baptiſta Card. Pamphilius. 36. b. 344. b.
Joannes Baptiſta Coccinus S. Rotæ Decanus. 145. a.
Joannes Baptiſta de S. Petro Bononienſium apud Urbanum VIII. Orator. 151. a.
Joannes Baptiſta Lomellinus Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarius. 318. b.
Joannes Baptiſta Vives Collegium de Propaganda fide ſuo ære fundat. 284. a.
Joannes del Hierre Ordinis S. Franciſci de Obſerv. Miniſter Generalis. 310. b.
Joannes Jacobus Panzirolus S. R. Rotæ Auditor. 104. b.
Fr. Joannes Merinero Miniſter Generalis Ord. Minorum S. Franciſci. 209.
Joannes Perez de Munebrega Ord. B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum Procurator Generalis. 237. b.
Joannettinus Card. ab Auria Eccleſiæ Panormitanæ Archiepiſcopus. 71. a. Facultas ei conceditur vectigal quoddam eccleſiaſticis ſuæ Diœceſis imponendi ad æs alienum Civitatis diſſolvendum. 176. a. 177. b.
S. Joannis Baptiſtæ Vigilia, ſi cum Feſto Corporis Chriſti concurrerit, non jejunandum eſſe decrevit S. Rituum Congr. 158. a. Et Urbanus VIII. 158. b.
S. Joannis Dei Congregatio. 148. a. Conventus, & Ho-

& Hospitalia, in quibus duodecim commorantur Religiosi, ab Ordinariorum jurisdictione sunt exempta. *ibid.* Quidquid vero illi acquirunt,non sibi præter victum, & vestitum, sed pauperibus infirmis acquirunt. *ibid.* Itaque plures ad habitum admittendi non sunt, nisi quos infirmiorum necessitas exigit. *ibid.*
S. Joannis Hierosolymitani Militia. 5. *a*. Cœremoniale in electione M. Magistri servandum. *ibid.* M. Magistro data facultas vectigal imponendi in Insula Melevitana. 153. *b*. Sede magistrali vacante, Consilium status redditus, juraque M. Magistro competentia diminuere nequit. 208. *b*.
V Josaphat Archiepiscopus Ruthenus Polocensi BB. Martyrum Albo adscribitur. 381. *b*. Ejusque officium, & Missa celebrari permittitur. *ibid.*
Jubilæum universale ad divinam opem implorandam indictum.66.*b*.135. *a*.276.*b*.404.*b*.
Judex Laicus super Bonis ecclesiasticis manus apponere ex Sacrorum Canonum præscripto non potest. 146. *a*.
Julius Card. Sacchettus. 36. *b*.

L

LArentius Episcopus Senogalliensis. 299. *a*.
Lauretani Pœnitentiarii Majori Pœnitentiario subiiciuntur, a quo facultates per viam communicationis accipere debent. 58. *b*.
Legatus Papæ a loco sui officii expulsus in subditos illius Dominii suis obique potest uti facultatibus. 231. *b*.
Leodiensi Clero potestas facta subsidium Ferdinando Archiepiscopo, & Coloniensi Electori tribuendi. 34. *a*.
Lillæ in Belgio Collegium Hybernorum erectum. 68. *b*. Oriundi ex Provinciis Lagenia, & Media dumtaxat in eo admittendi. *ibid.*
Loca Montium non afficiuntur pactionibus,quæ inter particulares personas ineuntur, nisi Officialium ad conficiendas Literas pateotes deputatorum licentia accedat. 107. *a*.
Lucana Respublica. 213. *b*. Immunitatem ecclesiasticam violat. *ibid.* Ecclesiastico subiicitur interdicto. 241. *a*.
Ludovicus de Torres Cameræ Apostolicæ Clericus. 180. *a*.
Ludovicus Piccardus status Castrensis, quoad temporalia visitator. 297. *a*. Atque etiam Terræ Montis Alti. 298. *a*.
Ludovicus XI. Galliarum Rex. 412. *a*. Ei concessum Indultum nominandi ad Ecclesias, & Monasteria Brittaniæ, & Provinciæ. 412. *b*.

M

MArcellus Card. Lantes 344. *b*.
Marcus Antonius Card. Franciottus Archiepiscopus Lucanus. 213. *b*.
Marcus Aurelius Maraldus U. S. Referendarius, Index deputatus in Causa Controversiarum oportarum in Ord. FF. Prædicatorum. 350. *b*.
S. Mariæ in Balneo Monasterium. 36. *b*. Quibus in rebus Abbas Episcopo Burgi S. Sepulchri sit subiectus. *ibid.*
Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Ordo. 236. *b*. Opus Redemptionis ad Calceatos privative spectat. *ibid.*
— Discalceati legata pro Redemptione accipere nequeunt. 237. *b*. Nec ap hunc finem eleemosynas petere. *ibid.* Legatum agit Provinciæ Romandiolæ. 246. *a*
Maria Imperatrix Confraternitatem in Sacello Aulico Viennæ instituit 145. *a*.
Marianus Alidosius Castorum del Rio absque licentia Sedis Ap. vendit 78. *a*. Committitur Congregationi Consiuium, ut contrB ipsum agat. *ibid.*
Fr. Martialis de la Chaumette in Provincia Rocollectorum S. Bernardini in Gallia Capitulum contra formam Literarum Apostolicarum celebrat. 132. *b*.
Martius Card. Ginettus Carmelitani Ordinis Protector pag. 1. *a*. Conventus in singulis Provinciis designat, in quibus Laici ad Novitiatum admitti possint. *ibid.*
Matrimonium magnum est in Ecclesia Sacramentum. 103. *b*. Qui prima vivent uxore ad secundas nuptias transeunt, Triremium perpetua pœna plectendi. *ibid.*
Matthæus Mortuellus Clericorum Regularium Ministraotium infirmis. 98. *b*.
Mauritius Card. a Sabaudia Cardinalitiam dignitatem abdicat. 333. *b*.
Maximilianus Henricus Bavarus Archiepiscopi Coloniensis coadjutor. 331. *b*. Pacta nonnulla init cum Capitulo Coloniensi, quæ ab Urbano Papa VIII. irritantur. *ibid.*
Medula Legato Romandiolæ addicta. 246. *a*.
Mercatelli Oppidum Urbaniæ Ecclesiæ addicitur. 81. *a*.
Fr. Michael Mazarinus Prov. Romanæ Ord. Præd. Provincialis. 189. *a*.
Minimorum Ordo. 96. *a*. Admitti in eo nequeunt Trinitarii Discalceati. *ibid.* Laici vocem habeot in admissione Novitiorum ad professionem. 278. *b*.
Minorum S. Francisci Ordo. a. *b*. Duo Germani Fratres Definitoriis interesse nequeunt. p. 11. *b*. Nec consanguineus Ministri Provincialis io primo, vel secundo gradu potest illi succedere in officio. 113. *a*. Recollecti, qui a perfecta Regulæ Observantia declinarunt in Conventibus Observantium recipiendi. 114. *a*. In Cismootana Familia Lectores Jubilati institui deboot ad formam Constitutionum Ordinis. 133. *b*. Provinciales Religiosis pro Sacris Ordinibus suscipiendis Literas Dimissoriales concedere possunt. 149. *b*. Tertiariorum habitum sine SuperiorumOrdinis licentia deferre nemini licet. 157. *a*. Qui secus egerint, a locorum Ordinariis carceri suot mancipandi. 157. *b*. Secretarii Generales in Ministrum, seu Commissarium Generalis Ordinis eligi non possunt nisi transacto sexennio post expletum officium. 195. *a*. Confraternitas Conceptionis in Ecclesia Sanctæ Barbaræ Oppidi de Chaul Goæ erecta. 203. *b*. Cum Indulgentiarum concessione. 204. *a*. Privilegia quæcumque personalia abrogata. 204. *b*. Patres Provinciæ in Fa-

in Familia Ultramontana restituti. 205. b. Quibus pœnis afficiendi sint, qui officia Ordinis ambiunt, aut conquirunt. 208. b. Provincinciales Iudiarum fnos Commissarios ad Capitula Generalia possunt delegare. 209. a. Qui quidem Commissarii Definitorum Provincialium privilegiis fruantur. 334. b. Capitulum Gen. Romæ anno 1639. celebratum. 249. b. Statutaque Generalia in eo condita. 250. a. Quæ confirmantur. ibid. Commissarii Iudiarum super observantia Constit. Ordinis dispensare nequent. 299. b. Fratres in Conventu Aracœlitano viventes sunt sub obedientia Commissarii Generalis Ordinis. 302. b. Quæ in S. Mariæ Angelorum Ecclesia in festo Porriunculæ eleemosynæ a fidelibus offeruntur, ad Observantes pertinent. 373. a.

Minores Reformati. a. b. Quis Ordo præcedentiæ inter eos sit servandus. ibid. In Provinciis S. Bernardini, & S. Mariæ Magdalenæ in Gallis non datur privilegium, quod vocant, Patrum Provinciæ. 86. a. Libri e Bibliothecis, sacraque supellectilia e sacrariis non extrahenda. 113. b. Domus omnes eis confirmatæ. 190. a. Cismontanæ Familiæ Custodiæ in Provincias erectæ. 193. b. Custodia Transilvaniæ erecta. 236. b. Cæterarumque Custodiarum privilegia ei comunicata. 237. a. Prominiftri, Custodes, & Guardiani per suffragia secreta eligendi. 347. a. Quæ methodus in præcedentiis sit servanda. 352. b. Provincia S. Vigilii erecta. 360. a. Indulgentia plenaria Altaribus Conventuum Provinciarum Hyberniæ concessa. 410. b.

Minores Discalceati. Provinciæ S. Jo: Baptistæ in Hispania concessa privilegia. 195. b. Facultatem habet erigendi Conventus de sola Ordinarii licentia. 196. a. Et a solo Visitatore Discalceato potest visitari. 196. b. Cæterarum vero Provinciarum fruitur privilegiis. 197. a. Provinciæ, & Custodiæ Hispaniarum, & Indiarum sua habent peculiaria statuta. 353. b. Possunt suum peculiarem Procuratorem in Romana Curia habere. 354. b. Subjectæ tamen sunt Ministro Gen. Ordinis. 355. a. Provincia S. Antonii in Portugalliæ Regno instituta. 226. b. Suis specialibus Constitutionibus regenda. 226. b. Visitator nonnisi ex Discalceatis eligendus. ibid. Fratres hujus Provinciæ ad alias Provincias non transferendi. 227. a. Gaudent vero aliarum Provinciarum privilegiis. ibidem. Præcedunt Heremitas Ord. S. Augustini. 385. a.

Minores Discalceati, nulla gaudent exemptione, aut titulo Lectoris Jubilati. 48. b.

Minores Recollecti in Galliis. 114. a. Si a regulari observantia desciverint, ab Observantibus recipi debent. ibid. Capitulum Provinciale contra formam Liter. Apost. celebrant. 132. b. Quod irritatur. 133. a. Jura hujus Congregationis. 316. b.

Minores Conventuales. 39. b. Parvos Conventus in quibus sufficiens FF. numerus pro observantia regulari sustentari nequit, supprimere debent. ibid. Cum sint vere Mendicantes arceri nequeunt a questu faciendo. 236. a.

Molitores Urbis. 184. b. Molæ, domusque contiguæ iis tantum locandæ. ibid. Nec pensiones pro iis augendæ. ibid. Si vero vendantur Molæ ii semper sunt præferendi. 185. a. Si quæ causæ contra eos agantur, ab Annonæ Præfecto sunt privative judicandæ. ibid. Laici Clericos præcedere non debent. 346. b.

Montis Oliveti Congregatio. 136. b. Abbates Monasteriorũ pauperiorum census creare possunt de Abbatis Generalis, seu Procuratoris Gen. licentia. 137.

N

NEophytorum, & Cathecumenorum Collegium Romæ erectum. 56. a. Omnes Synagogæ Status Ecclesiastici tenentur ei solvere 10. duc. auri de Camera. ibid.

Nicolaus Tornabous Episcopus Burgi Sancti Sepulchri. 37. b.

Fr. Nicolaus Rodulphius a Magisterio Ordinis Prædicatorum removetur. 350. a. Quæ amotio nulla, & irrita declaratur. 371. b.

S. Norberti Ord. Præmonstr. dies festus 11. Julii celebrandus. 382. a.

Notarii Capitum regionum Urbis ex Collegio Notariorum Capitolin. desumendi. 225. a.

Nuncius Apostolicus a loco sui officii expulsus potest in subditos illius Dominii suis facultatibus ubique locorum uti. 231. b. 319. a.

O

ODoardus Farnesius Parmæ, & Placentiæ Dux. 393. b. Bondeni, & Ostellatæ Terras Sedi Apostolicæ restituit. 414. b.

Oratorii Congregatio Romana. 115. a. A Summis Pontificibus approbata, variisque aucta privilegiis. ibid.

—Neapolitana. 115. a. Ei communicata privilegia, quæ a Pontificibus Congr. Romanæ concessa sunt. ibid. 116. b.

Orphanarum puellarum Monasterium ad Ædes SS. IV. Coronatorum Romæ erectum. 136. a. Privilegiaque Monialibus Ordinis S. Augustini a Summis Pontificibus concessa sunt, ei communicata. 362. a.

P

PArochus non debet impedire electionem sepulturæ. 134. b. Nec plus ab iis accipere, qui in Regularium Ecclesiis, quam ab iis, qui propria Parochia sepeliuntur. ibid.

Paulus V. Feuda Status Ecclesiastici sine licentia Summi Pont. vendi prohibet. 78. a.

Paulus Fliscus Abbas S. Mariæ in Via-Lata Genuæ. 110. b.

Paulus PP. III. sub excommunicationis pœna cavit, quominus Indi in servitutem redigantur, aut bonis spolientur. 183. b.

Paulus Lascaris Castellar M. Magister Hospitalis S. Jo: Hierosol. 208. b.

Paulus Bessus Ferrerius Fliscus. 18. a. Marchionatus Masserani, nonnullaque alia loca in feudum obtinet cum onere annuũ censum Cam. A. persolvendi. 18. a.

Petrus Card. Pasmanus Archiepiscopus Strigoniensis. 39. a.

Petrus a S. Jacobo Episcopus Celsonensis. 394. b.

Petrus

Petrus Franciſcus de Rubeis C. A. Advocatus Fiſcalis. 350. b.

S. Philippus Nerius Congr. Oratorii Romæ erigit. 115.

Philippus IV. Hiſpan. Rex ut ſubſidium Ferdinando II. Imper. pro bello contra Hæreticos ferret, decimam ab Urb. VIII. imponi obtinet ſuper Beneficiis ſuorum Regnorum. 20. a. Monetur, ne Eccleſiarum bona in Portugalliæ Regno occupari ſinat. 81. a. Ei conceſſum Indultum nominandi ad Monaſteria in Belgio, & Com. Burgundiæ. 262. a

Philippus Chriſtoph. Archiep., & Elector Trevirenſis. 31. a. A Militibus Philippi IV. Regis Hiſpan. captivatur. ibid. Ex mandato Urbani VIII. a Nuncio Apoſt. in Belgio in cuſtodiam recipitur. ibid. Ex hujuſmodi cuſtodia emittitur. 124. a. Et in poſſeſſione ſuarum Eccleſiarum manutenetur. 125. a.

Pœnitentiarius Canonicus, ſi minime reſideat, præbenda ſui Canonicatus privatur. 234. b.

Poloniæ Clero facultas data ſubſidium Regi tribuendi. 4. a. Epiſcopis poteſtas facta prorogandi tempus pro Communione Paſchali. 9. a. 418. b. Epiſcopi, ut ad Regni Comitia accedant, cogi poſſunt ab Archiepiſcopo Gneſnenſi. 12. b.

Rom. Pontifex contra Epiſcopos non reſidentes ſuis in Eccleſiis procedere poteſt. 13. b. Poſt Cardinalium obitum quænam Sacra Supellectilia ad Pontificiam Sacriſtiam deferri debeant. 336. b. Ad ipſum immunitatis eccleſiaſticæ defenſio pertinet. 344. b.

Porphyrienſis Eccleſiæ dos conſtituta 409. a.

Portiunculæ Indulgentia, etiam in Eccleſiis Tertij Ordinis acquiritur. 359. a.

Proceſſio in Eccleſia S. Mariæ Angelorum quomodo ſit facienda. 373. b.

Prædicatorum Ordo 10. a. Fratribus in Indijs commorantibus extra Clauſtra degere vetitum. ibid. Nonniſi in Conventibus pro Novitiatu deſignatis profeſſionem emittere poſſunt. 17. a. Nemini Fratrum negocium aliquod in Romana Curia inconſulto Procuratore Gen. tractare licet. 47. b. In Romana Provincia nonniſi viginti Magiſtri deſignandi. 189. a. Priores vero biennales tantummodo eſſe debent. 189. b. In Monaſteriis Monialium Comœdiæ non recitandæ. 239. a. Orta diſſidia ob P. Nicolai Rodulphi a Magiſterio Generali amotionem. 349. b. Capitulum Generaliſſimum pro anno 1644. indictum. 375. a.

Præmonſtratenſium Ordo. 298. b. Monachis veterem in Hiſpania habitum, vel Fratris nomen dimittere vetitum. ibid. In die feſto S. Norberti hujus Ordinis Eccleſias viſitantibus Indulgentia Plenaria propoſita. 382. b.

Protonotarij Apoſtolici, quamvis non participantes, præcedant Canonicos Eccleſiarum Cathedralium, dummodo collegialiter non incedant. 341. a.

R

Regularibus non licet Proceſſiones extra Clauſtra, vel ambitum propriæ Eccleſiæ facere ſine licentia Parochi, dummodo non habeant ſpeciale Indultum a S. Sede Apoſtolica. 10. b. Qui votum emittunt de non petenda, ſeu accipienda extra ſuum Ordinem quacumque dignitate, per tranſlationem, aut habitus dimiſſionem hujuſmodi di vinculo non diſſolvuntur. 24. b. In iis, quæ pertinent ad curam animarum Ordinariorum correctioni, & viſitationi ſunt ſubjecti. 230. a. Eis quecumque munerum largitio interdicta. 263. b. Ambitus culpa rei a Rom. Pontifice dumtaxat abſolvendi. 367. a.

Riccardus Paulus Stravius Archidiaconus Atrebatenſis Monaſteria Congregationis Sanctiſſimi Salvatoris, ſeu S. Birgittæ viſitat. 154. b.

Del Rio Caſtrum Legato Romandiolæ adjudicatum. 246. a.

Rocchus Cortez Collegialis Univerſitatis Elborenſis. 387. b.

Romanorum Regis electio qua methodo ſit facienda. 77. b.

Rotæ Romanæ Auditoribus, ejuſque Adjutoribus vetitum, quominus ſua vota aliis patefaciant. 399. a. Sed Conſtitutionem Urbani VIII. quæ incipit Exponi nobis jurare tenentur. 400. a.

Ruthenis conceſſa Romæ Eccleſia, ædeſque SS. Sergii, & Bacchi. 269. b.

S

Sancti Salvatoris, ſive S. Birgittæ in Belgio Congregatio. 154. b. A Clemente VIII. inſtituta, & a Gregorio XV. ſtatutis ordinata. ibid. A Riccardo Paulo Stravio Archidiacono Atrebatenſi viſitatur. ibid. Confirmatur ab Urbano VIII. & ab Epiſcoporum juriſdictione eximitur. 155. a.

Sanctes Floridus Decanus Collegii Notariorum A. C. 314. b.

Sarſinæ Civitas Legato Romandiolæ addicta. 246. a.

Scottorum Collegium Pariſiis erectum. 357. b. Alumni Sacris Ordinibus initiari poſſunt abſque Literis Dimiſſorialibus ſuorum Epiſcoporum, & Titulo. 358. a.

Sebaſtianus Paſquettus Notarius A. C. 314. b.

Sedis Apoſtolicæ juribus particularium perſonarum facta non præjudicant. 290. a. etiamſi Rom. Curiæ Officiales ſint. 293. a.

Sigiſmundus III. Poloniæ Rex. 381. b. Beatificationem V. Joſaphat Archiepiſcopi Rutheni Polocenſis promovet. ibid.

Sixtus Papa V. Caſtra in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentia ſine Pontificis licentia vendi prohibet. 78. a. 117. b. Collegium Montis Alti Bononiæ erigit. 305. a.

Societas Jeſu. 165. b. Indulgentia plenaria viſitantibus Eccleſias Societatis in die Feſto S. Franciſci Xaverii. ibid. etiamſi in aliam diem transferatur. ibid.

S. Spiritus in Saxia de Urbe Archioſpitale. 244. a. Niſi quis per annum ei inſervierit, ab Ordinem minime admittendus. ibid.

Spoliorum Collectores jus habent procedendi contra ſubcollectores etiam in criminalibus. 69. b.

Status Eccleſiaſtici feuda exteris non vendenda ſine licentia Pontificis. 117. b. Si vendantur, Titulus Ducatus, Principatus &c. in empto-

emptorem non transfertur, nisi in hoc etiam Pontificis indultum accedat. 187. *b.*
Stephanus Card. Donghus. 393. *b.* Deputatur ad pacificendum cum Veneta Republica, Parmæque, ac Placentiæ Duce. *ibid.*
Stephanus Episcopus Xirenensis Archihospitalis S. Spiritus Præceptor. 244. *a.*
Subdiaconis Sedis Ap. quid solvendum sit in provisionibus ecclesiarum, quæ Pallio sunt insignitæ. 312. *b.*

T

THadeus Collicula Medicus Secretus Urbani VIII. 106. *b.* Lector Artis Medicinæ in Gymnasio Romano designatur. *ibid.*
Thadeus Barberinus Urbis Romæ Præfectus, & Prænestes Princeps. 95. *a.*
Theodorus Stratius Prior Generalium Ordinis Carmelitarum. 3. *a.* Heremum in Gallia erigi finit. 186. *b.*
Theologalis Canonicus, si minimè resideat, Prætenda sui Canonicatus privatur. 234. *b.*
S. Theresiæ U. Officium a S. Congregatione Rituum approbatum. 69. *a.*
Thesaurarius Gen. R. C. A. jus habet deputandi Collectores Spoliorum in Catalonia, & Comitatu Rossilionis. 318. *b.*
Toletanum Concilium cavet, quominus Dignitates in Capitulis obtinentes appellationum Judices sint. 45. *b.*
Tridentina Synodus *Sess. 6. c. 1. de Reform.* pœnas contra Episcopos non residentes statuit. 13. *a.* Voluit etiam, ne nulla insolita Imago fidelium venerationi exponatur, nisi fuerit ab Ordinario approbata. 321. *a.*
SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordo. 9. *a.*
— Discalceatis Reformatis Hispaniarum vetitum, quominus quemquam ad habitum Donatorum admittant. 9. *b.* A jurisdictione Ministri Gen. Calceatorum eximuntur. 52. *b.* Minister Gen. Congregationis Hispaniarum post sui electionem nulla alia indiget confirmatione. 83. *b.* Fratribus hujus Ordinis, & Congregationis postemissam professionem ad Ordinem Minimorum transire vetitum. 96. *a.* Conventum Barchinone erectum. 104. *b.* sed cum hoc auxilio Tribunalis Laici factum fuerit, Fratres de incursu Censurarum insimulantur, & ab Urbano absolvuntur. 105. *a.*

V

VAlentiæ ecclesiasticis potestas facta contribuendi pro parandis duobus militum millibus. 379. *b.*
Vallisoletanum Collegium. 38. *a.* Nullus Collegialium plusquam novem annis, & duobus mensibus commorari in eo potest. *ibid.*
Venetæ Reipublicæ nonnullæ concessæ Decimæ super Bonis ecclesiasticis in subsidium belli contra Turcas. 166. *a.* Atque etiam super Pensionibus. 167. *b.*
Viennis Concilii lege cavetur, quominus occasione Decimarum ab ecclesiasticis solvendarum sacra supellectilia vendantur, aut ullo modo distrahantur. 169. *a.*
Uladislaus IV. Poloniæ & Sveciæ Rex. 4. *a.* Subsidium ab ecclesiasticis Regni Poloniæ ex Indulto Sedis Ap. recipit. *ibid.* Beatificationem V. Josaphat Archiepiscopi Rutheni Polocensis promovet. 381. *b.*
Universitas exoneratorum Cymbarum Romæ instituta. 130. *a.* sua statuta condit. *ibid.* Quæ ab Urbano VIII. confirmantur. 132. *a.*
Urbanus VIII. Episcopos Orbis monet, ut suis in Diœcesibus resideant. 13. *a.* 26. *b.* 35. *b.* 57. *b.* Patriarchatus Aquilejensis partem, quæ Rom. Imperatori subest, per Thessalonicensem Archiepiscopum visitari curat. 16. *b.* Philippi IV. Hispaniarum Regi potestatem facit Decimam super Bonis Ecclesiasticis suorum Regnorum imponendis ut Ferdinando II. Rom. Imperatori opem ferat. 20. *a.* Declarat, Constitutiones, quibus revocantur vivæ vocis oracula, illos non comprehendere Officiales, quibus ratione muneris fides haberi solet. 23. *b.* Cavet, ne Archiepiscopus Trevirensis a Militibus Regis Hispaniarum detineatur. 31. *a.* Urbaniæ Episcopatum erigit. 49. *a.* Philippum IV. Hispaniarum, & Portugalliæ Regem monet, ne bona ecclesiastica occupari sinat. 81. *a.* Sixti V. Constitutionem de Feudis status ecclesiasticis exteris neque vendendis, neque locandis sine Pontificis licentia, renovat. 117. *b.* Juribus S. R. E. in electione & confirmatione Imperatoris Romanorum consulit. 121. *b.* Electionem itaque Ferdinandi III. confirmat. 160. *a.* Venetis præsto est in bello contra Turcas. 166. *a.* Immunitati ecclesiasticæ in Diœcesi Saguntina consulit. 182. *a.* Eius de Catholicis Anglis cura. 211. *b.* Immunitatem Ecclesiasticam a Lucanis violatam vindicat. 213. *b.* Ex nonnullis legatispiis Ordini Minorum designatisBeneficia quædam ecclesiastica erigit. 242. *a.* Viam antiquam ab Oppido Montis Rosarum Viterbium usque restituit. 266. *a.* Festorum dierum observationi consulit. 341. *b.* Contra Franciscum Mutinensium Ducem jurium ecclesiasticorum violatorem procedi mandat. 349. *a.* Obortis in Ordine Prædicatorum dissidiis consulit. 349. *b.* Hymnos Breviarii Romani reformat. 380. *b.*
Urbaniæ Episcopatus erectus. 49. *a.* Eidem Oppidum Mercatelli addicitur. 81. *b.*
Urbini Collegium Doctorum institutum. 65. *a.* Tredecim Doctores pro Causis cognoscendis ex ejus gremio eligendi. 65. *b.* Ex iis quinque debent esse ecclesiastici. *ibid.*

FINIS.

